

Interpretus.
C) m Nov. Test. 1467^b.

2

HENRICI DIESTII,
SS. Theologiæ Doctoris, & Professoris,
CONCIONES

In quinque priora Capita Epistolæ
PAULI APOSTOLI,
AD

ROMANOS.

Quibus explicatur nobilissima doctrina Justifi-
cationis, cum aliis ei subnexis & cohærentibus materiis; ut ex
Indice, Præfationi subjuncto, apparebit.

*Habitæ ab eo olim in florentissima tunc temporis
Ecclesia Reformata Emricensi:*

*Postea in Academica Schola Daventriensi ab eodem limatæ, atq; ad prælum
plenè adornatæ; tandem q; post ejus obitum, à Filio publici juris factæ.*


Editio secunda.



HOLMIE & HAMBURGI,

Apud GOTHOFREDUM LIEBEZEIT

Bibliopolam. Anno clō Ioc LXXXVIII.



C O N C I O I.

De Inſcriptione Epistolæ.

Textus, Rom. I. vers. 1—7.

Paulus, servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, separatus ad prædicandum Evangelium Dei (Quod antè promiserat, per Prophetas suos, in scripturis sanctis; De Filio suo, &c. &c. nempe, Jesu Christo, Domino nostro: Per quem accepimus gratiam & Apostolatum, ad obedientiam fidei, inter omnes Gentes, pro ipsius nomine; inter quas & vos estis, vocati à Jesu Christo:) Omnibus qui Romæ estis, vocatis sanctis: Gratia sit vobis, & Pax, à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

E X O R D I U M.

DE Apostolo, ejusque Epistolis, ità Petrus Apostolus, 2. Pet. 3. 15. 16. Sicut & dilectus frater noster Paulus, pro sibi data sapientia scripsit vobis: ut in omnibus ferè epistolis, loquutus de istis; in quibus sunt nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parumque stabiles detorquent, ut & reliquas Scripturas, suo ipsorum exitio.

Quibus verbis Apostolum Paulum, ejus sapientiam, & epistolas laudat, prætereàq; dicit, quòd quibusdam in locis sit difficilis, vel potiùs, res difficiles & sublimes tractet, quæ detorqueantur &c.

Et certè, si probè expendamus, contulit Apostolus Paulus Evangelii totius thesaurum, passim in Epistolis suis:

Imprimis autem in epistolam ad Romanos;

Ex qua sola possumus discere, ad salutem scitu necessaria:

Ità ut Papistæ plane injurii sint in Sacram Scripturam, docendo, non esse eam perfectam.

Verum quoque est, multa difficilia in epist. ad Rom. inveniri:

Sed, Deo sit laus, non tantùm habemus epistolam ad Romanos, verum etiam alias ejusdem Pauli, & aliorum Apost. epistolas, itèm Evangelistas, & alia scripta, historica, prophetica:

Ex quibus omnibus facilè, quæ difficilia sunt, & videntur esse, Sufficienter declarari possunt. Nam, teste Paulo, 1. Cor. 14. 32.

Spiritus Prophetarum Prophetis subjiciuntur: adeoque, Scriptura per Scripturam est declaranda; ut Neh. 8. v 9.

A

P. Quia

P. Quia ergo Epistola Pauli ad Rom. tam est utilis ac necessaria, interim tamen & difficilis ac sublimis, operæ pretium faciemus, si illam ad manus fumamus, diligenter evolvamus, examinemus, unamque doctrinam post aliam indè hauriamus ac declarem. Quo fine vobis prælegi introitum hujus Epistolæ, quo describuntur, 1. Scriptor, 2. Ii ad quos scribitur, 3. Summa describendorum. Hac verò vice solummodò considerabimus duo priora;

I. *Quis scripserit hanc Epistolam?*

II. *Ad quos ea scripta sit, Quidque salutis eis precetur?*

V. Deus, qui dedit Paulo sapientiam, ex qua scripsit, Idem det nobis Spiritum sapientiæ, Ut hanc sapientiam Pauli penitiùs intelligere possimus, indèque instituamur, ad suâ gloriam, nostrique salutem: *Amen.*

P A R S I.

Primum quod attinet, *Quis scripserit?* patet id ex primis epistolæ verbis; *Text. Paulus, servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, separatus ad prædicandum Evangelium Dei.*

Exeg. (per partes, cum Appl.) Quatuor nominibus insignitur Scriptor:

I. Nominatur *Paulus.*

decl. Duo habuit nomina, ut Lucas de ipso, *Act. 13. 9. Saulus, qui & Paulus.*

Saulus, ante conversionem suâ; ut *Act. 9. v. 1. cap. 7. v. 58.*

Quod exponitur, *Rogatus, Petitus*, à Deo scil. *1. Sam. 8. & 9.*

Paulus, Post suâ conversionem; *Act. 13. v. 9. & c.*

Quod exponitur, ex usu linguæ latinæ, *Exiguus*:

Quia fuit humili staturâ, habuitque exilem vocem;

ut nonnulli scriptores Ecclesiastici volunt:

ut objiciunt ei pseudapostoli, alique, *2. Cor. 10. v. 10.*

Epistolæ quidem graves sunt & validæ;

sed presentia corporis infirma, & sermo nihili.

quò & nonnulli trahunt illud, *Psal. 68. v. 28.*

quia erat ex tribu minimi natu, Benjaminis, *Phil. 3. v. 5.*

Interim tamen habebat magna Dei dona, ut postea dicemus:

Unde posset etiam ex Hebræo deduci hoc nomen *Paulus*;

Quasi dicatur *פול* Paul, h. e. *Operosus, Activus.*

Ratio verò mutati nominis censetur, ex consuetudine Judæorum;

quî ex gravi morbo liberati, nomen mutabant: *vide Pref. Buxt.*

Concord.

a) *appr.*

- a) *appr.* Fuerit ergo *Exiguus* Paulus, secundum externam speciem ;
Magnus tamen erat, coram Deo : uti commendatur Ananiae,
 Act. 9. v. 15. *Instrumentum electum est mihi iste, ut portet nomen
 meum, in conspectum gentium, & regum, & filiorum Israël.*
Magnus erat, doctrinâ & scriptis; quæ spirant singularia dona SS.
 Minimus quidem Apostolorum; quia olim persecutor; teste ipso,
 1. Cor. 15. v. 9. *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum di-
 gnus vocari Apostolus, propterea quod persecutus sum Ecclesiã.*
 Maximus tamen, & quasi princeps Apostolorum; ut ibidem ait,
 1. Cor. 15. 10. *Sed gratiã Dei sum id, quod sum; & gratia eius,
 quæ in me collata est, non fuit inanis: sed amplius, quàm illi o-
 mnes, laboravi; non ego tamen, sed gratia Dei, quæ mecum est.*
 2. Cor. 11. 22. 23. *Hebraei sunt? sum & ego: Israëlita sunt? sum
 & ego: semen Abrahami sunt? sum & ego: ministri sunt? (desi-
 piens loquor,) superior sum ego; in laboribus, amplius; in plagis,
 supra illos; in carceribus, amplius; in mortibus, sæpe: &c.*
Magnus etiam, propter revelationes sibi factas; ut ipse testatur,
 2. Cor. 12. 1-4. *Raptus in tertium usque cælum, in paradysum,
 audiui ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui.*

a) *appl.* (in doct. & usu.)

Doct. Hinc itaque discimus,

thes. Non semper ex externis rebus judicandum esse.

decl. Sit quis parvus staturâ, satis ei, dummodò magnus coram Deo :

Sit deformis, sufficit, si habeat pectus sincerum, purum :

Sit exilis voce, sufficit, si verbum Dei rectè doceat :

Sit quis pauper, sufficit ei, si dives sit spiritu.

test. Summa, notandum illud Dei ad Samuelem, de fratre Davidis Eliabo,
 1. Sam. 16. 7. 8. *Ne respicito ad speciem ejus, aut ad altitudinem
 staturæ ejus, nam respici eum. Non enim specto, quod spectare so-
 let homo: nam homo spectat, quod est ob oculos: sed Jehova spe-
 ctat, quod est in animo.*

Usus. Consolationi hoc esse potest, infirmis, invalidis, inconspicuis, iisque
 qui præ aliis, & ab aliis, parvi habentur, ac contemnuntur.

Ne vero patiamur nos externo splendore excæcari, dementari: nam,
 In infirmis Deus potens est; juxta 1. Cor. 12. v. 9.

Superbis Deus resistit, humilibus dat gratiam: 1. Pet. 5. 5. Jac. 4. 6.

Sint alii Papæ, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, &c.

Nobis convenit esse Paulis, exiguis, ramentis mundi, &c. 1. Cor. 4. 13.

II. Nominatur *Servus Jesu Christi.*

decl. Nam Christo, in ministerio suo, in solidum servivit:

Euangelium Jesu Christi prædicavit & annunciavit:

In ejus gratiam, non ullius hominis prædicavit & docuit; teste ipso.

Gal. 1. 10. *Vtrum homines, an Deum audiendum suadeo, aut quero hominibus placere? Enimvero, si adhuc hominibus placere stude- rem, Christi servus non essem.*

Nominat se quoque *Servum*, ex singulari humilitate: memor illius

Præcepti Christi, Luc. 17. 10. *Ita & vos, quum feceritis omnia, quæ edicta sunt vobis, dicite; SERVI inutiles sumus, nam quod debuimus facere, fecimus.*

appl. Papa Romanus vocat se *Servum servorum I. C.* sed arroganter, affectans primatum in Ecclesia, & vicariatum præminentem.

Nos verò servos, ministros Dei Christi, nos profitebimur; ut Paulus,

I. Cor. 3. 9. *Dei sumus administri: vos Dei aruum, ædificium.*

I. Cor. 4. 1. *Sic de nobis reputet homo, ut de Ministris Christi, & Dispensatoribus mysteriorum Dei.*

Ibidem subdit, quod hinc probè notandum nobis venit, *vers. 2.*

Quod reliquum est autem, illud requiritur in Dispensatoribus, ut quis fidus inveniatur. Simus ergo fidi.

III. Nominat se *Vocatum*, (ex vocatione Dei scilicet.)

decl. Nimirum, ne quis putaret, se ingessisse seipsum huic muneri. Nam,

| Notabilis est ejus vocatio, descripta *Act. 9.* repetita *Act. 22.*

appl. Nemo igitur sibi præsumat, invadere Ministerium sacrum, absque legitima vocatione: quæ fit,

intus quidem, actu Sp. S. quum quis impetu interno huc fertur; externè verò per Ecclesiam.

Quanquam enim non sic vocemur, ut olim Apostoli, immediatè; tamen mediatè à Deo vocati sumus, per Ecclesiam, Dei nomine.

Huc enim pertinet illa auctoritas, data Ecclesiæ à Christo,

Matt. 18. 17. *Dic Ecclesiæ.* Confer,

Luc. 10. 16. Heb. 5. 4. 2. Tim. 1. 6. &c.

IV. Nominat se *Apostolum.*

rat. Ne quis putaret, Paulum esse vulgarem servum Christi, se vocat

| Apostolum, immediatè scilicet vocatum; ut hoc explicat postea,

text. Idque declarat seqq. verbis. *vers. 5.* *Per quem, J. Christum, D. N. acce-*

| *pimus Gratiam & Apostolatam, ad obedientiam fidei, inter omnes Gen-*
tes, pro ipsius nomine; inter quas & vos estis, vocati à J. Christo.

γ) *decl.*

2) *decl.* Consideremus nonnihil hæc verba.

1. *GRATIAM* se accepisse ait : scilicet ,

test. Indignum se fuisse fatetur , ut pro Apostolo assumeretur ;

| quia fuerat persecutor Ecclesiæ : ut legimus *Act. 7. 58. cap. 9. 1.*

test. Ut & ipse fatetur , in alia quadam epistola , *1. Cor. 15. v. 8. 9. 10.*

Ultimo verò omnium, velut abortivo, visus est etiam mihi (nempe in itinere Damasceno, Act. 9. 3. & c. conf. cap. 22. 6. 14. 18.)

Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, propterea quod persecutus sum Ecclesiam Dei.

Sed GRATIÀ Dei sum id, quod sum; & Gratia ejus, quæ in me est, non fuit inanis: sed amplius, quàm illi omnes laboravi; non ego tamen, sed Gratia Dei, quæ mecum est.

appl. Hoc meritò fatetur quilibet , in officio constitutus ,

Se gratiâ Dei esse , quod est :

Si quid boni præstet , id à Deo esse ; juxta illud , *Iac. 1. 17.*

Hinc ab antiquo Magistratus sic solet præfari , *Nos Dei gratiâ, & c.*

2. *APOSTOLATUM* se accepisse ait : videlicet ,

decl. Ut esset *Apostolus*, hoc est, *Legatus Christi* ; juxta illud ,

| *2. Cor. 5. 20. Nomine Christi legatione fungimur, & veluti Deo vos rogante per nos, oramus Christi nomine, Reconciliamini Deo.*

Ad quid verò missus fuit Paulus , & legatus ?

Ad obedientiam fidei : Pro ipsius nomine : hoc est , ut

& crederent in Jesum Christum , à Patre missum ;

& juxta fidem etiam obedirent , vitæque Christianæ studerent.

Inter omnes Gentes. Nam ,

Apostolorum munus erat, ut non unius Ecclesiæ curam gererent,

sed ubique docerent, Christoque Ecclesiam colligerent : juxta

Marc. 16. 15. Ite in universum mundum, & prædicate Evangelium omni creature ; h. e. omnibus hominibus : ut &

Matt. 28. 19. 20. Ite, docete omnes gentes, Baptizantes eos, & c.

Docentesque eos observare omnia, quæ præcepi vobis.

Specialiter verò dicit, Inter Gentes :

Quia Paulus singulare debuit esse instrumentum, ut portaret nomen

Jesu, in conspectum Gentium, & regum, & filiorum Israël ; ut sup.

Non igitur tantum Israëlitas debuit docere ;

Sed cum primis Gentes : unde se Paulus vocat,

Apostolum Gentium, seu Præputij ;

sicut Petrum Circumcisionis : Gal. 2. 7. & c.

*) *doct.* Nota hîc discrimen Ministrorum Christi, quod est inter Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores & Doctores, *Eph. 4. 11.* Apostoli ordinarii erant duodecim, *Matt. 10. 2. 3. 4. Act. 1. 13. 26.* extraordinarius fuit Paulus, ut sup. &c. *Act. 14. 14.* Prophetæ erant, vel qui futura prædicebant, ut *Act. 11. 28. c. 21. 9. 10. &c.* vel qui scripturam explicabant, ut *1. Cor. 14. 1. 5. &c.* Euangelistæ erant, qui Euangelicam historiam recitabant; ut Marcus; Lucas, de quo *2. Cor. 8. 18. 19:* alii generales, *2. Tim. 4. 5. &c.* Pastores & Doctores sunt, qui docent in Ecclesiis & Scholis. His adde Seniores & Diaconos, &c. *Rom. 10. 6. 7. 8. 1. Tim. 3. 8. &c.* Episcopi sunt, Pastores & Seniores, *1. Tim. 3. 1. &c. Tit. 1. 5. 6. Conf. (Act. 20. 17. 18.)*

V. Nominat se *Separatum.*

decl. Nimirum, ad prædicandum Euangelium; ut additur in *text.*

Prout & dicit, *Gal. 1. 15. 16. Quando verò libuit Deo,*
qui separaverat me ab utero matris meæ,
& vocavit per gratiam suam, ut euangelizarem, &c.

Respicere videtur ad illud, *Jer. 1. v. 5. Quum nondum formavissem te*
in utero, agnovi te; & quum nondum prodiisses ex matrice,
sanctificavi te; in Prophetam gentibus constitui te.

appl. Hoc se solabuntur omnes, qui per legitimam vocationem sunt

doct. In aliquo officio, aut ministerio Ecclesiæ constituti: quòd scilicet

[Ab utero matris ad hoc sunt separati, priusquam nati.

usus. Simus igitur contenti eo, quod Deus nobis constituit & dat:

Illi, qui ad altiora adspirant, contenti sint præsentibus; atque

Precentur solummodò Deum, det illis quod prævidit ab æterno.

Nam certè, nihil ultrà accipient; & hoc ipsis bono cedit.

*) *Concl.* Quia ergo Paulus fuit *Servus Jesu Christi,* & quidem *Apostolus,* Segregatus ab utero matris; facile colligi potest, Quid de ipsius scriptis, & de hac Epistola, statuendum sit.

Si fuit *Servus Christi,* neq; ipse, neque ejus doctrina contemnenda:

Luc. 10. 16. Qui vos audit, me audit, inquit Christus; Qui vos a-

spernatur, me aspernatur; qui me, eum qui misit me, aspernatur.

Si *Vocatus à Deo,* doctrina ejus non est ab hominibus, sed à Deo:

ut ipse ait, in loco supra adducto, *Gal. 1. v. 11. 12.*

Si *Separatus ab utero,* ut doceret Euangelium, certè Dei verbū est:

Unde & *Christus in Paulo loqui* dicitur, *2. Cor. 13. 3.*

Parique autoritate recipienda, ac ab ipso Christo, *1. Cor. 11. 23.*

veluti *Legati verba,* ipsius regis verba censentur, *2. Cor. 5. 20. sup.*

PARS II.

P A R S II.

In secunda parte duo dicemus,

I. *Ad quos scribat?*

1. *Ad Romanos*: incolas scilicet urbis Romæ, in Italia.

text. Omnibus qui Romæ estis.

exeg. Roma caput orbis erat; adhuc magnis opibus clara.

In hac urbe habebat etiam suas opes Christus.

Hoc ipsum est, quod Paulus alibi dicit, 1. Tim. 2. v. 4.

Deus omnes homines, hoc est, quosvis, omnis generis,
vult servari, & ad agnitionem veritatis venire.

appl. Proh! quantum mutatus est ille status Romæ, ab hodierno!

Antea habitabant Romæ Oves Christi, eratque caula ovium;

nunc ibi habitant Lupi rapaces, estque spelunca luporum.

Sic olim Hierosolyma erat domus Dei, ubi templum Dei;

postea facta est *Spelunca latronum*, Matt. 21. 13.

appr. O Deus, quam mirabiliter accidunt omnia!

Conserva nos, ut simus constantes; ne & nos fiamus ex Ovibus,

Hædi, ad sinistram locandi, Lupi ululantes, rapaces.

2. *Hos Romanos* insignit titulis duobus honoratis, eosque vocat

Dilectos Dei:

Quos scilicet Deus dilexerat, *in illo dilecto* Filio suo; ut Eph. 1. v. 5. 6.

Nam & ad Romanos pertinebat illud dictum Christi, Joh. 3. 16.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, &c.

Vocatos Sanctos:

decl. Hoc est, Vocatos ad sanctitatem.

prob. Ad hanc Sanctitatem vocantur omnes fideles, Christiani:

Eph. 1. 4. *Elegit nos in Christo, ante jacta mundi fundamenta,*
ut simus sancti & inculpata, in conspectu ejus, cum charitate.

1. Thess. 4. 3. *Hæc est voluntas Dei, Sanctificatio vestri.*

(Luc. 1. 74. 75. Zacharias dicit; *Ut sine metu, e manu inimicorum*
3. *nostrorum liberati, Deum colamus, cum sinceritate & justitia,*
in ipsius conspectu, cunctis vite nostre diebus.

Christus enim nos redemit, à peccatis nostris,

Non, ut in illis maneremus; sed, ut ea vitarem:

2. Tim. 2. 19. *Abscedat ab iniquitate, nominans nomen Christi,*

Confer. Eph. 5. 26. 27. 1. Pet. 3. 24. 2. Thess. 2. 13. &c.

3) *Appl.*

5) Appl. Si ad Romanos scripsit, quid ad nos hæc Epistola?

resp. Non tantum ad Romanos scripsit Apostolus Paulus;
Sed etiam ad omnes credentes, proinde & ad Nos:

Ut patet ex eo, quod alibi scribit, 1. Theff. 5. 27. *Adjuro vos per Dominum, ut recitetur hæc Epistola omnibus sanctis fratribus.*

Sic ad Corinthios scribens, complectitur omnes Fideles,

1. Cor. I. v. 2. *Paulus Apostolus, & c. Ecclesie Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis;*

Cum omnibus, qui invocant nomen Domini Jesu Christi, Quovis loco, Domini inquam, tum ipsorum, tum nostri.

concl. Dubium igitur nullum est, Epistolam hanc scriptam esse,

Ad NOS etiam, qui profiteamur quoque nomen Christi:

NOS etiam esse *Dilectos Dei*; quia & NOS dilexit, *in illo dilecto, ante jactum mundi fundamentum*: juxta illud Eph. 1. 4. *sup.*

NOS etiam esse *Vocatos sanctos*; quia & Nos sumus

Consepulti Christo per Baptismum, in mortem: ut, sicut Christus est suscitatus ex mortuis, ita & nos novam vitam ambulemus, Rom. 6. 4.

Ad NOS etiã pertinere *Salutationem* illam salutarẽ; quæ sequitur.

II. *Quid Salutis eis precetur?*

text. *Gratia sit vobis, & Pax, à Deo Patre nostro, & à Domino Jesu Christo.*

parall. His verbis omnes suas Epistolas orditur Paulus;

Exceptã epistolã ad Hebræos: unde nonnulli dubitant, sitne illa Epistola à Paulo scripta. Sed perperam:

Paulus enim, in odio apud Judæos, noluit characterem illum initio ponere, ne eos à lectione illius Epistolæ absterreret.

In fine tamen Epistolæ illius salutationem illam addit,

Heb. 13. 25. *Gratia sit cum omnibus vobis, Amen.*

Quinimò verba eadem initio Epistolarum omnium exstant:

Nisi quòd in epistolis ad Timotheum, & Titum, interseritur *Misericordia; Gratia, misericordia, & pax à Deo, & c.*

Itã & singulari Salutatione omnes suas Epistolas claudit Paulus:

ut ipse scribit, 2. Theff. 3. 17. *Salutatio mea, manu Pauli,*

quod est signum in omni Epistola, itã scribo; Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis, Amen.

Alicubi hæc verba contrahit, *Gratia sit vobiscum*, Col. 4. 18: & c.

Alibi dilatat; cum primis 2. Cor. 13. 13. *Gratia D. N. I. Christi, & Charitas Dei, & Communicatio Sp. S. sit cum omnibus vobis: Amen.*

n) exeg.

*) *Exeg.* Erat Paulus insignis & consolatorius doctor:

gen. Insignia quoque & consolatoria verba loquutus est.

spec. Quinimò, selectissima & insignia sunt hæc verba:

1. dicit, *Gratia sit vobis.*

2. dicit, *Pax sit vobis.*

Unde? *A Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo:*

Adjungit *Communicationem Spiritus Sancti*, 2. Cor. 13. 13.

part. Unum idemque est: nisi quòd

Gratia præcedit, *Pax* verò sequitur.

Cui enim *Gratia* contingit, is habet & *Pacem*

1. Per *Gratiam* intelligit, illam *Gratiam*;

per quam solam dicit nos justificari, *Rom.* 3. *Gal.* 2.

quæ est nobis facta in Christo Jesu, *Joh.* 1. 17. *Rom.* 3. 24.

quamque nos verâ fide amplectimur, *Rom.* 3. 25.

2. Per *Pacem* intelligit, illam *Pacem*; de qua

Angeli, *Luc.* 2. 14. *Pax in terra, hominibus benevolentia.*

Paulus, *Rom.* 5. 1. *Iustificati fide, Pacem habemus,*

erga Deum, apud Dominum nostrum Iesum Christum.

Item, *Phil.* 4. 7. *Pax illa Dei, quæ exsuperat omnem mentem,*

presidio custodiat corda vestra, & mentes vestras, in C.I.

Hanc *Pacem* Christus nobis peperit, morte suâ, pro peccatis;

Reconciliatis nobis cum Deo, Rom. 5. v. 10. 11.

Quæ est *Pax* conscientia nostra, peccatis inquietata.

Hinc Christus dicitur *Pax nostra*, *Eph.* 2. v. 14.

Peremtis inimicitis, faciens Pacem, Ibid. v. 15.

*) *Appl.* Hanc *Gratiam*, hanc *Pacem*, & nobis ipsis precatur Paulus: nam,

Gal. 6. 16. *Quicumque secundum hanc regulam incedunt,*

Pax esto super eos, & Misericordia (seu Gratia);

& super Israël Dei, h. e. super omnes fideles.

Hanc *Gratiam* & *Pacem* nobis inter alia precari jussit Deus,

in solenni illa *Benedictione* Ecclesie, descripta à Mose,

Num. 6. 24. 25. 26. *Benedicat tibi Jehova, & custodiat te;*

Faciat Jehova ut luceat facies sua tibi,

& GRATIAM faciat tibi:

Attollat Jehova faciem suam erga te,

& apponat tibi PACEM.

De hac *Gratia* & *Pace* deinceps, in seqq. capp. pluribus agetur:

ut non sit hîc opus ulteriori & proluxiori declaratione.

B

CONCL.

C O N C L U S I O.

- R. Sufficiant ista dicta, de duobus hisce, in Inscriptione Epistolæ ;
1. *Quis scripserit* hanc Epistolam? nempe, Paulus, qui antea Saulus Servus J. C. Vocatus, Apostolus, Separatus ad Euangel.
 2. *Ad quos scripserit?* Ad Romanos, imò ad omnes fideles :
Quali salutatione sit usus? Gratia sit vobis, & Pax ;
 à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.
- De Summa scriptorum, in hac Epistola.
 quæ etiam in verbis prælectis continetur,
 agemus, Deo volente, sequenti concione,
- C. Ut nunc concludam,
 Pacis nomen apud hebræos generale est, *Schalom* ;
 quo significatur omnis Prosperitas, animi & corporis :
 unde & accedentes & abeuntes alter alteri Pacem præcantur ;
 malunt tamen dicere, *Abi ad pacem*, quàm *Abi in pace*.
 Christus etiam hoc nomine salutatur Discipulos suos,
 Joh. 20. v. 19. 21. 26. *Pax vobis*. Sic *Luc. 24. 36. &c.*
 Longè verò alia est Pax, quam Christus morte suâ nobis peperit,
 reconciliatis nobis cum Deo, inimicis propter peccata ;
 ut pacatam nunc habeamus apud eum conscientiam.
 De hac Pace Christus, Joh. 14. 27. *Pacem relinquo vobis :*
Pacem illam meam do vobis ; non sicut mundus dat, ego do vobis :
Ne turbator cor vestrum, neque formidato.
 Hæc Pax oritur, à Gratia illa singulari Dei Patris :
 quam nobis fecit, in Filio suo dilecto, Jesu Christo: *ut sup.*
 Nostri officii erit, Auditores, hanc Epistolam Pauli,
 diligenter legere, & explicationem ejus audire :
 Sic fiet, ut & nostra fides prædicetur, sicuti Romanorum ;
 de quo gratias agit Deo Paulus, *seq. vers. 8.*
- V. Id verò ut assequamur, precor vobis cum Apostolo Paulo,
 Gratiam & Pacem, omnisque generis Benedictionem,
 à Deo Patre nostro, ejusque Filio D. N. J. Christo,
 cum gratiosa communicatione Spiritus Sancti :
 Cui uni ac vero Deo, Patri, Filio, ac Spiritui Sancto,
 laus sit, & gloria, & honor, & benedictio,
 in omnia secula seculorum, Amen.

CONCIO II.

C O N C I O II.

De summa ſcriptionis.

Textus, Rom. 1. v. 2. 3. 4.

Euangelium Dei, Quod antè promiferat, per Prophetas ſuos, in Scripturis ſanctis: De Filio ſuo, (facto ex ſemine Davidis, ſecundum carnem; Declarato Filio Dei, potenter, ſecundum Spiritum ſanctificationis, per reſurrectionem ex mortuis:) nempe, Jeſu Chriſto, Domino noſtro.

E X O R D I U M.

Nuper fecimus initium explicationis, Epiſtolæ Pauli ad Romanos: Atque ex verbis prælectis, *verſ. 1—7.* declaravimus

1. *Quis ſcripſerit hanc Epiſtolam? nempe, Paulus, qui ante conversionem Saulus; Servus, Jeſu Chriſti; Legitimè Vocatus à Deo, Non vulgaris ſervus, ſed Apoſtolus; Etiam ab utero matris Separatus, ad Euangelium prædicandum. ex quibus omnibus ſatis perſpicuum eſt, Quo loco habenda ſit hæc, ac reliquæ Pauli Epiſtolæ.*
2. *Ad quos ſcripſerit? nempe, Ad Romanos: quos ornat duplici titulo, Dilectos; quos dilexit Deus, à primordio mundi: Sanctos vocatos; vocatos ſc. ad ſanctitatem, ut ſint ſancti.*
3. *Qualem ſalutationem illis præſcripſerit? nempe talem, qualem omnibus Epiſtolis præfigit; hanc ſcilicet, Gratia ſit vobis, & Pax, à Deo Patre noſtro, & à Domino Jeſu Chriſto.*

Superest, ut ex his verbis prælectis declarem quoque, Summam eorum, quæ in tota hac Epiſtola continentur. Etenim, in verbis illis prælectis breviter complectitur Paulus Compendium, ſcribendorum in hac Epiſtola, dum ait; Ad prædicandum *Euangelium Dei: Quod antè promiſit, per Prophetas ſuos, in Scripturis ſanctis, De Filio ſuo, (facto ex ſemine Davidis, &c.) nempe, Jeſu Chriſto, Domino noſtro.*

P. Ex quibus verbis duas hasce partes considerabimus;

I. De qua re agat Paulus? de Euangelio:

II. De qua re agat Euangelium? de Christo.

Agemus, inquam, 1. De Euangelio, 2. De Christo ipso:
quantum quidem prælecta verba occasionem dicendi dabunt.

V. Deus largiatur nobis Spiritum Jesu Christi,

Ut Euangelium, quod est lætum nuncium, de Redemptione nostræ,

in quo summus thesaurus noster, nempe J. Christus, absconditus est,

Consideremus, ad Dei gloriam, nostrique salutem æternam: Amen.

P A R S I.

Primum quod attinet, De qua re agat Paulus in hac Epistola,

Text. De eo sic Paulus, in textu; *Ad prædicandum Euangelium Dei.*

Exeg. (i. generalis, 2. specialis.)

I. Gen. In genere dicit Paulus, se vocatum ac missum à Deo & Christo,

text. *Ad prædicandum Euangelium Dei,*

exeg. Euangelium vox græca est, *Εὐαγγέλιον*; significans

Latum nuncium: quomodo vocatur Doctrina illa, quæ est
de læta nostræ Redemptione, per Christum facta.

Nimirum, hoc est lætum illud nuncium;

Deum placatum esse nobis, per mortem Filii sui, *Rom. 5. 10.*

Ità ut nunc habeamus pacem cum Deo, *Ibid. v. 1.*

Adeoque, esse eum nunc propitium nobis, *Ibid. v. 8.*

omniaque directurum in nostram salutem, *Rom. 8. 28.*

Peccata nostra esse expiata Sanguine Christi, *Rom. 3. 25.*

Atque hoc pacto,

Satanam esse devictum, *Joh. 14. 30. cap. 16. 11. Matt. 12. 29.*

Regnum ejus esse eversum, *Col. 1. 13. 1. Joh. 3. 8.*

Infernum esse expugnatum, *1. Cor. 15. 55. Col. 2. 15.*

Mortem esse abolitam. *1. Cor. 15. 54. Heb. 2. 14. 15.*

Nihil esse, quod nos possit separare à charitate Dei, quæ est in J. C.

neque mortem neque vitam, neque Angelos & c. h. e. Diabolos,

neque & c. neque ullam aliam creaturam, *Rom. 8. 38. 39.*

In summa, Euangelium docet rationem salutis æternæ,

quomodo vitæ æternæ, per Christum nobis partæ,

participes fieri queamus: juxta illa dicta,

Matt. 3. 2. item, Matt. 11. v. 12.

*) Doct.

e] *Doct.* Videmus igitur, quæ sit Summa doctrinæ Paulinæ, in hac Epistola:
thes. Nimirum, Docet Evangelium, panditque viam Salutis æternæ;
decl. Idque optimâ methodo, ut capere eam quivis facilè possit:

Quam methodum & nostra Catechesis observat. Nam,
 Tria sunt homini salvando scitu necessaria:

1. *Agnitio Miseriæ*; ut perpendat miserrimum illum statum,
 in quem per peccatum, justo Dei iudicio, præcipitatus est.
2. *Agnitio Redemptoris*; ut Christum, qui nobis factus est à Deo
 sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio, 1. Cor. 1. 30.
 rectè cognoscamus, & in eum credamus, Joh. 17. 3.
3. *Gratitudo*; ut bonis operibus fidem nostram firmemus, 2. Pet. 1. 10.
 Deoque grati simus, pro tantis ejus beneficiis, Col. 3. 15.
 eumque solum invocemus & honoremus, Matt. 4. 10.

appr. Hæc tria tractat Paulus, ordine, in hac Epistola ad Romanos.

1. *De Miseriæ* hominis agit, à Cap. I. usque in Cap. III.

Ubi omnes homines, Judæos pariter ac Gentes, reos peragit;

Et Judæos, & Gentes, omnes esse peccatores, cap. 3. 9.

Omnes peccasse, ac defici gloriâ Dei, cap. 3. 23.

De Judæis quidem ait; quod habuerint Legem Dei,

sed illam non observârunt, nec præstiterint, cap. 2. 23.

De Gentibus; quod Lex cordibus eorum inscripta, cap. 2. 14.

quod Deus eos justè tradiderit peccatis, cap. 1. 24, & c.

2. *De Redemptione* hominis agit, à Cap. III. ad XI. inclusivè.

Ubi docet; Esse illam fundatam in solo Christo,

& in Gratia Dei, qui nobis eum dedit, cap. 3. 24.

Hanc doctrinam fusiùs declarat, agens,

1. *De Iustificatione* nostrî; per fidem in Christum,

sine operibus legis, cap. 3. & 4. & 5.

2. *De Sanctificatione* nostrî; quod redempti teneantur,

sanctè vivere, cap. 6. & 7. & 8.

pati afflictiones patienter, cap. 8.

3. *De Prædestinatione* Dei; fonte & fundamento gratiæ:

Deum, reliquis præteritis, elegisse quosdam;

Quibus dat fidem, & Spiritum S. ut possint fieri

participes hujus gratiæ, cap. 9. & 10. & 11.

3. *De Gratitudine* redempti; à Cap. XII. usque ad finem Epistolæ.

Ubi fideles ad Christianam vitam exhortatur, cap. 12. 1. & c.

Præscribitque, quomodo piè vivere debeant, cap. 12-16.

a) *Concl.* Tota hæc doctrina vocatur Euangelium, i. e. *latum nuncium*.

hyp. Quid enim lætius annunciari, quodnam lætius nuncium afferrî Homini, qui propter peccata sua, (possit?

pœnis temporalibus & æternis, iusto Dei iudicio, subjectus est, angorem mortis æternæ, in corde ac conscientia sua, gestat;

Quam hoc ipsum, Peccata sua sibi esse remissa, idque ex mera Dei gratia, propter meritum & mortem Christi:

Itèm, Legi Dei se non ampliùs obstrictum esse, ad mortem; sed ad convenientem gratitudinem, juxta illam, conformandâ.

thes. Hæc, inquam, doctrina vocatur Euangelium, uti dictum est,

conf. Unde videmus, Non tantùm quatuor Evangelistas describere, sed & ipsum Paulum docere Euangelium:

prout se hic Præconem Evangelii vocat; & alibi,

ut Gal. 1. v. 8—12. Eph. 1. v. 13. cap. 3. v. 7. 8. &c.

II. *Spec.* De hoc Evangelio Paulus speciatiim docet, in textu;

Text. Quod Deus antè promiserat, per Prophetas suos, in Scripturis sanctis, de Filio suo, Jesu Christo Domino nostro.

Exeg. (per partes, cum Appl.) Quibus verbis distinctè Paulus docet,

1. Unde veniat Euangelium? Scilicet, à Deo. Nam dicitur

text. Euangelium Dei; quod promiserat Deus.

decl. Ergo non est ab hominibus, sed à Deo:

Prout expressè dicit, Gal. 1. v. 11. 12. *Euangelium illud quod est à me euangelizatum, non est secundum hominem; neque enim ego ab homine id accepi, neque edoctus sum, sed per revelationem Jesu Christi.*

Appl. Manebit ergo hoc Euangelium in æternum.

exēp. Idcirco non poterant illud Judæi impedire;

verèque accidebat, juxta sententiam Gamalielis,

Act. 5. 38. 39. *Si est ex hominibus consilium hoc,*

sive opus illud, dissolvetur: Sin est ex Deo,

non potestis illud dissolvere; ne etiam cum Deo

pugnare comperiamini.

test. Idcirco nec poterunt hostes veritatis id dissolvere;

Etiam si totus mundus cū omnibus viribus suis, conspi-

Christus enim dixit, Matt. 16. v. 18. *Super hanc* (ret.

Petram edificabo meam Ecclesiam; &

Portæ inferorum non superabunt eam.

concl. Consolemur nos hac re, nec dubitemus, fore ut Deus Euangelium suum conservet apud nos; inter medios hostes.

2 Quando

2. *Quando promiserit? Diu Antè, in Veteri Test.*

text. Quod ANTE promiserat.

decl. Imò, in Paradiso jam illud promiserat Deus, protoplastis nostris,

Gen. 3. v. 15. Semen mulieris conteret caput Serpentis.

Deinde, Abrahamo illud promisit, iussu exire è patria sua,

Gen. 22. v. 18. In Semine tuo benedicantur omnes gentes terræ:

hoc est, in Christo; veluti exponitur, Gal. 3. v. 16.

Postea, Israëlitis illud promisit, in deserto oberrantibus,

Deut. 18. v. 15. 18. Prophetam suscitabit tibi Deus, è fratribus tuis,

sicut tu es: Ei auscultate. Confer, Act. 7. v. 37.

Denique, quis omnes eas promissiones enarret, quæ exstant,
in Psalmis, in Prophetis omnibus? de quibus infra.

Appl. Unde clarè perspicimus,

thes. Doctrinam Euangelii non esse novam, aut nuper natam;

sed tam antiquam, quàm est ipse mundus.

conf. Injuriam igitur nobis faciunt Papistæ, calumniantes,

Doctrinam Reformatam, quam docemus ex Euangelio, esse

Lutheri, Zwinglij, Calvini, & aliorum Doctorum:

Adeoque novam, nuperque natam ac exortam. At vetus ea est,

ipsius Christi, & Apostolorum, imò ante hos Prophetarum,

obj. Dicitur quidem, Col. 1. 26. Mysterium illud, quod absconditum

fuit, à seculis & atatibus, nunc autem factum est manifestum

sanctis ejus, in N. T. scil. Sic, Rom. 16. 25. 26. Eph. 3. 5.

Sed id est intelligendum, de facto tandem promissionum illarum

Complemento, per adventum Christi, ejusque mortem, in N. T.

quod specificè Euangelium dicitur:

Sed Promissio illius Euangelii variè fuit facta, in Vet. Test.

3. *Per quos promiserit? Per Prophetas V. Test.*

text. Per Prophetas suos.

decl. Etenim, teste Apostolo Petro, 2. Pet. 1. v. 21.

Non libitu hominis allata est olim Prophetia;

Sed acti à Spiritu Sancto, loquuti sunt sancti Dei homines.

Appl. Unde videmus, & colligere poterimus,

Quid de scriptis Prophetis sit sentiendum?

Scilicet, ut habeamus ea, pro ipso Dei verbo:

quasi id ex ipsius Dei ore prodisset; &

quasi Deus id ipse suo digito exarasset.

Idem de scriptis Apostolicis est sentiendum, 1. Cor 7. 40. &c.

4. Ub;

4. *Ubi promiserit? In Scriptura Vet. Test.*

text. In Scripturis sanctis.

decl. Intelligit his verbis Paulus, Libros Veteris Testamenti: nempe, Moſen, Prophetas, & Pfalms; ut Chriſtus ipſe diſtinguit, Luc. 24. v. 44. *Oportet impleri omnia, quæ ſcripta ſunt, in Lege Moſis, & Prophetis, & Pfalmis, de me.* Reſpiciens, ad vulgatam Judæorum diſtinctionem, in Legem Moſis, Prophetas priores, poſteriores: Hagiographa.

ſpec. Ita Spiritus Sanctus prophetavit, per os Jacobi patriarchæ; Gen. 49. 10. *Non auferetur ſceptrum à Juda, &c. uſque dum venerit SCHILOH,* h. e. Meſſias, Tranquillator. Davidis; in multis Pfalmis; in quibus agit, de Chriſti paſſione, crucifixione, *Pſal. 22. Pſal. 69.* ſepultura, & reſurrectione, *Pſal. 16.* ſeſſione ad dextram Dei, *Pſal. 110.* Eſaiæ; Eſa. 7. 14. *Ecce, virgo concipiet, & pariet filium, &c.* Eſa 9. 6. *Puer natus nobis, Filius datus nobis, &c.* Eſa. 53. *per totum caput,* agit de paſſione, crucifixione, & morte Chriſti: unde Eſaias, Euangelista V. T. vocatur. Danielis; Dan. 9. v. 24. &c. *ubi tempus determinatur, 70. ſeptiman.* quando Meſſias ſit venturus; ſitque excindendus. Michæ; Mich. 5. 2. *ubi de loco nativitatis Chriſti, agitur, Bethlehem:* de quo exinde agitur, *Matt. 2. v. 4. 5. 6.* Zachariæ; Zach. 9. v. 9. *ubi de introitu Chriſti in urbem Hieroſolymam, ſuper aſina, & pullo aſinae.* Conf. *Matt. 21. 4. 5.* Taceo reliquos Prophetas, multasque alias prophetias, de variis Chriſti venturi rationibus.

Appl. Diſcimus igitur hinc,

theſ. Ubi promiſſiones Dei inveniantur; &

Unde doctrinam Salutis diſcere poſſimus, ac debeamus?

Nempe, ex ſola Sacra Scriptura. Hinc Paulus & alibi,

teſt. Rom. 15. v. 4. *Quæ antè ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam antè ſcripta ſunt: ut per tolerantiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Egregiè verò idem,

2. Tim. 3. 16. 17. *Tota Scriptura divinitus eſt inſpirata, & utilis, ad doctrinam, redargutionem, correctionem, diſciplinam in juſtitia: ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte inſtructus.*

conf. Si hoc eſt verum, quid opus eſt Traditionibus Papisticis?

5. De quo

3. De quo promiserit Deus Euangelium?

text. De Filio suo. & c. nempe, Iesu Christo Domino nostro.

decl. Scilicet Christus est unicum salutis nostræ fundamentum: juxta

1. Cor. 3. 11. *Fundamentum aliud nemo potest statuere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus.*

Act. 4. 12. *Non est in alio quoquam salus: nec enim aliud nomen est sub cælo, per quod oporteat nos salvari.*

trans. Sed de hoc ipso agetur parte secunda, sequenti nunc.

P A R S II.

Secundum quod attinet, De qua re agat Euangelium?

Text. De eo his verbis Paulus; De Filio ejus, Iesu Christo, Domino nostro:

Facto ex semine Davidis; secundum carnem;

Declarato Filio Dei potenter, secundum Spiritum sanctificationis, per resurrectionem ex mortuis.

Exeg. Quibus verbis Paulus proponit,

Gen. Non ea omnia, quæ tractantur in Euangelio;

Sed fundamentum totius Euangelij: de quo idem alibi, 1. Cor. 3. 11.

Fundamentum aliud nemo potest statuere, & c. ut sup.

Nec omne id, quod de Christo sciendum & credendum est,

Sed tantummodò, quod de ejus Persona:

De Officio Christi nihil agit hîc;

Nisi quòd meminit Resurrectionis Christi ex mortuis.

Principaliter autem docet hîc Apostolus,

Quòd Christus sit, in una persona, & Deus, & Homo;

nimirum: quòd sit Filius hominis, & Filius Dei:

Atque adeo, Quod duæ naturæ, Divina & Humana, sint

In una persona, unius suppositi, Jesu Christi Domini nostri.

Spec. Videamus singula seorsim ac distinctè.

1. Quòd Christus sit verus Homo.

Text. Facto ex semine Davidis, secundum carnem.

Exeg. Facto: h. e. Concepto per Sp. Sanctum; Nato ex Maria, eaque

Virgine; ut *Matt.* 1. 18, & c. ex *Esa.* 7. 14.

Ex semine Davidis: ergo Filius Davidis, Luc. 1. 32. *Mat.* 22. 42.

Unde sæpe, *Fili Davidis, miserere, Mat.* 15. 23. *Luc.* 18. 38.

Secundum Carnem: h. e. Secundum naturam Humanam.

Si Carnem habet, Homo sit necesse est, & quidem Verus,

C

2) Doct.

2) Doct. Porro, Esse Christum verum Hominem, tota Scriptura clamat.

In S. Scriptura enim expressè vocatur,

Homo: 1. Tim. 2. v. 5. *Unus est Deus, unus etiam Mediator Dei & hominum, Homo Christus Iesus.*

Filius hominis: quomodo passim vocatur Christus; ut

Matt. 20. 28. *Filius hominis non venit, ut sibi ministretur; sed ut ministret, detq; animam suam, in redemptionis pretium, pro multis.*

Sic, Ioh. 1. 52. Ioh. 3. v. 13. 14. &c.

Scriptura S. etiam passim docet,

1. Quòd habeat verum Corpus, & Animam veram.

Corpus verum: ut patet, ex

Heb. 2. 14. *Quoniam pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps factus est eorundem.*

Luc. 24. 39. *Videte manus meas, & pedes meos; nam ego ipse sum: Contrectate me, & videte; nam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me conspiciatis habere.*

Animam veram: ut patet, ex his dictis,

Matt. 26. 38. *Undiquaq; tristis est Anima mea, usq; ad mortem.*

Tristitia enim est affectus animæ humanæ.

Luc. 23. 46. *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum:*

h. e. Animam, quæ in morte excedit; ut Eccl. 12. v. 7. vel 9.

2. Quòd Infirmatibus humanis fuerit obnoxius:

Veluti, quòd esuriverit, Matt. 4. 2. sitiverit, Ioh. 4. 7. cap. 19. 28.

quòd defatigatus fuerit, Ioh. 4. 6.

quòd creverit, & profecerit sapientiâ ac staturâ, Luc. 2. 40. 52.

quòd nesciverit diem iudicii, Marc. 13. 22. &c.

Veruntamen, Absque peccato: juxta hæc dicta,

Heb. 4. v. 15. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum; sed tentatum in omnibus similiter, absque tamen peccato.*

2. Cor. 5. v. 21. *Qui non novit peccatum.*

1. Pet. 2. v. 22. *Qui non peccavit, nec inventus fuit dolus in ore ejus. Defunctum, ex Esa. 53. 9.*

Heb. 7. v. 26. 27. *Talis enim nos decebat Pontifex, sanctus, ac ab omni malo alienus, sine labe, separatus à peccatoribus, & sublimior cælis factus: Cui non sit quotidie necesse, quemadmodum illis Pontificibus, prius pro peccatis propriis sacrificare, deinde pro peccatis populi.*

II. Quòd

II. Quòd Christus sit verus Deus.

Text. Declarato Filio Dei potenter, secundum Spiritum sanctificationis,
per resurrectionem ex mortuis.

Exeg. Si Filius Dei, ergo & ipse Deus: quod & Judæi intelligebant,
Joh. 10. 33. Tu, homo quum sis, facis teipsum Deum. Atquì dixerat
Christus, patrem suum Deū, seque filium ejus esse: Sic cap. 5. 18.

Potenter: per Potentiam scilicet divinam; de qua ipse,
Joh. 2. 19. Destruite templum hoc, & intra triduum excitabo illud:
Loquebatur autem de templo corporis sui, Ibid. v. 21.

Joh. 10. 18. Auctoritatem habeo, deponendi animam meam; &
Auctoritatem habeo, rursus eam assumendi.

Quamquam enim Pater eum excitasse dicitur, Rom. 4. 24. cap. 8. 11.

Tamen Filij etiam hæc fuit potentia, juxta Joh. 10. 30. c. 5. 19.

Per Spiritum sanctificationis intelligitur Deitas Christi: ut &

1. Pet. 3. 18. Mortificatus carne, vivificatus autem Spiritu.

Ibid. v. 19. 20. Per quem etiam Spiritum, h. e. quæ Deus ab æterno,
spiritibus, qui sunt in carcere, prædicavit; Qui olim non obedie-
runt, in diebus Noæ: h. e. Christus secundum Deitatem fuit
temporibus Noæ; quando per Noam curavit prædicari, ante dilu-
vium, irresipiscentibus hominibus: quorum spiritus (seu animæ)
nunc sunt in carcere Inferni, justè à Deo damnati.

Ità etiam accipitur vox illa, Spiritus. 1. Tim. 3. 16. Deus mani-
festatus est in carne; justificatus in Spiritu, h. e. postquam po-
tenter resurrexit, declaratus est innocens fuisse.

Verum tamen est, & Christum excitatū esse, per Spiritum Sanctū;
argumento loci, Rom. 8. v. 11.

Doct. Porrò, Esse Christum verum Deum, Scriptura quoque testatur.

Hæc enim expressè eum vocat Deum:

Rom. 9. 5. Qui est supra omnes Deus benedictus in secula.

Tit. 3. 13. Expectantes beatam illam spem, & illustrem illum
adventum gloriæ Magni illius Dei, & Salvatoris nostri J. C.

2. Tim. 3. 16. Deus manifestatus in carne.

Act. 20. 28. Deus acquisivit sibi Ecclesiam, proprio illo suo
Sanguine: quem sc. Christus, quæ homo, effudit.

Joh. 1. v. 1. In principio erat Verbum; & Verbum illud erat Deus.

cap. 20. 28. Domine mi, & Deus mi: verba Thomæ ad Christū.

1. Joh. 5. 20. Hic erat verus ille Deus, & vita æterna.

Sic vocatur & Iehovah: (Vide Mellif. nostrum Catech. pag. 199):

2) Scriptura quoque Christo tribuit,

1. Divinas Proprietates. Scilicet,

Quòd sit ab æterno, Æternus:

Mich. 5. 2. *Cujus exortus inde à principio, à diebus seculi.*

Sic Joh. 1. v. 1. *In principio erat Verbum.*

Apoc. 1. 8. *Ego sum A & Ω, principium & finis;*

Qui est, & Qui erat, & Qui futurus est.

Quòd omnia sciat, sit Omniscius:

Joh. 2. 24. 25. *Eò quòd nosset omnes, Christus scilicet;*

nec opus esset, ut quisquam ei testaretur de homine:

ipse enim sciebat, quid esset in homine.

Ioh. 21. 17. *Tu nosti omnia: verba Petri ad Christum.*

Quòd sit ubique, Omnipræsens:

Matt. 18. 20. *Ubi duo vel tres, & c. illic sum in medio eorum.*

Matt. 28. 20. *Ero vobiscum omnib. dieb. usque ad consumm. seculi.*

Quòd possit omnia facere, sit Omnipotens:

Apoc. 1. 8. *Ille Omnipotens.*

Phil. 3. 21. *Pro vi illa, qua potest subjicere sibi omnia.*

2. Divina Opera. Videlicet,

Creatio; quòd per eum omnia sint creata:

Joh. 1. 3. *Omnia per hoc Verbum sunt facta, &*

Absque eo factum est nihil, quod factum sit.

Heb. 1. 2. *Per quem etiam mundum condidit.*

Col. 1. 16. *Per eum condita sunt omnia, in cælis, in terra, & c.*

Conservatio, quòd omnia per eum sustententur:

Heb. 1. 3. *Sustinet omnia verbo illo suo potente.*

Col. 1. 17. *Omnia per eum consistunt.*

Plura opera divina, vide, in Mellificio Catech. pag. 197. 198.

3. Divinum Honorem: Juxta illud Christi,

Ioh. 5. 23. *Ut omnes honorent Filium, prout honorant Patrem.*

Qui non honorat Filium, non honorat Patrem. Nimirum,

In Christum quoque credimus, Ioh. 14. 1. Ioh. 3. 15. 16.

In Christi nomen quoque baptizamur, Matt. 28. 19. Act. 2. 38.

Christum quoque invocamus, 1. Cor. 1. v. 2. idque,

exemplo Apostolorum, Luc. 24. 52. Stephani, Act. 7. 59.

Atqui hæc omnia soli Deo competunt; juxta

Ier. 17. 5. *Maledictus, qui fiduciam habet in homine, & c.*

Matt. 4. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.*

III. Quòd.

III. Quòd Christus sit Deus & Homo, in una persona.

Præp. Quamvis autem Christus habeat duas Naturas, Divinã & Humanam:

Tamen unica tantum est ejusdem Christi Persona;

In qua hæ duæ naturæ sunt unitæ, ut sit *θεοῦ γεννητός*.

Text. Idcirco de una persona Christi dicitur, in textu: quòd sit

Factus ex semine Davidis, secundum carnem;

Declaratus Filius Dei potenter, secundum Spiritum sanctificationis, per resurrectionem ex mortuis:

Exeg. Sic passim Scriptura, de uno eodemque Christo, diversa enunciat:

Quòd sit Deus, *Rom. 9. 5. ut sup. &*

quòd sit Homo, *1. Tim. 2. 5. ut sup.*

Quòd assumerit formam servi, similis hominibus, *Phil. 2. 7.*

quum esset in forma Dei, par Deo, *Ibid. v. 6.*

Quòd sit semper nobiscum, *Matt. 18. 20. Matt. 28. 20. ut sup.*

quòd non semper sit nobiscum, *Matt. 26. 11.*

Quòd sciat omnia, *Joh. 2. 25. cap. 21. 17. ut sup.*

quòd nesciat diem judicij, *Marc. 13. 32. ut sup.*

Quòd vivat, & quidem in secula seculorum, *Apoc. 1. 18.*

& tamen fuerit mortuus, *Ibid.*

Hæc & similia diversa, dicuntur de una persona Christi;

Quia sunt in illa una persona, duæ diversæ naturæ, div. & hum.

quæ sunt inter se unitæ, scil. in unitate personæ:

Ità tamen, ut unaquæque Natura suas retineat proprietates,

Humana, humanas; Divina, divinas.

Doct. Discimus igitur hinc unitatem personæ Christi: & quòd

thes. In una illa persona, duæ naturæ sunt unitæ; & quidem,

ἀσυχύτως, ἀτρέπτως, ἀχωρίτως, ἀδιασέτως,

inconfuse, immutabiliter, inseparabiliter, indistanter.

decl. Proinde S. Scriptura expressè differentiam facit: e. g.

Quòd Dominus noster, Jesus Christus, sit

text. *Natus ex semine Davidis, secundum Carnem, h. e. hum. nat.*

Declaratus Filius Dei, secundum Spir. sanctif. h. e. div. nat.

paral. *Ex patribus, quod ad carnem attinet, quæ homo;*

quum sit *Deus benedictus in secula, quæ Deus: Rom. 9. 5.*

Mortificatus Carne, Vivificatus Spiritu: 1. Pet. 3. 18.

Passus pro nobis Carne: 1. Pet. 4. 1.

Crucifixus, ex infirmitate, carnis scil. quæ Homo;

Vivit, ex potentia Dei, quæ Deus scil: 2. Cor. 13. 4.

1) *concl.* Adeoque Christus,

Secundùm divinam naturam, Ubique præfens est; ut *Matt. 18. & 28.*

Secundùm hum. tantùm nunc in cælo, *Act. 4. 21. nō in terra, Heb. 8. 4.*

Secundùm divinam naturam, Scit omnia, *ut sup.*

Secundùm humanam, Nescit diem judicii, *ut sup.*

Secundùm divinam naturam, est ab Æterno, *ut sup.*

Secundùm hum. natus est in Tempore, Bethlehæmæ, *Lue. 2.*

Secundùm divinam naturam, est Immortalis;

Secundùm humanam Mortuus, ad triduum usque.

C O N C L U S I O.

R. Hæc sunt, quæ de Christo, ejusque Persona, dicit in textu Paulus.

Audivistis itaque, in hac concione, Auditores,

1. Quid Paulus dicat de Euangelio? nempe, Optimo ordine,

In tota Epistola, 1. de Misericordia, 2. de Liberatione, 3. de Gratitudine:

In hoc Textu, Euangelium esse, 1. à Deo, 2. antè Promissum,

3. per Prophetas, 4. in Scripturis sanctis, 5. de Jesu Christo.

2. Quid Paulus doceat de Christo? quòd scilicet sit,

Deus, & Homo, & quidem in una persona.

C. Docet idem Apostolus Paulus alibi, (nempe *Rom. 1. 16. Col. 2. 3.*)

Euangelium Christi esse potentiam ad salutem, cuius credenti:

In Christo esse omnes thesauros sapientiae ac notitiae absconditos.

Quia igitur Paulus in hac epistola ad Romanos, agit,

de Euangelio, & de Christo;

quidni hanc Epistolam diligenter legamus, expendamus?

Potentia enim Dei latet in ea; quod est Euangelium:

Omnes thesauri sap. & not. in hac sunt absconditi; qui est Christus.

V. Benedictus sit Deus in æternum,

qui nobis Potentiam suam revelavit, in verbo suo;

qui nobis thesauros Sapientiae & cognitionis ostendit, in Christo.

Largiatur idem nobis gratiam Spiritus sui Sancti,

ut proficiamus ac crescamus in cognitione suâ, ac Christi:

quoad ad ipsum veniamus, ubi videbimus eum à facie ad faciem,

in futura æterna ac beata vita;

Ad quam nos promoveat, & suo tempore perducatur Deus,

Pater, Filius, & Spiritus S. unus ille verus Deus,

Benedictus in omnem æternitatem, Amen.

CONCIO III

C O N C I O III.
De Gratiarum actione, & Precatione;
ubi & de Juramento.

Textus, Rom. I. v. 8. 9.

Primum quidem, gratias ago Deo meo, per Jesum Christum, super omnibus, quod fides vestra annuntiatur in toto mundo. Testis enim mihi est Deus, quem colo spiritu meo, in Evangelio Filii ipsius; me perpetuo mentionem facere vestri; (Semper in precibus meis, &c. ex vers. 10.)

E X O R D I U M.

Quum quis scribit literas, seu Epistolam, solet ante omnia subscribere nomen suum, ut innotescat, quis scribat; inscriptionem formare, ut pateat, ad quos scribatur; porro, initio epistolæ salutationem decentem ponere. Ità quoque Paulus Apostolus, in hac sua Epistola ad Romanos. Hactenus enim audivimus, ex versibus præcedentibus,

1. Ad Quos, Quâ Salutatione scribat? ut *conc. I.*
2. Summam eorum, quæ scribit in seqq. ut *conc. II.*

Quemadmodum etiam, scripturus de re aliqua, operam dat, ut initio epistolæ sibi favorem conciliet, apud eum, ad quem scribit, & à quo aliquid petit:

Ità & Apostolus Paulus, initio hujus Epistolæ suæ, Romanis significat, se bene erga ipsos affectum esse. Atque ità sibi favorem conciliat apud eosdem, ut & epistolam suam tantò diligentius legant, audiantve; & tantò libentius faciant, ad quod eos exhortatur.

Et quidem, 1. Gratias agit Deo, quod fideles facti sint;

2. Orat pro illis, cum Juramento;
3. Promittit, se ad ipsos venturum.

P. Priora duo hac vice expediemus: considerabimusque,

- I. Gratiarum actionem, de Romanis;
- II. Preces, quas jurans pro illis fundit.

V. Deus largiatur nobis gratiam suam; detque & nobis, Spiritum precationis, & Gratiarum actionis Amen.

P A R S I.

P A R S I.

Gratiarum actio primo loco ponitur, & continetur his verbis; *vers. 8.*

Text. Primum quidem gratias ago Deo meo, per Iesum Christum, super omnibus:
quod fides vestra annuntiatur in toto mundo.

Exeg. (per partes, cum Appl. speciali.) Elegans Gratiarum actio!
Attendamus, & consideremus singula ejus verba.

1. Dicit; *Gratias ago Deo meo.*

decl. Vox *Meo*, procedit ex vera fide, & fiducia Dei.

Non enim hoc vult Paulus, hunc esse solummodò suum Deū:
Sed significat, hac voce, singularem suam fiduciam in Deo.

Gratias ago Deo, qui se mihi tam clementem exhibet.

prol. Christus quidem docet nos precari, in O. D. *Pater noster*: At,
Non tantum, ut nos invicem diligamus, uti fratres;
Sed etiam, ut quivis id sibi in specie applicet. Nam,
Si est *Pater noster*, est etiam tuus, & meus Pater.

exēp. Ideò & Moses, suo & Israëlitarum nomine ait, Exod. 15. 2.

Robur meum, & Carmen meum Iah, qui fuit mihi saluti:

Hic est Deus meus, Deus patris mei, quem exaltabo.

Sic rex & propheta David, in Psalmis suis quàm plurimis: e.g.

Psal. 3. 4. *Tu Iehova, clypeus meus, gloria mea.*

Psal. 22. 2. *Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti?*

Psal. 23. 1. *Iehova pastor meus, non egebo.*

Psal. 27. 1. *Iehova lux mea, & salus mea; à quo timerem? &c.*

Sic Esaias propheta, Esa. 12. 2. *Ecce, Deus est salus mea,*
confidam ac non expavescam: nam robur meum, & carmen
meum est Iah Iehova, qui fuit mihi saluti: (ut sup. Moses.)

appl. Sic etiam unusquisque nostrum dicet; *Deus est Deus Meus,*
Creator meus, Redemptor meus, Consolator meus.

Quodque Scriptura de omnibus fidelibus in genere dicit,
id quisque fidelium sibi in specie applicabit. Veluti,

Jobus, Job. 19. 25-27. *Scio Redemptorem Meum vivere, &c.*

& carne Mea Me visurum esse Deum: Idem, qui sum, ac
non alienus, visurus sum mihi, & oculi Mei aspecturi.

Paulus, Gal. 2. v. 20. *Vivo non amplius Ego, sed vivit in Me*

Christus: & vitam quam nunc vivo, per fidem illam Filij
Dei; qui dilexit Me, & tradidit semetipsum pro Me.

2. Dicit;

2. Dicit; *Per 7. Christum.*

decl. Per Christum solum offerendæ sunt Preces Deo: juxta

Joh. 16. 23. *Amen dico vobis, quæcunque petieritis à Patre, in nomine meo, dabit vobis.*

Atquæ Gratiarum actio sub Præcatione comprehenditur: unde

Gal. 3. 17. *Quicquid feceritis sermone aut facto, in nomine Domini Jesu id facite; Gratias agentes Deo & Patri, per Ipsum.*

rat. (cum test. scripturæ.) Christus enim est,

Sacerdos noster summus, *Heb. 3. v. 1. cap. 4. 14. &c.*

Altare nostrum, super quo offerimus preces nostras:

Heb. 13. 10. Habemus Altare; nempe, Jesum Christum.

Confer *Apoc. 8. v. 3. 4.*

In quo solo dilexit nos Deus, *Rom. 8. 39. &*

elegit nos, ante jacta mundi fundamenta, Eph. 1. 4.

In quo habemus remissionem, per sanguinem ipsius,

remissionem lapsuum, ex divite ipsius gratia, *Eph. 1. 7.*

Unde Christus Mariæ Magdalenæ, *Joh. 20. 17. Ascendo, ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.*

appl. Ergo & nos, per hunc Sacerdotem offeramus preces nostras; imò, in hoc Altari offeramus Deo gratiarum actiones.

Unus enim est Mediator Dei & hominum, *C. J. 1. Tim. 3. 5.*

Unus est intercessor noster, *Rom. 8. 34. Heb. 7. 25. c. 9. 24.*

Unus est Advocatus noster apud Patrem, *1. Joh. 2. v. 1.*

Unicum est Fundamentum, non aliud, *1. Cor. 3. 11.*

Non aliud nomen, sub cælo, per quod salvamur, *Act. 4. 12.*

3. Dicit; *Quòd fides vestra annunciatur in toto mundo.*

cont. Alii gloriantur, in divitiis, in eruditione, in pulcritudine, in honore, in liberis, similibusque aliis terrenis ac caducis rebus.

decl. Vana hæc omnia: Optima laus est, quum quis veram fidem habet.

Roma erat celeberrima, inter omnes urbes totius mundi:

Imperator ibi erat, & multi excellentes viri:

Habebant pacem, & longè latèque regnabant Romani:

Gaudebant privilegio singulari cives Romani, *Act. 22. 25. &c.*

Hæc omnia non laudat Paulus; sed hoc solum, quòd essent facti fideles, fidesque eorum annunciaretur in toto mundo.

appl. Hoc ergo & nos, ante omnia, prædicemur in nobis; Credere nos.

1. Cor. 1. 31. Ut fiat, sicut scriptum est, (nempe Jer. 9. 23. 24.)

Qui gloriatur, in Domino gloriatur.

D

*) Doct.

a) *Doct.* Discimus igitur hinc,

thes. Qua de re potissimum Deo gratias; adeoque

| Quam re lætari ac gaudere præcipuè debeamus.

text. Paulus lætatur de Conversione & Fide Romanorum;

| Deoque hoc nomine gratias agit, per Jesum Christum.

part. Attende igitur hic, 1. Gaudium, 2. Dolorem.

I. Gaudium quod attinet; Gratias agens Deo hoc nomine Paulus,

| *hyp.* Lætus est, quasi totius mundi bona invenisset.

| *thes.* Ità lætantur omnes sancti, quum regnum Christi augetur,
| quum multi convertuntur, & adducuntur ad fidem.

comp. Quum Rex regnum suum extendit, lætantur ejus ministri, subditi:
| quidni & nos lætemur, aucto regno Regis nostri Christi?

| Angeli ipsi etià lætantur, super conversione hominis, *Luc. 15. 7. 10.*

| Si faciunt hoc Angeli, non participes carnis & sanguinis;

| Quidni nos gauderemus, super relapsis hominibus?

| qui omnes ex uno parente nati sumus, *Act. 17. 26.*

| qui spiritualiter cognati sumus credentibus: unde

| Credimus communionem sanctorum, in *Symb. Apost.*

| Participamus ex uno pane, in *S. Cæna. 1. Cor. 10. 17.*

| *Quoniam unus est panis, unius corporis multi sumus:*

| *Nam omnes ex uno illo pane participamus.*

Mod. Quomodo autem lætari debeamus, discimus exemplo Pauli,

| *text.* Qui gratias Deo agit, pro fide & Conversione Romanorum:

| ut scilicet & nos gratias Deo agamus, per Christum,

| pro gratia, non nobis modò, sed & fratribus concessa.

paral. Hunc morem Paulus observat, in omnibus fere epistolis:

| *Eph. 1. 3. Benedictus sit Deus, & Pater D. N. J. Christi,*
| *qui benedixit nobis omni benedictione spirituali, & c.*

| *Phil. 1. 3. 4. Gratias ago Deo meo, cum omni memoria vestri,*
| *semper in omni deprecatione mea, cum gaudio precans.*

| *Col. 1. 3. 4. Gratias agimus Deo, & Patri D. N. J. C. & c.*
| *Auditâ fide vestrâ in C. J. & charitate in omnes sanctos*

| *Sic 1. Thess. 1. v. 2. 3. item 2. Thess. 1. v. 3. 4.*

| *Gratias agere debemus Deo semper de vobis, ut par est*
| *quod vehementer augetur fides vestra, & c.*

Appl. Pariter & nos lætemur, Deoque gratias agamus, quum videmus,
| proximum nostrum ad fidem adduci, relapsere, & c.

| De Spirituali gaudio porrò, *Luc. 10. 20. Phil. 3. 1. c. 4. 4. & c.*

II. Dolorem.

- p) *Dolorem & Luctum, contrà, quod attinet,*
thes. Quemadmodum lætantur pii fide & resipiscentiâ aliorum:
 Sic & lugent è contrario, quum animadvertunt,
 Quosdam deficere à veritate, Impietatem crescere, grassari.
exēp. Sic Jeremias conqueritur Jer. 12. 1. Cur via improborum succedit?
Cur tranquilli sunt, quicumque agunt per fidē?
 Sic Habacuc coram Deo queritur, Hab. 1. 13. *Quare intuereris per-*
fidios? Surdum ageres, dum absorbet impius justiore se? &c.
 In primis consideranda sunt exempla,
 Mosis, comoti idololatriâ populi, ac frangentis tabulas, Ex. 32. 19.
 petentis remissionem, etiam cum periculo suo, Ibid. v. 32.
 Davidis, passim in psalmis suis: e.g. Psal. 139. v. 21. 22. *Torqueor:*
Perfecto odio odi illos, inimicorum loco sunt mihi.
 Christi, etiam cum lacrymis prosequentis pertinaciam Judæorū,
 Luc. 19. 41. 42. *Visâ urbe, flevit super ea, dicens &c.*
 Pauli, jurantis ac testantis, magnam sibi tristitiam esse, ac crucia-
 tum cordi suo, obdurationem Judæorum; optantisque se anathe-
 ma fieri pro fratribus suis, Rom. 9. 1. 2. 3.
 Idem Corinthios ad parem tristitiam hortatur, 1. Cor. 5. 2.
Et vos inflati estis, ac non potius luxistis, &c.
Mod. Ità & nos lugebimus: At quomodo? Discimus id,
 Exemplo Davidis, lugentis, conquerentis, & precantis,
 Psal. 12. 2. *Da salutem, Jehova: nam deficit beneficus;*
nam defecerunt veraces, ex filiis hominum.
 Psal. 94. 3. *Quousque improbi, ô Jehova,*
quousque improbi exsultabunt? &c.
Appl. Beatus populus; cuius Pastores possunt dicere de suis Auditorib.
 quod Paulus de Romanis, *Gratias ago Deo, per J. Christum,*
quòd fides vestra annunciatur in toto mundo.
 Contrà, Væ illi populo, cuius Doctores ingemiscunt. Quapropter,
 Date operam, Auditores, ità vos geratis,
 ut Deum, & omnes sanctos ac fideles, exhilaretis.
 Cavete contrà, ne Pastores, ne Fratres vestros contristetis.
 Heb. 13. 17. *Obedite ductoribus vestris, & obsecundate:*
Excubant enim pro animabus vestris, tanquam rationem
reddituri; ut cum gaudio hoc faciant, & non suspirantes.
 Certè excubant, & omnino rationem reddent Deo: juxta
 Ezech. 33. v. 7. 8. *Speculatorem te dedi domui Israël, &c.*

P A R S II.

Hæc de gratiarum actione; Sequitur *Precatio*; quæ continetur
Text. His verbis: *Testis mihi est Deus, quem colo spiritu meo, in Euangelio
 Filij ipsius: me perpetuo mentionem facere vestri, (adde ex vers. 10.)
 Semper, in precibus meis, rogans, (& c. ut in seq, conc.)*

Exeg. Christianus homo vix melius mereri potest de fratribus suis,
 quàm si pro illis precetur, precibus ad Deum fufis. Nam
 Jac. 1. 17. *Omnia donatio bona, & omne integrum donum, est supernè,
 à Patre luminum; apud quem non inest transmutatio,
 nec conversionis obumbratio.*

Paulus igitur optimè facit, quòd indefinenter oravit pro Romanis;
 prout testatur in modò recitatis verbis, *Testis mihi est Deus, me,
 perpetuo mentionem facere vestri, semper in precibus meis rogans,*

Part. In quibus verbis Paulus Apostolus,
 1. Juramentum præstat, quòd ità ergo eos sit affectus:
 2. Precationis ipsius meminit.

Tract. Videamus utrumque.

I. JURAMENTUM quod attinet, consistit illud in
text. His verbis; *Testis mihi est Deus, quem colo spiritu meo,
 in Euangelio Filij ipsius.*

subd. Quibus verbis provocat, 1. ad Deum, 2. ad Conscientiam suam.

I. A D D E U M.

text. His verbis; *Testis mihi est Deus.*

paral. Sic quoque jurat alibi: nempe;

2. Cor. 1. v. 23. *Ego verò testem Deum invoco,
 in animam meam, me idcirco non venisse, & c.*

Phil. 1. v. 8. *Testis mihi est Deus, quantopere expetam
 vos omnes, in visceribus Iesus Christi: hoc est,
 me verè & ex animo vos diligere.*

Rom. 9. v. 1. *Veritatem dico, per Christum; non mentior:
 quasi dicat, Per Christum juro hoc ipsum.*

2. Cor. 13. v. 2. *Novi hominem, in Christo:
 hoc est, Testor vobis in Christo, me nosse hominem, & c.*

1. Tim. 5. v. 24. *Obtestor in conspectu Dei, & Domini Iesu
 Christi, & electorum Angelorum, ut hæc observes sine præ-
 judicio, nihil faciens in alteram partem inclinando.*

x) Doct.

2) *Doct.* Discimus ex hoc exemplo Apostoli Pauli,

1. Quòd jurare liceat.

hyp. Quis enim dicat, Apostolum Paulum peccasse, atque
contra mandatum & doctrinam Christi jurasse?

quum fuerit fidelissimus Jesu Christi servus, & Apostolus.

thes. Juramentum legitimum non est prohibitum in sacris literis,
sed contrà mandatum à Deo.

test. Ità enim Deus ipse præcipit,

Deut. 6. 13. *Jehovam Deum tuum timeto, & ipsum colito,
ac per nomen ejus jurato.* Pariter, Deut. 10. 20.

Exod. 22. 11. *Iuramentum Jehovæ esto inter utrumque.*

Esa. 45. 23. *Mihi in curvabit se omne genu,*

Mihi jurabit omnis lingua.

exēp. Ideò nec veriti sunt sancti Dei homines jurare: e. g:

Abrahamus: qui in nomine Dei juravit,

Regi Sodomæ, Gen. 14. 22. *Juravi elatâ manu meâ, ad Jehovam,
Deum fortem excelsum, possessorem cæli ac terræ.*

Regi Abimelecho, Gen. 21. 23. 24. *Jura mihi per Deum, ait rex;
& dixit Abrahamus, Ego jurabo, juravitque.*

Idem adjuravit servum suum primarium, Gen. 24. 2. 3. *Iureju-
rando eum obstringens, per Jehovam Deum cæli ac terræ.*

Isaacus: qui & ipse se juramento obligavit Abimelecho, regi,
Gen. 26. 3. 1. *Surgentes manè, juraverunt alter alteri.*

Jacobus: qui cum Labane locero jurârunt inter se,

Gen. 31. 53. *Laban sic; Deus Abrahami, Nachoris, & c. judicet:
Sed juravit Jacob, per pavorem patris sui Isaaci; h. e.
per Deum, religiose & reverenter ab Isaaco cultum.*

David: inter quem & Jonathanem fuit juramentum, 1. Sam. 20. 42.
qui & Sauli regi juravit, 1. Sam. 24. v. 21. 23.

Et ne quis cavilletur, exempla hæc esse solius vet. Test.

Habemus in Novo Test. exemplum Pauli, ut sup.

Habemus & Dei, Heb. 6. 17. & Christi ipsius: qui

non solum passim asseverat sua, per *Amen, Amen;*

sed & conceptis verbis jurat in Apocalypsi Joh. Apoc. 10. 6.

usus. Errant proinde Anabaptistæ, qui Juramentum repudiant;

Malè interpretantes illud Christi, Mat. 5. 34. *Ne juretis omnino.*

illudque simile Jacobi, Jac. 5. 12. *Ne jurate, & c.*

De quibus dictis, quomodo sint intelligenda, postea dicemus.

2. Quomodo jurandum fit? nempe, *thes.* In solius Dei nomine: id discimus, exemplo *exēp.* Pauli, in textu; *Testis est mihi Deus.* Sic & alibi, *ut sup.*

| Aliorum sanctorum; ut & vidimus *suprà.*

| *test.* Nam, ità jussit ipse Deus; ut & vidimus *suprà*, ex
Exod. 22. 11. Deut. 6. 13. cap. 10. 20. Esa. 45. 23.
 Ità etiam *Esa. 65. 16. Qui tibi benedicturus est in terra, benedicet tibi per Deum firmi; & juraturus in terra, jurabit per Deum firmi.*

| *prol.* Quum autem Deus jurat, jurat per Seipsum; ut dicitur,
Heb. 6. 16. Homines quidem per eum jurant, qui sit major: at Ibid. v. 13. Deus, quum non posset per quemquam majorem jurare, juravit per Seipsum. Confer Gen. 22. 16. Per meipsum juro.
 Christus vero per Deum, ipsamque Veritatem, *Amen, Amen:* quum ipse sit *Veritas*, *Ioh. 14. 6.*

| *usus.* Errant proinde, qui jurant
 Per Sanctos; ut Papistæ:
 Per homines, Reges; nisi sit hæc nuda asseveratio,
 ut *Gen. 42. 15. itē 1. Sam. 20. 3. cap. 25. v. 26.*
 Per Cælum, Terram, Hierosolymam; ut Judæi, *Matt. 5. 34. 35.*
 per Templum, Altare, &c. ut *Matt. 23. v. 16—22. (vide inf.)*
 Per Animam propriam, ac Salutem; ut vulgò fit, at malè.
 Paulus jurat, non per Animam suam; sed *testem Deum invocat, in Animam suam*, tanq. Vindicem, ut *sup. 2. Cor. 1. 23.*
 Per Caput proprium; quod similiter reprobatur Christus,
Matt. 5. 35. Neque per Caput tuum jures: quia non potes unum capillum album aut nigrum facere.
 Hujus loci sunt ista juramenta: *Emoriar, si fallam;*
Terra me absorbeat, ni vera dicam; & c. & c. de quibus postea.
 Per Evangelium; nisi intelligatur Gratia Dei, Evangelio tradita:
 Sic Papistæ, *Ità me juvet Deus, ejusque SS. Evangelium.*
 Ejusmodi juramenta, & si quæ alia, vitanda sunt: Nam,
 Juramentum est invocatio Dei, quâ petitur, ut is tanquam unicus
 cordium inspector, testimonium det veritati; & jurantem
 puniat, si sciens fallat: ut in *Catech. quæst. 102.*
 Quo ipso etiam, juramentum esse licitum, probatur:
 Si enim mandatum est nobis invocare Deum;
 Mandatum etiam erit legitimum juramentum,
 ut & *suprà* probatum est.

3. Quando

3. Quando jurandum sit?

ant. Non est jurandum temerè, nec ob leviculam rem aut causam:

Quod valde pronum est nostratibus, vulgoque hominum; qui

Vix quicquam enunciant, quin addant, *Per Deum, Deus me puniat.*

Nec id solum, sed & ulterius dilabuntur, imprecantur sibi Diabolum;

Diabolus me abripiat, nisi verum dicam: Horrendum!

Alij Animam suam, quam Deo commendârunt, quasi è manibus Dei repossunt, illamque deponunt in confirmationem rei:

nec pauci deponunt Salutem æternam, &. Horrendum!

Idque ob rem leviculam, ac nihili; solâ consuetudine.

test. Huc pertinet jam illud, quod dicit

Christus, Matt. 5. v. 34.—37. *Ego verò dico vobis,*

Ne jurate omnino: Neque per Cælum, quia thronus Dei est;

Neque per Terram, quia scabellum est pedum ejus;

Neque per Hierosolymam, quia urbs est magni regis;

Neque per Caput tuum, quia non potes unum capillum album aut nigrum facere.

Esto autem sermo vester, Etiam, etiam; Non, non:

quod autem supra hæc redundat, ab illo Improbo emanat.

Jacobus Apostolus, Jac. 5. v. 12. *Antè omnia verò fratres mei,*

Ne jurate, neque per Cælum, neque per Terram,

neque aliud ullum jus jurandum.

Sit autem vestrum Est, est; & Non, non:

ne in condemnationem incidatis.

sens. Quibus verbis Christus & Jacobus, vetant,

Non legitimum juramentum, Deique verbo consentaneum;

Sed, Vel temerarium, ex levicula ac frivola causa,

Vel impium, quod non concipitur in nomine Dei.

Qualia erant juramenta Pharisaica, Judæorum: de quibus Christus,

Ibid. Matt. 5. v. 33. *Audivistis, dictum fuisse veteribus: hoc est,*

A veteribus; quorum traditiones interpolabant Pharisei:

Quorum glossas Christus taxat ac reprehendit; ut patet,

ex verbis subjunctis, v. 34. Ego verò dico vobis: Itè, ex

Matt. 23. v. 16.—22. Væ vobis Scribe & Pharisei, hypocrita:

Væ vobis via duces cæci, qui dicitis; Quisquis juraverit per

Templum, nihil est: Qui autem juraverit per aurum Templi,

reus est. Stulti & cæci, utrum enim majus est, Aurum,

an Templum quod sanctificat Aurum?

5) Et,

)Et; Quisquis juraverit per Altare, nihil est: Quisquis autem juraverit per Donum, quod est super ipsum, reus est.

Fatui & caci, utrum enim majus est, Donum, an Altare quod sanctificat Donum.

Qui ergo juraverit per Altare, jurat per ipsum, & per omnia quae super illud sunt: Et qui juraverit per Templum, jurat per ipsum, & qui habitat in eo: Et qui juraverit per Caelum, jurat per thronum Dei, & per insidentem ei.

Ex quibus omnibus patet, Taxari & reprehendi hinc juramenta, vulgò recepta, & excusari solita.

3) thes. Quid ergo? Quando est jurandum, & in qua causa?

1. Quando veritati testimonium est perhibendum: Et quidem,

2. Quum id requirit Gloria Dei, & Salus proximi.

Gloria Dei quidem legitimè jurando semper honoratur: sed Pro Gloria Dei juratur, quum agitur res gloriam Dei spectans.

Pro salute proximi juratur, quum ejus bono juratur, ad effugiendam litem, ut *Exod. 22. 11. Heb. 6. 16.*

ad fidei servandæ confirmationem, ut *Jos. 2. 12. &c.*

3. Quum id postulat Magistratus.

Illius enim est, controversias examinare, & judicare;

& in re dubia, ad juramentum adigere, ut *Exod. 22. 11. &c.*

Sic Esra adjuravit Sacerdotes, Levitas, & totum Israëlem, ut facerent secundum rem hanc, *Esr. 10. 5.*

4. Legimus tamen & inter privatos piè juratum fuisse: e.g.

Laban & Jacob, juramento se invicem obligant, *Gen. 31. 53. sup.*

Exploratores immunitatem jurant Rachabæ, *Jos. 2. 12. sup.*

Boas Ruthæ conjugium jurat, *Ruth. 3. 13.*

Jonathan & David inter se jurant, *1. Sam. 20. 17. 42.*

Obadias Eliæ jurat, *Elias Obadiæ, 1. Reg. 18. 10. 15. &c.*

4) concl. Quicquid sit, videndum ante omnia est,

Ne juretur temerè, nec in re nihili aut ludicra, futili, quum sciri ac credi nihil intersit.

Ne juretur aliter; quàm in nomine solius Dei, unici cordium inspectoris, ut vindicis omnis falsi.

Ne juretur contra Dei gloriam, Proximi salutem: Nam, Juramentum legitimum est, non tantum quod fit in nomine Dei; sed etiam quod fit de re licita, pia ac honesta, & gravi.

Unde simul patet id, quod ultimo loco sequitur,

4. Quatenus

4. Quatenus sit servandum Juramentum?

Id, inquam, ex haftenus dictis colligere promptum est.

1. Quum quis legitimè aliquid juravit, id sanctè servandum est.

test. P^{sal.} 15. 4. *Juratus in damnum suum, non tamen mutat.*

exēp. Sic Israëlitæ juratam immunitatem præstiterunt,

Rachabæ, *Jos.* 2. v. 12. 13. 14. confer *Jos.* 6. v. 17. (20.)

Gibeonitis, licèt astu agentibus, *Jos.* 9. v. 3. &c.

cont. Graviter etiam puniti non servantes jurata: ut Israëlitæ,

Achane prævaricante contra adjurationem, *Jos.* 7.

Saule violante juramentum, Gibeonitis præstitū, *2. Sam.* 21.

Confer etiam exemplum illud, *1. Sam.* 14. 25. &c.

2. Quum quis aliquid jurat, contra gloriam Dei, salutem Proximi,

thes. Non tenetur servare illud: quia bis peccaret,

primò, jurando illegitimè, impiè;

deinde, servando impiè ac temerè juratum.

exēp. Sic David iratus jurat Nabalis excidium, *1. Sam.* 25. 22.

at Deo gratias agit prohibitus à cæde, *Ibid.* v. 32. 33. 34.

test. Ità & Deus expressè præceperat, *Lev.* 5. v. 4. 5. 6.

Quum quis juraverit, effutiendo labiis suis, se bene aut malè facturum, &c. reus erit, fatebitur peccatum, &c. Et adducet reatum suum Jehovæ, propter peccatum illud, &c.

5) 2. AD CONSCIENTIAM SUAM.

Text. Testis est MIHI Deus, quem colo SPIRITU MEO.

Exeg. Quasi dicat; Ego mihi ipse conscius sum hujus rei, &

Spiritus meus, ac Conscientia mea, mihi idipsum testatur.

Appl. Hinc videmus; Licere appellare ad Conscientiam suam;

thes. Ità tamen, ut fiat in Domino: uti addit Paulus;

Quem colo in spiritu meo, In Evangelio Filij ipsius.

ant. Multi dicunt, *Per fidem meam, Per juramentum meum,*

Per Conscientiam meam, Prout aliter nescio, &c.

Sed contra scientiam, animique sui sententiam;

ad Deum ne minimùm quidem respicientes. Malè!

text. Contrà Paulus hïc in textu; *Testis Mihi est Deus, in spiritu Meo;*

Vocat itaque Deum testem, in Conscientiam suam.

paral. Ut & *Rom.* 9. 1. *Veritatem dico, per Christum; non mentior:*

attestante mihi simul Conscientiâ meâ, per Spiritum. S.

concl. Ità & nos affecti erimus, ne lædatur Conscientia nostra;

ne unicus Conscientiæ testis, Deus, ignominiâ afficiatur.

E

Postquam

Postquam hoc pacto provocat ad Deum, ac conscientiam suam Paulus,
II. PRECATIONEM quod attinet,

Text. Mentionem illius facit, his verbis; *Testis mihi est Deus, &c.*

Me perpetuo mentionem facere vestri: Qua in re? Vers. seq. 10.
Semper in precibus meis rogans, &c. (ut in seq. conc.)

Exeg. Recordatio amicorum grata est; Dulcis est memoria amicorum:

At recordari eorum in precibus ad Deum, multo praestantius est.

Doct. Videte, Auditores,

1. Hoc est officium omnium Christianorum, ut orent,

Pro fratrib. eadē fide conjunctis, membris unius corporis Christi:

Eph. 6. 18. *Omni prece & deprecatione orate, omni tempore, per Spiritum; & illi ipsi rei excubate, cum omni perseverantia, & supplicatione pro omnibus sanctis. Imò,*

Pro omnibus hominibus: ut docet Paulus,

1. Tim. 2. v. 1. 2. 3. *Adbortor ante omnia, ut fiant deprecationes, preces, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominib. Pro regibus, &c. Nam hoc bonum est & acceptum in conspectu Dei.*

Quin & pro Inimicis & hostibus: ut monet Christus,

Matt. 5. v. 44. *Orate pro iis, qui vobis sunt infensi, & persequuntur vos: &c.*

2. In primis Ministri Ecclesiae orabunt, pro ovibus sibi creditis;

Ut Paulus, in hoc textu, pro Romanis: Itē,

Pro Ephesiis; pro quibus egregia illa precatio exstat, Eph. 3. 14-19.

Hujus rei gratia flecto genua mea, ad Patrem D. N. 7. Christi, ex quo tota familia in caelis & in terra nominatur:

Ut det vobis, pro divite sua gloria, ut fortiter corroboremini, per Sp. in interiore homine; & inhabitet Chr. per fide, in cordib. vestris.

Ut in charitate radicati, valeatis assequi cum omnibus sanctis, quae sit illa latitudo, & longitudo, & profunditas, & sublimitas;

Et nosse charitatem illam Christi, omni notitia supereminentiorem: ut impleamini ad omnem usque plenitudinem illam Dei.

Pro Philippensibus; Phil. 1. v. 3. 4. *Cum omni memoria vestri, Semper in omni deprecatione mea, pro omnibus vobis, cum gaudio precans.*

Pro Colossensibus; Col. 1. v. 3. *Gratias agimus Deo, & Patri. D. N. Iesu Christi, semper pro vobis orantes.*

Pro Thessalonicensibus; 1. Thes. 1. v. 2. item 2. Thes. 1. v. 3.

Gratias agere debemus Deo semper, de vobis, fratres, ut par est, quod vehementer augeat fides vestra, & charitas, &c.

3. Vicissima

3. Vicissim Auditores pro Pastoribus suis intercedent:

Prout Paulus alibi jubet,

Eph. 6. 18. 19. *Orate pro omnibus sanctis; Et pro me, ut mihi detur sermo, ad apertionem oris mei, cum libertate, ut notum faciam mysterium Evangelii.*

Heb. 13. 18. 19. *Orate pro nobis, & c. Amplius autem precor vos, ut id faciatis, ut eò citius restituatur vobis.*

Unde simul patet, Cumprimis esse orandum, pro vinctis Ministris, & Fidelibus, ne cursus Evangelii impediatur.

C O N C L U S I O.

R. Audivistis ità, Auditores in Christo dilecti,

1. Gratiarum actionem;

2. Precationem Pauli, pro Romanis; ubi & de Juramento,

Licitum esse jurare, & Appellare ad conscientiam suam:

Quomodo sit jurandum? In nomine solius Dei:

Quando sit jurandum? Non temerè, sed flagitante necessitate:

Quatenus sit servandum juramentum.

Quid superest aliud? quàm,

Ut & nos Gratiarum agamus Deo, quòd & nobis largitur veram fidem,

commendatam, non à fidelibus modò; sed & ipsis Papistis,

qui calumniantes fidem nostram, nos commendant coram Deo?

Ut & nos flectamus genua cordiũ nostrorum corã Deo, Patre D.N.J.C.

Ut & nobis det, pro divite sua gloria, quòd & nos corroboremur,

per Spiritum S. in interiore homine.

Ut & inhabitet Christus, per fidem in cordibus nostris:

Ut radicati & fundati in charitate, valeamus assequi, quæ sit

illa latitudo, longitudo, profunditas, & sublimitas gratiæ Dei:

Ut & nos cognoscamus charitatem illam Christi, omni notitiã super-

eminentiorem; ut impleamur ad omnem plenitudinem Dei.

(*Hæc ità repetenda hîc, ex Eph. 3. 14. 19. quibus adde v. 20. 21. seq.*)

V. *Ei verò, qui summa cum exsuperantia potest omnia facere, supra ea,*

quæ petimus aut cogitamus, pro vi illa, agente in nobis;

Ei sit, inquam, Gloria in Ecclesia, per Christum Iesum,

in omnes atates seculi seculorum, Amen.

C O N C I O IV.

De Desiderio Pauli, & Impedimento.

Textus, Rom. I. v. 10—15.

*Semper in precibus meis rogans, ut, si quo modo tandem aliquando prosperum iter mihi detur, ex voluntate Dei, veniam ad vos. Expe-
to enim videre vos, ut aliquod impertiar vobis donum spirituale, ut
vos stabilitamini. Hoc est, ad communem exhortationem percipiendam a-
pud vos, per mutuam fidem, vestram simul & meam. Nolim enim vos
ignorare, fratres, me sæpè proposuisse venire ad vos, (sed prohibitus fui
usque adhuc,) ut fructum aliquem haberem inter vos quoque, sicut in-
ter reliquas Gentes. Et Græcis & barbaris, tum sapientibus tum insu-
perantibus, debitor sum. Itaque quicquid in me situm est, promptum est,
ad vobis quoque, qui Romæ estis, euangelizandum.*

E X O R D I U M.

Scripturi ad aliquem, hoc agunt initio epistolæ, ut favorem aucupentur;

Quò faciliùs impetrent petita. Sic Paulus, ut suprà diximus,

1. Gratias agit Deo pro Romanis, quòd fideles facti essent:
2. Orat pro illis; imò jurat, se hoc facere:
3. Promittit illis, se ad ipsos venturum:

Significans hoc ipso propensum suum in Romanos favorem,
quò tutò ipsi confidere possent.

In præcedenti concione explicavimus,

1. Ut Paulus gratias Deo egerit, pro fide Romanorum.

Ubi didicimus, Non solùm Angelos lætari de resipiscentibus;
Sed & omnibus piis gaudio esse; regnum Christi augeri:
conrà, molestum iis esse, si impietas succrescat, regnet.

2. Ut Paulus, non tantùm orârît pro Romanis, sed & jurârît.

Ubi, inter alia, instructi sumus de Juramento; & quidem,

1. Licitum esse jurare:

2. In solius Dei nomine jurandum esse:

3. Tunc jurandum esse, quando id requirit Dei gloria, proximi salus;
cum primis quando id Magistratus exigit:

4. Observandum esse, quod juratum est; nisi juratum sit,
contra Dei gloriam, & charitatem Proximi.

P. Nunc.

P. Nunc pergemus, ad Promissionem Pauli; & ex illa declarabimus,

I. *Desiderium Pauli, visendi Romanos:*

II. *Impedimenta, quae id impediuerant.*

V. Largiatur & nobis Deus cordiale desiderium Verbi sui,
omniaque impedimenta, virtute Sp. S. ex cordibus nostris removeat;
ut Deum sincerè desiderantes, tandem ad ipsum veniamus: *Amen.*

P A R S I.

Primum quod attinet, non solum gratias Deo agit, & orat pro Romanis;

Part. Sed etiam promittit Paulus, se ad ipsos venturum. Id quod

Non simpliciter promittit, sed precibus ad Deum fulis,

1. Testatur Desiderium suum, visendi Romanos:

2. Finem hujus desiderati adventus proponit.

Tract. Consideremus utrumque, juxta ordinem in textu observatum.

I. *Desiderium ipsum* quod attinet,

Text. Proponitur id his verbis; *Semper in precibus meis rogo, ut,
si quo modo prosperum iter mihi detur, ex voluntate Dei,
veniam ad vos: Expeto enim videre vos.*

Subd. Quibus verbis Paulus,

I. Testatur Desiderium suum: quòd scilicet

text. *Semper in precibus suis, ad Deum sc. rogavit, ut sibi contingere-
ret Venire ad Romanos; quum Expetat videre eos.*

sens. Quin Paulus in precibus suis etiam sollicitavit Deum,

Ut confirmaret eos in fide suscepta, dubium non est;
ut diximus in concione praecedenti.

Prout etiam solitus fuit, pro aliis Ecclesiis, ad quas scribit,
Deum precari, pro fide ac charitate earum:

Ut in conc. praeced. adduximus, ex epistolis, scriptis ad
Ephesios, Philippenses, Colossenses, Thessalonicenses.

Hic verò specialiter precari se Deum testatur, ut is expleret
desiderium suum, quo tenebatur, videndi Romanos.

decl. (per sim. & exempl.) Maximum hoc fuit desiderium Pauli;
nec tamen sine ulla ratione. Etenim,

sim. Quum est nobis consanguineus, aut amicus,
qui ad honores sit evehctus; desideramus eum videre.

Sic Paulus, audito, Romanos ad fidem Christi esse evehctos,
desiderat ad eos venire, eosque videre.

a) exēp. Ità legimus de Jacobo patriarcha, quum is audiret,
Josephum filium suum in Ægypto evectum, in Præfectum regni,
Desiderat eundem videre, vidensque tandem, ait Gen. 46. 30.
Moriar nunc, quandoquidem vidi faciem tuam, & c.

Ità Davide aggrediente ac vincente Goliathum,
Saul accuratiùs in ipsum inquit, 1. Sam. 17. 55. & c.
donec tandem eum ad se reciperet, Cap. 18. 2.
Jonathanis cor obligabatur Davidi, ex eo tempore;
adeò ut amaret eum, tanquam seipsum, *Ibid.*

Appl. An non igitur & fidelia pectora desiderarent videre eos,
qui ad fidem Christianam adducti & evecti sunt?

Quum Dux aliquis prælio facto victor evasit,
quilibet eum desiderat videre:

Quidni & nos desideremus videre eum, eique adhærescere,
qui per veram fidem adductus, vicit Satanam ac mundum?

β) 2. Notandum verò, quod addit Paulus.

text. Si quo modo tandem aliquando prosperum iter mihi detur,
ex Voluntate Dei.

decl. Dei igitur Voluntati atque directioni se permittit,
quantoperè etiam desideret Paulus.

Appl. Pariter nos quoque in desideriis nostris affecti erimus.

thes. Si Dei sit voluntas, ea expleri, agamus ei gratias:
Sin minùs, acquiescamus in voluntate Dei.

test. Omnia enim Voluntati Dei sunt subjicienda: juxta

Iac. 4. v. 13. 14. 15. *Age nunc, qui dicitis, Hodie vel cras
proficiscemur in illam urbem, & agemus ibi annum u-
num, & mercabimur ac lucrabimur: Qui ignoratis, quid
futurum sit postero die. Quid enim est vita vestra? Vapor,
ad exiguum tempus apparens, deinde disprens. Pro eo,
quòd dicere debuistis, Si Dominus voluerit, & vivamus,
faciemus hoc aut illud. Idipsum est, quod & Salomon docet,
Prov. 16. v. 9. Animus hominis excogitat viam suam, sed
Iehova statuit gressum ejus. Homo proponit, Deus disponit.*

exēp. Egregium est exemplum Davidis, se voluntati Dei permittentis,
2. Sam. 15. v. 25. 26. *Si invenero gratiam in oculis Domini,
utiq; reducet me, & faciet ut revisam se & habitaculum
suum. Sin dixerit, Non delector te; ecce me, faciat mihi,
prout bonum videbitur in oculis suis. (vide & inf. parte II.)*

II. Finem

II. *Finem desiderii hujus* quod attinet; Duo dicit Paulus.

I. Primò dicit; *Expeto vos videre*,

Text. Ut aliquod impertiar vobis donum spirituale, ut vos stabiliamini:
Hoc est, ad communem exhortationem percipiendam, apud vos,
per mutuam fidem, vestram simul & meam.

Exeg. Quasi dicat; Ideò videre, ideò visitare vos desidero,
ut vos stabiliamini in vestra fide; imò,
ut nos mutuò stabiliamus, ac inter nos confirmemus.

Doct. Hinc videmus,

thes. Quanta sit gratia Dei, quum in pace possumus convenire,
ad audiendum & considerandum verbum Dei.

decl. Quum enim convenimus, non fit id finè exædificatione,
nec finè consolatione mutua. Etenim,
Præterquàm quòd nihil negligitur templum frequentando,
ut solet dici communi proverbio:

Etsi non possint omnia observari, quæ docentur; tamen

Semper aliquid hæret, ad nostrî consolationē & doctrinam.

Quod unus non observat, id observat alius, & reminiscitur:

Quocirca convenire, & inter se informare debent.

Nec soli auditores ædificantur, sed & ipsi Pastores:

Unde non pudet Paulum dicere; *Ad communem exhortationem, per mutuam fidem, vestram simul & meam.*

sim. Ut enim ferrum ferro exacuitur, manus manum lavat:

Ità fideles inter se exædificantur, ac firmantur;

Non solum per conciones, sed per pia colloquia.

usus. Quapropter, Auditores in Christo dilecti,

I. thes. Amabimus pios congressus, pia colloquia.

Separabimus verò nos ab illis societatibus,

Ubi nihil aliud dicitur, quàm de computationibus,
de lusibus, libidinibus, aliisque ludicris rebus;

Ubi nihil aliud auditur, quàm scommata, calumniæ,
obtreccionem, inanes sermones, dejectiones, &c.

Illis verò societatibus nos jungemus, [rebus;

Ubi sermones fiunt de verbo Dei, alijsq; honestis & piis

Ubi audiuntur opera Dei prædicari, ac celebrari,

test. Psal. I. v. 1. 2. *Beatus vir ille, qui non ambulat in consilio impiorum.*

& in via peccatorum non ambulat, & in consessu derisorum.

non desidet: Sed cujus oblectatio est in lege Domini, &c.

v) 2. thes.

2) 2. thes. Præcipuè verò non negligemus Congregationem sanctorum.
 test. Heb. 10. v. 24. 25. *Observemus alii alios, ut nos acuamus ad charitatem & bona opera:* (hæc de privatis conventibus. At de publicis cœtibus ait,) *Non deseramus aggregationem nostri mutuam, sicuti mos est quibusdam; sed adhortemur alii alios: idque eò magis, quòd videtis diem illum appropinquare.*

prol. Nec est, quòd quisquam sibi imaginetur, se satis doctum esse, se donis fidei præ aliis pollere, non opus sibi esse institutione: Si non vult venire, ut discat aliquid & proficiat; veniat, ut sit aliis, iisque imbecillioribus, exemplo: & ut communes preces cum aliis concipiat. Etenim, Promissionem hujus conjunctionis habemus, Matt. 18. v. 19. 20. *Si duo ex vobis consenserint in terra, de omni re quam petierint, fiet eis à Patre meo qui est in coelis.* *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, (inquit Christus,) illic sum in medio illorum.*

Si hoc verum est de particularibus congressibus, multò verius erit de publicis Ecclesiæ cœtibus.

cont. Et certè, si qui non conveniant cum reliquis, idem illis accidet, Quod Thomæ accidit, qui negligens congregationem Apostolorum, mansit in incredulitate, & fluctuatione, *Ioh. 20. 24. & c.* Quod multis accidit, qui serò nimis experientur, multum referre, si quis occasionem discendi habeat; vellentque se nunquam emanasse è sacris conventibus.

Quod minatur Deus, per Prophetam, Amos. 8. v. 11. 12. *Ecce dies venturi sunt, dictum Domini Jehova, quibus immittam famem in hanc terram: Non famem habendi panis, neque sitim aquarum; sed audiendi verba Jehova.*

Et vagabuntur à mari uno ad alterum, & ab Aquilone ad Orientem usque discurrent, ad pervestigandum verbum Jehova; non tamen invenient.

exëp. Consideremus illud Christi, Matt. 13. v. 21. 22.

Vae tibi Chorazin, vae tibi Bethsaida: nam si Tyri & Sidone edita fuissent virtutes, quæ edita sunt apud vos, olim cum sacco & cinere sedentes resipuissent.

Quin etiam dico vobis, Tyro & Sidoni tolerabilior erit conditio, in die iudicii, quàm vestra, Sic quoque vers. 23. 24.

Hic

Hic primus finis, cur Paulus desiderârit videre Romanos?

2. Secundo dicit; *Expeto vos videre,*

*Text. Ut Fructum aliquem haberem inter vos quoque,
sicut inter reliquas Gentes.*

Exeg. Qualis quæfò ille Fructus, à Romanis percipiendus?

thes. Hic Fructus est, Obedientia fidei.

*test. De quo dixerat suprâ, Rom. 1. v. 5. Per quem, Christum scil.
accepimus gratiam & Apostolatam, ad Obedientiam fidei,
inter omnes Gentes, pro ipsius nomine.*

De hoc Fructu etiam ipse Christus ait, *Ioh. 15. cap.*

*v. 2. Omnem palmitem, qui fert fructum purgat Pater,
ut plus fructus adferat.*

*v. 5. Ego sum vitis, vos palmites: Is qui permanet in me, &
in quo ego maneo, hic fert fructum multum: nam & c.*

*v. 6. In hac re glorificatus fuerit Pater meus,
ut fructum multum adferatis.*

Si Pater glorificatur hac re, non immeritò desiderat Paulus,
venire ad Romanos, ut fructum inter eos procuraret,
qui tendit ad Dei gloriam.

Appl. (in Doct. & Usu conjunctim.) Hinc discant Ministri verbi,
thes Ut hunc fructum, quantum in se est, promoveant.

*test. Etenim, teste Christo, Ministri Ecclesiæ ac Euangelii, sunt
Operarii in Messe Domini, Matt. 9. v. 38.*

Seminatores, Messores, Joh. 4. v. 26. inf.

Imò, Gaudent hoc fructu proveniente, æquè ac Arator,
quum proveniunt in agro fruges: ut Paulus exclamat,
Phil. 4. v. 1. Vos estis Gaudium & Corona mea.

Idem est, quod Christus dicit, *Joh. 4. v. 26. Qui metit, merce-
dem accipit, & congregat fructum in vitam aternam:*

Ut & qui seminat simul gaudeat, & qui metit.

conf. Norint hoc Ministri Ecclesiarum, ac Doctores verbi divini:

Operarii sunt; laborare igitur eis convenit, non otari:

Seminatores sunt; & quidem sacri illius seminis, verbi Dei:

Messores sunt; metant ergo, non tam sibi, quàm Deo.

Quid autem juvaret, si seminarent, nihilque excreveret?

*1. Cor. 3. 7. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat;
sed Deus, qui dat crescendi vim, ac incrementum. Igitur,*

Matt. 9. 38. Orate Dominum messis, & c.

F

P A R S II.

P A R S II.

Hactenus Desiderium Pauli, sequuntur *Impedimenta*.

Part. Paulus, in prælectis verbis, memorat quædam *Impedimenta*: quæ
 1. Partim ipsum impediverant, quò minùs hactenus potuerit venire;
 2. Partim videbantur eum impeditura, ne impofterum veniret.

Tract. De utrisque seorsim, & ordine, agemus.

I. *Impedimentum*, quòd non venerit hucusque, significat Paulus,
gen. Non esse hanc culpam suam; se non absterritum fuisse, *Itineris*
 | Longitudine, aut Molestiâ; sed longè aliam fuisse causam:

spec. Ascenditque in cœlum, ibique scrutatur verum impedimentum,

Text. His verbis; *Nolim vos ignorare, fratres, me sæpè proposuisse*
 | *venire ad vos: sed prohibitus fui usque adhuc.*

Exeg. A quo erat prohibitus? A Deo omnipotente, omniaque regente;

Quâ verò re ipsum Deus prohibuerit, id exponit infra,

Rom. 15. v. 19. 20. 22. 23. *multis verbis*. Scilicet,
 Prædicandum ei erat passim, multis in locis; adeò,
 ut non fuerit ei data occasio, veniendi Romam.

Testatur id ipsum Lucas, in Actis Apostolorum,
 quòd passim prædicaverit, huc illuc proficiscens;
 & ut ipse Paulus dicit, Rom. 15. v. 19. quòd

Ab Hierosolyma, ac circumjacentib. regionib. usq; ad Illy-
ricum, impleverit prædicandi Evangelij Christi munus.

Imò testatur & Lucas, Act. 16. v. 6. 7. quòd

Prohibitus sit loqui sermonem Dei, in Asia minori;
Nec siverit eos ire in Bithyniam Spiritus Jesu.

Quia igitur Paulo non deerat voluntas, nihilque proficeret;
 Bene agit, quòd ad Providentiam Dei respicit.

Doct. Unde discimus,

thes. Deum omnia habere in manib. suis, sinè eo nihil nos posse.

test. Ut & Christus dicit, Joh. 15. 5. *Sinè me nihil potestis.*

conf. Nos quidem omnia licita media tentabimus, & urgebimus,
 nihilq; remitemus à nostra diligentia, à labore & molestia::

Sed exitum Deo committemus. Illi

Si placeat, succedet negotium, fietque progressus:

Sin minùs, frustra sunt omnia; Nos tamen fruimur

bonâ conscientia, quòd nihil temerè omisimus.

*) *Usus.*

Ufus. Consolemur nos hoc ipso, in omnibus conatibus & actionibus nostris,
thes. Nihil nobis obvenire sine voluntate Dei.

exēp. Samsoni quum rasum esset caput, viresque cessissent,
Tentat ille quidem, ut antea, evadere manus Philistarum;
Sed Deus ab illo recesserat, nec erat ejus voluntas:
Quapropter expectandum ei patienter erat, donec reflorescerent
capilli, & cum illis vires recrescerent. *Jud. 16. v. 4. & c.*

Legimus etiam *Jud. 20.* magnum praelium excitatum fuisse,
inter filios Israelis, & tribum Benjaminis, ob scelus nefarium.
Habebant bonam causam filii Israelis, contra Benjaminitas;
egressi quoque in praelium, ex mandato Dei, magno numero:
Nihilominus secundam vice caesi sunt a Benjaminitis,
desideratis, primum 22000.. postea 18000. summa 40000.
Quid facerent? Habebant bonam causam, cum mandato Dei, *Deut. 13.*
Omnia recte disposuerant, Consuluerant etiam Deum:
Deo igitur rem totam committunt, patientesque sunt; donec,
mutata sorte, penes tribum Benjaminis excinderetur.

appr. Sic etiam nos, quocumque in statu versemur,
Etiam si omnia recte disponamus, habeamusque bonam causam,
nec sine precibus ad Deum quicquam incipiamus;
Tamen exitus Deo est committendus, ejusque voluntati acquiescendum,
pertendendumque est, donec ipsi videatur successum dare.
Sic in Oeconomia, in negotiis nostris privatis,
Etiam si omnia rite recteque disposuerimus; etiam si
diligentes simus, nec sine precibus quicquam agamus:
Tamen Voluntati Dei committenda sunt omnia.
Si benedicat Deus, est quod agamus ei gratias:
Sin minus, dic cum Davide, (ut & supra,)

2. Sam. 15. 26. *Faciat mihi, prout bonum videtur ei.*

Psal. 39. 10. *Obmutesco, non aperio os meum; quia tu fecisti.*

test. Attende ad salutaria ista monita & consilia ejusdem,
Psal. 27. 14. *Expecta Iehovam, Confirmare, q.d. Perfer & obdura;
& fortificabit animum tuum: Itaque, expecta Iehovam.*

Psal. 37. 5. *Revolve super Dominum viam tuam, & confide ei;
nam ipse efficiet.*

Psal. 55. 23. *Rejice in Dominum onus tuum, & ipse sustentabit
te: non permittet unquam justo, ut dimoveatur.*

Psal. 2. 12. *Beati omnes, qui confidunt in eo.*

Hæc de impedimento, quod Paulum hucusque impediverat.

II. *Impedimenta, quæ imposterum possent impedire*, etiam removet Paulus.

1. Potuissent Romani dicere; Quid verò ô Paule,

Obj. Si idem impedimentum te porrò impediatur?

Respondet Paulus, Eveniat quod volet, iterum tentabo,

Text. Si quo modo prosperum iter mihi detur, ex voluntate Dei, veniam ad vos; ad euangelizandum etiam vobis.

Decl. Quasi dicat; Non desistam ab hoc proposito, sed conabor hoc ipsum perficere, quod mihi proposui.

Doct. Atque sic docet nos, suo exemplo;

thes. Ne animum despondeamus, neque tam citò nos patiamur dimoveri à pio ac honesto proposito: Sed,

Ut perpetuò diligentiam adhibeamus, in mandato munere;

rat. Considerantes illud vulgatum; *Rectè agendo neminem timeo.*

2. Potuissent Romani dicere.

Obj. Roma multò doctiores Paulo habet.

Respondet Paulus, in verbis prælectis;

Text. Debitor sum, & Græcis, & Barbaris; hoc est,

Ità teneor ex officio, ad quod vocatus sum;

Non ab hominibus, sed à Deo, Gal. I. v. 10. 11. 12.

Tum sapientibus, tum insipientibus: quasi dicat,

Quamvis multi se putent esse sapientes;

Tamen verbum prædicatum ipsis est stultitia, I. Cor. I. 23.

Atque ità produnt, se stultos esse: adeoque

Opus se quoque habere informatione.

Appl. Evolvamus ità & nos ex omnibus impedimentis; &

Respiciamus debitum nostrum, Deique solius sapientiam.

3. Potuissent Romani dicere;

Obj. Num sufficis, ô Paule, huic muneri?

Respondet Paulus; Faciam, quod potero. Idque his verbis,

Text. Itaque, quicquid in me situm est, promptum est, ad vobis quoque,

qui Romæ estis, euangelizandum: quasi dicat,

Non dicetis, ut Psal. 4. 7. Multi dicunt, Quis efficiet & c?

Nam ego, quantū in me situm est, promptus sum ac pronus.

Appl. Ità & nos, considerantes difficultatem muneris,

Promptos solummodò nos sistemus, ad faciendū quod possumus:

Reliqua in Deum rejiciemus, ut ibidem Psal. 4. 7. Quis faciet?

Attolle super nos lucem faciei tuæ, ô Jehova.

CONCLU-

C O N C L U S I O.

R. Ità audivistis, Auditores in Christo dilecti,

1. Cordiale desiderium Pauli; &
In quem finem ità desideraverit?
2. Impedimenta, quæ Paulum
Hucusque detinuerant; & quæ
Imposterùm detentura videbantur.

C. Legimus in historia Patriarchæ Jacobi, *Gen. 32. v. 26.*

Quum Jacob in patriam rediturus esset, venisse ad ipsum quendam
Qui cum ipso luctabatur, noctu, ad auroram usque:

Qui fuit ipse Deus, Filius Dei, Angelus ille federis, *Mal. 3. 1.*

Hic quum, illucescente die, peteret se dimitti à Jacobo,

Non dimittam te, inquit, quàm quum benedixeris mihi.

Benedixit ergo Jacobo, eique imposuit nomen *Israël:*

quod significat, Dominatorem seu Victorem Dei.

Confer Hof. 12. v. 4. 5. *Principem se gessit cum Deo, robore suo;*

Principem se gessit, inquam, cum Angelo, federis scilicet:

Et potentiã valuit; flevit, & supplex oravit eum.

Pariter nos agamus, ô fideles,

Si feramur cordiali ac sancto desiderio,

Non tantùm in Deum, ejusque verbum;

Sed etiam in omnes sanctos, fidei nostræ consortes,

atque in eorundem commoda ac salutem:

Agitè, si quandoque nos impediatur Deus, propter peccata nostra,

Variæque obstacula nobis objiciat, ad explenda desideria;

Pugnemus & luctemur cum eo, per ferias preces.

Sic fiet, ut & de nobis quasi conqueratur Deus,

quasi vim ipsi faciamus, (ut est in illo, *Matt. 11. v. 12.*)

quòd iram ipsius sistamus, eumque detineamus;

Quinimò, non discedet à nobis, priusquàm benedixerit nobis,

hîc, in tempore; illic, in æternum.

V. Tales luctatores, atque victores Dei, nos faciat potentissimus Deus,

Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, unus ille verus Deus,

Benedictus in omnia secula, Amen.

C O N C I O V.
De Euangelio & Justitia.

Textus, Rom. I. vers. 16. 17.

Non enim me pudet Euangelii Christi: potentia siquidem est Dei, ad salutem, cuiusvis credenti, Iudæo primùm, tum etiam Græco. Justitia enim Dei per illud revelatur, ex fide, in fidem; sicut scriptum est. Justus autem ex fide vivet.

E X O R D I U M.

HActenus detinuimus nos, in Introitu hujus Epistolæ, ad Romanos: Sequitur ut Epistolam ipsam aggrediamur, ac explanemus. Postquàm enim in Introitu didicimus, 1. Quis, & Ad quos scribat? 2. Quid summam scribat? 3. Quo præambulo favorem captet? Jam pergit ad rem ipsam, præcipuamque thesin in prima acie locat, Hominem scilicet justificari solâ fide: Atque hanc ipsam declarat Apostolus per totam Epistolam. Nam, 1. Docet, omnes homines naturâ peccatores esse; adeoque Neminem justificari operibus Legis, *Cap. I. II. & III.* 2. Agit de Fide, illam solam esse, quæ unicam salutis causam, Gratiam Dei, & Meritum Christi, apprehendat, *Cap. III. IV. V.* 3. Agit de nostrî Sanctificatione: ubi fidem, ibi operari & Deum Novâ obedientiam, etsi imperfectâ in hac vita, *Cap. VI. VII. VIII.* Tolerantiam crucis, & Spem vitæ æternæ, *Cap. VIII.* 4. Docet, Fidem non esse cujusvis: atque sic proponit Præclaram illam doctrinam, de Prædestinatione, *Cap. IX. X. XI.* 5. Quia Fides absque Operibus est mortua, agit quoque extremis capp. de Bonis operib. erga Deum & Proximum, *Cap. XII. XIII. XIV. XV.* clauditque epistolam, promissione adventûs sui, *Cap. XV.* & salutatione decenti, à se & aliis, *Cap. XVI.* Hoc est, quod suprâ diximus, agere Paulum in hac Epistola, 1. De Miseria hominis, propter Peccatum & Pœnam peccati; 2. De Liberatione hominis, per Christum Redemptorem; 3. De Gratitudine hominis, per Christum redempti: Idque juxta tres partes Catecheseos nostræ Christianæ religionis.

Agit

Agit igitur Apostolus Paulus, ut prudens & sollicitus Architectus; qui primò ponit commodum fundamentum, deinde huic superædificat. Hoc scilicet est fundamentum totius Epistolæ hujus,

Hominem justificari gratis, ex fide in Christum:

Super hoc fundamento Paulus superædificat discursum totius Epistolæ, Doctrinam unam ex alia deducens, & subnectens.

P. Quia verò Evangelii prædicatio est potens medium, ad operandam fidem, incipit in verbis prælectis agere de Evangelii potentia ad salutem:

Ex quibus verbis duas hæc partes considerabimus,

I. *Quid sit Evangelium?*

II. *Quæ sit justitia nostra coram Deo?*

V. Deus adsit nobis gratiâ Spiritûs sui Sancti, detque & nobis fidem veram, ut credamus Evangelio, acquiramusque nobis Justitiam illam Dei,

quò tandem impetremus quoque Salutem æternam: *Amen.*

P A R S I.

Primum quod attinet, *Quid sit Evangelium?* de eo Apostolus agit,

Text. His verbis; *Non enim me pudet Evangelii Christi:*

Potentia siquidem est Dei, ad salutem, cuius credenti, Judæo primùm, tum etiam Græco, seu Gentili.

Part. Quibus verbis Apostolus Paulus,

1. Proponit, de qua re agat; nempe de Evangelio Christi:

2. Evangelium illud describit, quatuor partibus,

I. Ab ejus authore, *Deo* scilicet;

II. Ab ejus natura & efficacia, quòd sit *Potentia Dei*;

III. Ab ejus operatione, ad *Salutem*;

IV. Ad quos pertineat, *Cuius credenti.*

Tract. Singula ex ordine considerabimus.

1. De qua re agat?

text. Id patet ex his verbis; *Non me pudet Evangelii Christi.*

exeg. Verba illa, *Non me pudet*, declarabimus in Usu generali; qui scilicet, ex declaratione harum partium, redundat.

Vocat hoc *Evangelium Christi*; quia est de Christo.

Non enim tantū id jussit prædicari Christus, ut *inf. dicetur*:

Sed etiam, quicquid est Evangelii, id est de Christo; unico sc.

Salutis nostræ æternæ authore: ut & *inf. porro dicetur.*

2. Descri-

α) 2. Describit Euangelium, à quatuor partibus:

I. *Ab Euangelii Authore, Deo scilicet:*

Text. His verbis; *Est enim potentia DEI.*

Exeg. DEUS igitur est Author Euangelii.

test. Hinc & vocavit illud suprà, Rom. I. v. 1. 2. *Euangelium DEI, quod*
antè promiserat, per Prophetas suos, in Scripturis sanctis.

β | *Joh. 3. 16. DEUS is est, qui ità dilexit mundum, ut Filium suum uni-*
genitum daret, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat
vitam eternam. Hæc summa totius Euangelii.

nom. Euangelium est vox græca, *εὐαγγέλιον*, significans *Latum nuncium:*

| Hoc illud est *Latum nuncium Dei*, de salute per Christum.

decl. Hoc Euangelium miseris peccatoribus curat proponi DEUS,

Pater cœlestis: ut patet ex toto N. T. speciatim ex illo Pauli,

2. Cor. 5. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi,*
posuitque in nobis sermonem illum reconciliationis. Sic

1. Cor. 1. 21. & c. *Libuit Deo per stultitiam prædicationis serva-*
re credentes. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iu-
dæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam; Ipsi autem
vocatis, tum Iudæis, tum Græcis, h. e. (gentibus) Christum,
DEI potentiam, ac DEI sapientiam.

Filius Dei, Christus Jesus ipse nobis hoc annunciavit:

Joh. 1. 18. Deum nemo vidit unquam: Unigenitus ille Filius,
qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit.

Nec tantum ipse Christus annunciavit id; sed etiam

Misit Apostolos suos, ut illud annunciarent, Marc. 16. 15.

Ite in mundum univèrsam, prædicate Euangelium.

Mittit adhuc ac dat fideles *Pastores & Doctores*, Eph. 4. 11.

Qui sunt fideles *Operarii in messe Domini*, Matt. 9. 38.

Qui nomine Christi legatione funguntur, & velut Deo ro-
 gante per eos, orant Christi nomine, & c. 2. Cor. 5. 20.

Qui sunt *Ministri Christi, & Dispensatores*, & c. 1. Cor. 4. 1.

Spiritus Sanctus etiam huc confert suam operam:

1. Pet. 1. 12. *Quæ nunc annunciata sunt vobis, per eos, qui vo-*
bis euangelizârunt, per emissum è Cælo Spiritum Sanctum; in
quæ cupiunt & Angeli inspicere, admirantes gratiam.

1. Cor. 12. 3. *Nullus, per Spiritum Dei loquens, potest dicere*
Iesum Dominum, nisi per Spiritum Sanctum. Sic vers. 4.

Distinctiones sunt donorum, sed idem Spiritus.

β) *Usus.*

2) *Ufus.* Si igitur Euangelium à Deo est ortum, estque ipsius DEI,
thes. Accuremus, ut singulari reverentiâ id audiamus :

non, ut à mortali homine, ac peccatore, prædicatum ;
 sed, ut à Christo ipso, magno illo *ἀξιολόγου*, *Heb.* 13.20.

decl. Si audimus Euangelium prædicari, cogitabimus,
 Deum ipsum nobiscum loqui, J. Christum ipsum prædicare:
 Non offendemur in contemptis præconibus, ac Ministris Verbi;
 sed perpendemus id, quod dicit Paulus Apostolus,

test. 2. Cor. 4.7. *Habemus thesaurum hunc, in testaceis vasculis:*
ut hæc hujus potentia supereminetia sit Dei, & non ex nobis.

Quasi dicat; Nos præcones, ac Ministri verbi, sumus
 Homines infirmi, & à plerisque contempti:

Sed tantò illustrior fit potentia DEI; cujus nomine nos
 prædicamus, quique per nos potenter operatur: *ut seq.*

II. Ab Evangelij natura & Efficacia :

Text. Dum ait; *est enim POTENTIA Dei.*

Exeg. Hoc est;

thes. Euangelium est salutare & Efficax organum, per quod Deus
 populum suum vult ad fidem adducere, & salvare.

decl. Hinc dicimus Verbum Dei, *solummodò salvificans* Verbum :

Non, quòd Verbum Dei ipsum, per se, nos salvet;

Sed, quòd medium sit, ostendens unicam viam ad salutem.

rat. Docet enim nos

1. Agnoscere peccata nostra, illaque de flere ac detestari :

2. Quodnam ostium sit pulsandum, ut gratiam acquiramus; ut
Joh. 10.7.8. *Ego sum Ostium: per me si quis introierit, sal-*
vabitur; & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.

3. Gratos esse: ut 2. Cor. 5. 15. *Christus pro omnibus mortuus*
est: ut, qui vivunt, posthæc non sibi vivant; sed ei,
qui pro ipsis mortuus est, & suscitatus est.

test. Quia igitur Euangelium est Potens medium ad salutem, ideò
 Gloriatur Paulus, 1. Cor. 4. 15. *in C. 7. per Euang. ego vos genui.*
 Dicitq; Jacobus, Jac. 1. 18. *Deus, quia voluit, progenuit nos,*
per sermonem veritatis; ut essemus primitia quedam eorum,
quæ creavit. Nimirum, ut ait Apostolus

Petrus, 1. Pet 1. 23. 25. *Regeniti, non ex semine corruptibili,*
sed incorruptibili, sermone Dei vivi, manente in æternum:
Hoc est illud Verbum, quod Euangelizatum est vobis.

G

2) *Ufus*

- 2) *U*sus. Est igitur Euangelium Christi,
hyp. Potens & efficax medium, per quod fides in nobis efficitur;
 ut Rom. 10. 17. *Fides est ex auditu: Auditus verò per Verbum Dei: hoc est, per Euangelij prædicationem, ut vers. præced. 15. 16.*
1. *thes.* Quapropter, Auditores,
 Non respiciemus somnia, nec revelationes; ut Enthusiastæ:
 Sed ad solum Dei verbum, Euangelium Christi.
- prol.* Posset quidem Deus, absque mediis mentem hominis illuminare;
 Sed placuit Deo, per præconium Verbi id efficere: juxta
 1. Cor. 1. 21. *Libuit Deo, per stultitiam prædicationis, (quam scilicet homines profani stultitiam judicant,) servare credentes.*
 Patet id ipsum exemplo Lydia purpurariæ, Act. 16. v. 14.
Cujus Dominus adaperuit cor, ut attenderet iis, quæ dicebantur à Paulo. Igitur per prædicationem Pauli aperuit.
2. *thes.* Porrò, si id verum est, Verbum Dei esse *Potentiam &c.*
 Non respiciemus ullas hominum Traditiones; ut Papistæ:
 Sed solum Dei Verbum, Euangelium, prædicatum, scriptum.
 Id sufficienter nos potest instituire, in omnibus rebus,
 necessariis ad salutem nostram, Deique gloriam.
- test.* Ut testatur Apostolus Paulus, 2. Tim. 3. v. 16. 17. *Tota Scriptura Divinitus est inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam in justitia.* Num quid superest, ad quod non sit utilis? Nihil: nam audi quod sequitur,
Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte instructus.
 Idem & dixerat, præced. vers. 15. *Sacra litera te possunt sapientem reddere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu.*
- exëp.* Hinc & Christus ait, Joh. 5. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere, idque rectè: & ille sunt quæ testantur de me.*
- Quinimò Verbum Dei, est Consiliū Dei: qui illud rejicit, proprio suo malo id rejicit; ut de Phariseis & Scribis testatur Christus, Luc. 7. 30. *Pharisei verò, & Legis interpretes, Consilium Dei aspernati sunt, adversus Semetipsos; h. e proprio suo malo.*
- Egregium est exemplum Berceensium, Act. 17. v. 11.
- concl.* Consideremus verò illud ejusdem Pauli dictum, 2. Cor. 10. 4. 5. *Arma militiæ nostræ, non carnalia sunt, sed divinitus valida, ad destructionem munitiorum, &c. &c.*
 Idem ipsum est, quod hîc dicit; *Euangelium est Potentia Dei.*

III. *Ab Euangelii Operatione:*

Text. Dum ait; *Est potentia Dei, Ad SALUTEM.*

Exeg. Operatur igitur Euangelium Salutem æternam.

decl. Non, quòd Euangelium, à seipso, & per seipsum, homines salvet:

Alioquin omnes, audientes Euangelium, salvarentur;

Id quod falsum esse, testatur experientia, & parabola *Mat. 13.8.*

Sed quia Euangelium est efficax Medium, per quod Deus, per virtutem Spiritûs S. salutem in nobis operatur.

test. Hoc ipsum est, quod Discipuli ad Christum ajunt, *Joh. 6.68.*

Domine, quò iremus? Tu verba vitæ æternæ habes:

h. e. quæ viam ad vitam æternam pandunt.

Hoc quoque est, quod Christus ipse ait, *Joh. 5.v.24. Amen, amen, dico vobis; Qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed transivit à morte in vitam.*

spec. Imò, Euangelium est, quod in omnibus malis nos solatur:

Si quid nobis desit, Euangelium

Dicit, *1. Cor. 3. 23. Omnia vestra sunt: Vos autem Christi.*

Docet, ubi quærendum id, *Joh. 16. 23. Quæcumque petieritis à Patre, in nomine meo, dabit vobis.*

Si premamur angustiis, omnis generis malis, Euangelium dicit, *Rom. 8.39. Nihil nos potest separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu D. N. Confer vers. 35. 37. 38. &c.*

Si angamur propter peccata nostra, Euangelium dicit,

1. Tim. 1. 15. Certus est hic sermo, & dignus omni receptione, Christum Jesum venisse in mundum, ut peccatores salvaret.

Matt. 9. 2. Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua.

Si terreat nos Mors temporalis, Euangelium dicit,

Joh. 11. 25. Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.

Joh. 5. 24. Transivit à morte in vitam.

Apoc. 14. 13. Beati, mortui in Domino, ἀπαύει:

Etiam, dicit Spiritus, requiescunt à laboribus suis.

Si horreamus Diabolum, Euangelium dicit,

Joh. 16. 11. Princeps hujus mundi judicatus est.

Apoc. 12. 10. Dejectus est Accusator ille, &c.

Heb. 2. 14. 15. Christus per mortem abolevit eum, penès quem est mortis robur, hoc est, Diabolum, &c.

d) Si timeamus æternam Mortem, condemnationem, Euangelium ait,
 1. Cor. 15. 54. 55. 57. *Absorpta est Mors ad victoriam.*
Ubi tua, ô Mors, victoria? Ubi tuus, ô Inferne, aculeus?
Deo habetor gratia, qui nobis dedit victoriam per D. N. J. Christum,
 Joh. 5. 24. *Qui credit, in Condemnationem non veniet.*

Si timeamus Dei Iram ac iustitiam, Euangelium dicit,
 Rom. 5. 1. *Iustificati ex fide, Pacem habemus erga Deum,*
apud Dominum nostrum Iesum Christum.

Luc. 2. 14. *Gloria in excelsis Deo, & in terra Pax,*
in homines benevolentia.

Phil. 4. 7. *Pax illa Dei, que exsuperat omnem mentem, presidio*
custodiet corda vestra, & mentes vestras, in Christo Iesu.

Rom. 5. 10. *Quum inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per*
mortem Filii eius.

e) *U*sus. Tales operationes habet Euangelium, summo nostro solatio:
ex ep. Unde David, Psal. 119. 50. *Hæc est consolatio mea, in afflictione mea;*
Sermo tuus vivificat me. Confer vers. 92.

pral. Lex quidem etiam est Potentia Dei; prout ea describitur,

Psal. 19. v. 8—11. *Lex Dei integra est, restituens animam:*

Mandata Domini recta, latificantia cor: Præceptum Domini
purum, illustrans oculos: Reverentia Domini munda, consistens
in sempiternum: Iudicia Domini, ipsa veritas, iusta sunt pari-
ter: Desideratissima præ auro, & quidem auro purgatissimo
multo; ac dulciora melle, & quidem defecato melle.

Psal. 1. v. 2. *Beatus, cuius oblectatio est in Lege Domini; &*
qui de Lege eius meditatur interdium & noctu.

Verum enim verò, Lex potens quidem est, at non ad salutem:

Sed facit ad humiliandas conscientias nostras, & conterendas.

Euangelium verò est Potentia ad salutem; facitque, ad rursus
 erigendas conscientias contritas, per Satisfactionem Christi.

conf. Unde simul discimus; ubi quærendum sit Summum bonum?

Non in scriptis Ethnicorum, quantumvis doctorum, aut alibi;
 non in voluptatibus, divitiis, honoribus, &c.

Sed tantum in Euangelio. Nota parabolam illam Christi,

Matt. 13. 44. 45. 46. *Simile est regnum cælorum Thesaurò,*
occultato in agro, quem inventum occulit quis, omnia que ha-
bet vendit, emitque illum agrum. Item Margarita, quâ re-
pertâ, abit, venditque omnia que habet, ac emit eam.

IV. Ad quos

IV. *Ad quos pertineat Euangelium?*

Text. Dicit Paulus; Euangelium esse potentiam Dei, ad salutem,
 Cuius credenti, Iudæo primum, tum etiam Græco.

Exeg. Cuius credenti, inquit; hoc est, Omnibus id credentibus.

test. Idipsum & Christus testatur, in illo supra allato dicto, Joh. 3. 16.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit;

Ut omnis qui CREDIT, non pereat, sed habeat vitam æternam.

prol. Impiis quidem Euangelium est Odor mortis ad mortem;

Sed piis ac fidelibus, Odor vitæ ad vitam: 2. Cor. 2. 16.

Hoc est, Impij ac infideles, quia non credunt Euangelio,

per illud ipsum declarantur condemnandi, *Marc. 16. v. 16.*

Unde & Paulus, *Rom. 2. 16. In die quo iudicabit Dominus, de rebus occultis hominũ, ex Euangelio meo, per Iesum Christum.*

Pij verò & fideles, quia credunt Euangelio, salvabuntur:

adeoque his est odor vitæ, ad vitam & salutem æternam.

Iudæo primum, inquit; hoc est Iudæis, Israëlitis. Etenim,

Hi primum promissiones Euangelicas audiverant, in V. Test.

Rom. 9. 4. Israëlita: quorum est adoptio, & gloria, & pãcta, & Legis constitutio, & cultus, & promissiones.

His etiam primò est revelatus Christus. Etenim,

Rom. 9. 5. Ex illis erat Christus, quod ad carnem attinet.

His etiam primò annunciari debuit Euangelium; ut Paulus ait,

Act. 13. 46. 47. Vobis necesse fuit primum exponi sermonem Dei:

Postquam autem illum repellitis, & indignos vos ipsos decernitis æternã vitã, ecce, convertimus nos ad Gentes. Ita enim & c.

Tum etiam Græco; hoc est, Gentilibus.

sens. Nominat præcipuas Gentes, Græcos scilicet; & per eos intelligit omnes alias Gentes, cujuscunque generis & loci.

test. *Eph. 2. 14—19. Christus utraq; fecit unum, & intergerini parietis septum solvit, inimicitijs abolitis, & c. Utrique per ipsum habemus aditum ad Patrem, per unum Spiritum: & c.*

Gal. 3. 28. Non est Iudæus, neque Græcus; non est servus, neq; liber: non masculus, aut fœmina: omnes unus estis, in C. Iesu.

Rom. 3. 22. Non enim est distinctio. Cap. 10. 12. Non est distinctio Iudæi vel Græci: Idem est Dominus omnium, & c.

Doct. Adeoque omnes omnino homines pertinent ad Ecclesiam:

Nullum est discrimen, nationum, regionum, hominum.

Nemo excluditur; nisi qui seipsum incredulitate excludit.

§) Appl. (in Usu generali partis I. qui exprimitur in ipso textu.)
 trans. Declaratum est hæctenus, Quid sit *Euangelium*?

Esse illud à Deo, Potens medium esse, Operans salutem,
 Ad omnes credentes id pertinere. Ex quibus omnibus videmus,
 text. Non immeritò Paulum dicere, in textu prælecto;

Non pudet me Euangelii Christi.

decl. Sciebat enim, multos esse, quos puderet *Euangelii*. Nam,
 Gentiles id existimabant esse *Stultitiam*; ut 1. Cor. 1. 23.
 Censebant enim, stultum esse, quod in eo docetur: nempe,

Credendum esse, in Crucifixum;

Credendo solummodò, homines salvari;

Illos homines, qui omnibus vulgò sunt odio, à Deo amari.

Iudæis id erat *Offendiculum*; ut ibid. 1. Cor. 1. 23.

Censebant illi, Messiam venturum, seu Christum,
 fore Regem mundanum, Regnum Israël restauraturum,
 sibiq; totum mundum, omniaq; regna mundi, subiecturum:

Atque ità offendebantur doctrinâ *Euangelii*, ac Christi
 paupertate, contemptu, passione & morte.

Sciebat etiam Paulus, multos esse *Hypocritas*: qui
Euangelium quidem audiunt, & ad tempus credunt;

Sed, quum aliquid propterea patiendum sit, deficiunt.

Sciebat etiam, multos esse *Epicuræos*, homines profanos:

Qui dicunt, Non esse Deum; nedum Filium Dei ab eo missum,
 qui homines passione ac morte crucis liberaret:

Quos pudebat vel nominare Christum.

Prout multi etiamnum reperiuntur, qui libentiùs utuntur
 scriptis impiis, scriptis Gentilium, quàm *Euangelicis*:

Qui gaudent *Ethnicis* nominib. Jovis, Veneris, Cupidinis, &c.

Gentiliumque ritibus, ceremoniis, festis, aliisque ludicris:

Qui frequenter in ore habent nomina Deorum gentilium,
 quosque pudet dicere, Ità juvet Deus, Christus Jesus, &c.

Quia igitur sciebat Paulus, multos esse, quos puderet *Euangelij*,

Dicit ipse; *Se non pudere Euangelij Christi*:

Quia sit illud ab ipso Deo ortum;

quia sit *Potens* medium, ad generandam fidem;

quia Deus per illud operetur *Salutem*, & vitam æternam;

quia ad omnes homines pertineat, dummodò credant.

His causis motus Paulus, dicit; *Non me pudet Euangelij*,

u)appr.

*) *appr.* Atque ità relinquit nobis pulcerrimum exemplum Paulus;
Ne & nos pudeat Euangelium. Proinde,
 Si Mundus ac aduersarii, Euangelium execreter, vetent, &c.
 Tu dic, est hoc *Euangelium Christi*, ipsiusque *Dei*.
 Si persequutionem patiatur Euangelium, ac infirmetur;
 Tu dic, Euangelium est *Potentia Dei*.
 Si propter Euangelium pellaris domo, patriâ, bonis, &c.
 Tu dic, Euangelium operatur *Salutem æternam*, his potiozem.
 Si pauci sunt, qui recipiunt Euangelium, ac credunt;
 Tu dic, Patere id *omnibus*, *Judeis & gentilibus*, dummodò credant.
 Floreant impii, contemnantur credentes Euangelio; tu dic,
Euangelium est potentia Dei ad salutem, cuius credenti.
 Porro, in omnibus afflictionibus tuis te hoc ipso consolare:
 Si tu sis Infirmus, dic, Euangelium est *Potentia Dei*; &
Potentia Dei per infirmitatem consummatur, 2. Cor. 12. 9.
 Si tu sis Pauper, dic, Euangelium nobis exponit
Divitias gratiæ Dei, in Christo Iesu, Eph. 1. 7.
 Si tu sis Insipiens, ineruditus, dic, Euangelium est
Sapientia Dei, & Potentia Dei, 1. Cor. 1. 24.
 Si tu sis in media Condemnatione, dic, Euangelium est ad Salutem,
Cuius credenti, tum Iudæo, tum Gentili, Text.
Credo, Domine, succurre incredulitati meæ, Marc. 9. 24.
 Denique, quicquid tentationum, ac cogitationum, suggerat Diabolus;
 Euangelium est *Stultitia, & Offendiculum* carni:
 Tu regere, ex. 1. Cor. 1. 25. *Stultitia Dei sapientior est, quam*
homines; & infirmitas Dei validior est, quam homines.
 Euangelium vitam futuram promittit, præsentem negligit;
 Quid salutis esse potest in futuris? Tu regere, ex
 Rom. 8. 24. 25. *Spe servati sumus: Spes autem si ceryatur,*
non est spes; quod enim quis cernit, cur speret? Si verò quod
non cernimus, speramus; nempe, per tolerantiam expectamus.
 Quid interim fiet de præsentibus, de necessariis hujus vitæ?
 Tu regere illud Christi, Matt. 6. 33. *Quærite primò regnum*
Dei & justitiam ejus; & reliqua omnia adjicientur vobis.
 Pauci sunt, qui credunt Euangelio, pauci pii, &c.
 Tu regere illud, ex Tit. 3. v. 11. 12. 13. 14. &c.
 Quicquid etiam contrà ingeratur, & objiciatur; tu retine hoc Pauli,
Euangelium est Potentia Dei, ad salutem, cuius credenti, &c.

P A R S II.

Hæc de Euangelio: sequitur, *Quæ sit Justitia nostra coram Deo?*

Text. De hac ita Paulus; *Iustitia enim Dei, per illud Euangelium, revelatur, ex fide in fidem: sicut scriptum est, Hab. 2. v. 4. Iustus autem ex fide vivet.*

Exeg. Ut intelligamus, quid hîc per *Iustitiam Dei* significetur, *hom.* Sciendum est, Duplicem esse Justitiam, de qua in s. literis agitur:

1. *Iustitia causæ* est; quum quis habet justam ac bonam causam: De qua David passim in Psalmis suis agit, cum primis illo, Psal. 7. v. 4. 9. *Iehova Deus mi, si feci istud, quod scilicet mihi per calumniam imputant inimici mei; Si intuli malum & c. Iudica me, Iehova secundum justitiam meam, & secundum integritatem meam pronuncia pro me.*

2. *Iustitia personæ* est; quâ persona justa est, vel censetur: eaq; duplex, *Legalis*; quum homo omnia mandata Dei perfectè observat.

Talis Justitia non invenitur inter filios hominum: juxta

Psal. 130. 3. *Si peccata observes, Domine, quis consistet?*

Psal. 143. 2. *Ne congregiaris iudicio cum servo tuo: nam, non esset justus coram te ullus vivens.*

Rom. 3. 10. *Non est justus, ne unus quidem, & c. (ex Psal. 14.)*

v. 23. *Omnes peccaverunt, ac deficiuntur gloriâ Dei.*

Nisi in unico homine, solo Jesu Christo: juxta *(ejus.*

1. Pet. 2. 22. *Qui non peccavit, nec inventus fuit dolus in ore*

Euangelica; quum quis justus censetur, ob justitiam Christi, qui nobis illam promeruit, quamq; per fidem nobis applicamus.

Hæc Justitia appellatur,

Euangelica: quia in Euangelio revelatur; ut est in *textu.*

Aliena: quia non est nostra, sed aliena; Christi scilicet, qui eam nostro loco præstitam nobis donat; Rom. 5. 19.

Imputativa: quia non habemus nos eam, ex nobis ipsis; sed imputatur ea nobis: ut docet Paulus, infra,

Rom. 4. v. 3—11. *Credidit Abrahamus Deo, & hoc imputatum est ei ad justitiam, & c.*

Sicut & David declarat beatum hominem, cui Deus, imputat justitiam, absque operibus, dicens; & c.

Quomodo ergo imputata est? Imputatâ & ipsis justitiâ.

*) *syn.*

- o) *syn.* Hæc porro Evangelica Justitia, vocatur
Justitia Dei; ut in textu: quod Lutherus commodè vertit,
Justitia quæ coram Deo valet. Quia hîc intelligitur,
 Non essentialis Justitia Dei; ut voluit olim Osiander:
 Sed illa Justitia Dei, quam Deus nobis gratiosè imputat; ut
 Phil. 3. 9. *Non habens meam justitiam, quæ ex Lege;*
sed eam quæ est per fidem Christi, id est,
justitiam eam, quæ est ex Deo, per fidem.
Justitia Christi; quia Christus illam nobis promeruit: ut
 Phil. 3. 9. *Justitiam eam, quæ est per fidem CHRISTI.*
 Rom. 5. 19 *Sicut per inobedientiam unius hominis, Adami sc.*
peccatores constituti sunt multi; ita per unius, Christi sc.
obedientiam, justii constituentur multi.
Justitia Fidei; quia per fidem eam nostram facimus: ut
 Phil. 3. 9. *Justitiam eam, quæ est per FIDEM Christi.*
 Rom. 3. 28. *Fide justificari hominem, absque operibus Legis.*
 Gal. 2. 16. *Non justificari hominem ex operibus Legis,*
sed per Fidem Iesu Christi: &c.

- o) *dist.* Ità igitur semper distinguemus hanc Justitiam;
 Quæ in sacris literis, diverso respectu, tribuitur,
 modò Deo, modò Christo, modò Spiritui S. (Rom. 8. 2.)
 modò Fidei, modò Sacramentis, (ut 1. Pet. 3. 21.)
 modò Operibus etiam, (ut Jac. 2. 24.)
 modò Precibus nostris ad Deum, (ut Act. 22. 16.)
 Nimirum diversimodè:
 Deus illam nobis imputat, gratis; Rom. 3. 24.
 Christus nobis eam acquisivit, suo merito; Ibid.
 Spiritus S. conscientias nostras illâ consolatur; Rom. 8. 15.
 Fides eandem apprehendit, sibi que applicat; Rom. 5. 1.
 Sacramenta hanc significant, & obsignant; Rom. 4. 11.
 Bona opera eandem in nobis testantur; Jac. 2. 18. 26.
 Preces hanc ipsam petunt, & impetrant; Rom. 10. 13.
 x) *Part.* De hac Evangelica Justitia Paulus in textu agit; & dicit quatuor,
 I. Eam in Evangelio revelari:
 II. Esse eam *Justitiam Dei*, vel, quæ coram Deo consistat:
 III. Oriri illam *ex Fide, in Fidem*:
 IV. Probat hoc ipsum ex Scriptura V. T.
 Tract. Quæ omnia paucis declarabimus, pag. seqq.

H

I. Justitiam

I. Justitiam hanc *revelari per Euangelium* dicit:

Text. Justitia Dei per illud (Euangelium scil.) *revelatur.*

Exeg. Euangelium enim hoc agit, ut prædicet

Remissionem peccatorum, & Resipiscentiam: ut

Marc. I. v. 4. *Prædicabat* (Joh. Baptista, primus Euangelii præco, v. 1.) *Baptismum resipiscentia, ad remissionem peccatorum.*

Atquæ Remissio peccatorum nihil aliud est, quàm nostra Justitia:

Rom. 4. v. 6. 7. 8. *David declarat beatum hominem eum, cui Deus imputavit justitiam, dicens; Beati, quorum remissa sunt iniquitates, quorum obteeta sunt peccata: Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* (Psal. 32. v. 1. 2.)

Ecce, æquipollet Paulo, saltèm connexum est, *Imputari justitiam à Deo, & Remitti, Obtegi, Non-imputari, peccata.*

Appl. Quapropter omnibus illis locis, in quibus sermo est, de Remissione peccatorum, adeoque de Justitia nostra coram Deo, obhæreamus, & jucundam vocem Euangelii agnoscamus.

Quàm jucunda verba illa Euangelii!

I. Tim. I. v. 15. 16. *Certus est hic sermo, & dignus omni receptione, Christum Jesum venisse in mundum, ut peccatores salvaret; quorum primus sum ego, (ait Paulus, tu dic, non postremus.) Verum ideo misertus est mei, ut in me primo ostenderet I. Christus, omnem iræ cohibitionem, ut essem exemplar credituris in eum.*

Mat. 9. v. 2. *Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua.*

Matt. 11. v. 28. *Venite ad me omnes, qui fatigati estis & onerati, & ego faciam ut requiescatis. Etenim,*

Act. 4. v. 12. *Non est in alio quoquam salus: nec enim aliud nomen est sub cælo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos salvari; quàm nomen illud Jesu Christi, crucifixi.*

Quem non reficerent hæc promissiones Euangelicæ?

Joh. 11. v. 25. 26. *Ego sum Resurrectio & Vita: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; & Quisquis vivit & credit, non morietur in æternum.*

Joh. 5. v. 24. *Amen, amen, dico vobis; Qui & c. ut sup.*

Act. 13. v. 38. 39. *Annunciatur vobis remissio peccatorum, per hunc; & ab omnibus, à quibus non potuistis per Legem Mosis justificari, per hunc (J. Christum sc.) credens quisque justificatur:*

Et quis omnes illas promissiones dulcisonas recenseret, quum illis Euangelium Christi sit plenissimum?

II. Justitiam

II. Justitiam hanc vocat, *Justitiam Dei.*

Text. *Justitia enim Dei per illud revelatur.*

Exeg. *Dei justitia vocatur, ut supra diximus:*

quia à Deo nobis gratiosè imputatur; vel, ut Lutherus vertit,
quia hæc Justitia sola coram Deo valet, & ab eo acceptatur.

Meritò autem vocatur *Justitia Dei*: quia

Joh. 3. v. 16. *Deus ità dilexit mundum, ut Filium suum & c. ut sup.*

1. Joh. 4. v. 10. *In hoc est Charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & miserit Filium suum, (quo finè?) ut esset Propitiatio pro peccatis nostris.*

2. Cor. 5. v. 21. *Deus fecit eum, qui non novit peccatum, Christum sc. ut pro nobis Peccatum esset, h. e. Sacrificium pro peccato; ut nos efficeremur Iustitia Dei, in eo, sc. Christo.*

Ut autem vocatur *Iustitia Dei*, quia à Deo nobis imputatur:

Ità etiam vocatur *Justitia Christi*, ut supra etiam diximus;

Quia illam Christus præstitit, nobisque promeritus est, nobis illà per fidem imputatà, atque sic nostrà factà.

Rom. 5. v. 15—19. *Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ità per unius obedientiam, justi multi: ut sup. Confer ea, quæ præcedunt ibidem.*

1. Joh. 2. v. 1. 2. *Quòd si quis peccarit, habemus Advocatum apud Patrem, Jesum Christum, & quidem talem, qui est Justus: Et, Ipse est Propitiatio pro peccatis nostris, & c.*

1. Cor. 1. v. 30. *Christus factus est nobis sapientia à Deo, Justitiaque, & sanctificatio, & redemptio.*

Appl. Consolemur nos hac *Iustitia Dei*, ac Christi.

Nos sumus injusti, Deus est justus, Christus justus:

Deus illam Justitiam nobis imputat, ac donat;

Adeò ut Justi coram ipso appareamus & habeamur.

Hæc est illa *Stola alba*, quâ apparemus coram facie Dei,

quæ *lota est in Sanguine Agni*, Apoc. 7. v. 14.

Quemadmodum de Josua Sacerdote dicitur, Zach. 3. v. 3. 4.

quòd esset indutus vestibibus sordidis; quas jussit Deus amoveri, dicens: *Vide transtuli à te iniquitatem tuam, ut induam te mutatis vestibibus; veste scilicet illà Jesu Christi.*

Ità & nos sordidis ac laceris vestibibus peccatorum deturpati,

imò nudi ab omni justitiâ, vestimur veste illà Justitiæ Christi;

ut Justi appareamus coram Deo, eique grati & accepti in ipso.

III. Iustitia in hanc dicit oriri, *Ex Fide, in Fidem*:

Text. Iustitia Dei per illud revelatur, *ex fide, in fidem.*

Exeg. Hinc etiam eadem Iustitia, vocatur *Iustitia Fidei*; ut & suprâ diximus.

Ioh. 3. 16. *Ut omnis qui CREDIT in eum, non pereat, sed & c.*

Ioh. 6. 46. *Hæc est voluntas ejus qui misit me, ut quisquis conficit Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & c.*

Eph. 2. 8. *Gratiâ servati estis, per Fidem: & hoc non est ex vobis, sed Dei donum est.*

Rom. 2. 28. Gal. 2. 16. *Non ex operibus Legis justificatur homo, sed tantummodo per Fidem.*

Nec tantum ideò dicit Paulus, oriri Iustitiam *ex Fide, in Fidem*, quia solâ fide acceptatur hæc Iustitia Dei & Christi;

Sed etiam propterea,

1. Quia ex exigua fide oritur magna fides:

unde & comparatur grano Sinapis, &c. *Matt. 13. 31. 32.*

2. Quia de virtute in virtutem ire debemus; ut est in *Psal. 84. 8.*

Etenim, Sicut olim Gentes de turpitudine in turpitudinem ibant;

Itâ, postquàm nos Christus ad sui communionem vocavit,

Procedemus deinceps, ac progrediemur,

à sanctitate ad sanctitatem,

à charitate ad charitatem,

à gloria in gloriam: ut est in *2. Cor. 3. 18.*

Nos autem omnes, reverbâ facie, gloriam Domini

quasi in speculo intuentes, transformamur ex gloria,

in gloriam, sicut à Domini Spiritu.

Appl. Probè hoc consideremus, facti fideles,

thes. Fidem nostram comprobabimus, novâ virtute Fidei,

eamque declarabimus per Bona opera.

test. Rom. 12. v. 1. 2. *Adhortor vos, fratres, per miserationes Dei, ejus sc.*

qui Iustitiam suam gratis nobis Imputavit, ut sistatis corpora vestra,

hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, rationalem cultum vestrum:

Et ne configurate vos seculo isti; sed transformate vos per renova-

tionem mentis vestre: ad hoc, ut probetis, quæ sit voluntas Dei,

bona illa, placens, ac perfecta. Ibidem v. 3. addit,

Prout cuique partitus est Deus mensuram fidei.

Tit. 3. 8. *Certus est hic sermo, & hæc volo te asseverare; ut,*

Qui crediderunt Deo, curent bene agendo præire.

Iac. 2. 26. *Fides, absque operibus, mortua est, & c.*

IV. Iustitiam

IV. *Justitiam hanc probat ex Scriptura V. T.*

Text. Dum ait; *Sicut scriptum est, Justus ex fide vivet.*

Exeg. Scriptum hoc est, à propheta Habacuco, *Hab. 2. v. 4.*

Justus autem ex fide sua vivet.

Id quod sæpiùs repetit Paulus, in epistolis suis: nempe,
hìc, & *Gal. 3. 11.* itèm *Heb. 10. 38.*

Nimirùm, ne existimarent Romani, novam hanc esse doctrinam,

Probat eam ex. V. T. *Hab. 2. 4. Justus ex fide sua vivet.*

Quasi dicat; injustus quidem propter injustitiam condemnabitur:

At Justus salvabitur, non propter justitiam suam. Nam,

Optima ejus justitia est, ut vestis sordida: juxta

Esa. 64. 6. (vel 10.) Sumus, ut immundus, omnes nos; & sicut panniculus commaculatissimus, omnes justitia nostræ: iniquitates nostræ, ut ventus, auferunt nos.

Verùm vivet ex Fide sua; non aliena, sed Sua.

Appl. Notetur hoc contra Papietas, qui crepant *Opera supererogationis;*

& qui Meritis aliorum, Sanctorum, volunt justificari.

Sed hac de re in futurum plura dicentur.

C O N C L U S I O .

R. Audivistis itaque nunc, in hac concione,

1. De Euangelio; quid sit? & quòd sit 1. 2. 3. 4.

2. De Justitia Dei; quid sit? & quòd sit 1. 2. 3. 4.

Paulus Apostolus ait, *Non pudeat me Euangelii Christi:*

Ità & nos non pudeat Euangelii Christi.

Alios pudeat Euangelii; & Reformatæ religionis;

Nos pudeat mundi, & mundanarum cupiditatum.

Alii eant, ex infidelitate in infidelitatem;

ex Superstitione in Superstitionem;

ex Contumacia in Contumaciam;

ex Morte in Mortem:

Nos ibimus, ex Fide in Fidem;

ex Virtute in Virtutem.

Sic quoque tandem ibimus, ex Morte in Vitam;

ex Ignominia in Gloriam.

V. Ad quam nos tandem aliquando perducatur Deus, P. F. & Sp. S.

Benedictus in omnem æternitatem, Amen.

H 3

CONCIO VI.

C O N C I O VI.

Pe Pœnis, & Peccatis Gentilium.

Textus, Rom. I. v. 18—23.

Pat et enim ira Dei, è celo, adversus omnem impietatem & injustitiam hominum; ut qui veritatem injustè detineant. Quoniam id, quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis: Deus enim eis manifestum fecit. Ipsius enim insibilia, jam indè à condito mundo, ex iis quæ fecit, mente perpensa pervidentur; aeterna videlicet ipsius, tum potentia, tum divinitas: ad hoc, ut sint inexcusabiles. Propterea quòd, quum Deum norint, tamen ut Deum non glorificaverunt, neque gratias ei egerunt: sed vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est cor eorum, intelligentiâ carens. Quum se dicuntur sapientes, stulti facti sunt: Mutârunt enim gloriam incorruptibilis Dei, in efformatam imaginem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & reptilium.

E X O R D I U M.

A Postolus in hac Epistola agit, ut minister aulæ alicujus, qui peregrino alicui curioso aulam sui domini ostendit.

Ut enim ille per varias vias incedit, ex conclavi in conclave; quædam ex longinquo, quædam in propinquo, quædam non ostendit; nec semper eadem viâ egreditur, quâ ingressus erat:

Adeò ut miretur hospes ille peregrinus, hæreatque, nescius unde, & quò venerit? ubi sit, quaque exeundum sit.

Ità & Apostolus Paulus, in hac sua Epistola, agit.

Nuperâ concione vidimus; Ut Apostolus præcipuam quæstionem in prima acie posuerit, Hominem justificari, non propriâ justitiâ, sed alienâ, Dei scil. quæ est ex fide in Christum.

Hanc quæstionem variis modis, in hac Epistola, circumducit:

1. Laborat probare, omnes homines, tam Judæos, quàm Gentes, conclusos esse sub peccato; proinde non posse operibus justificari: Gentes peccatores esse, & carere justitiâ Dei, probat *cap. 1.* Judæos peccatores esse, & carere justitiâ Dei, probat *cap. 2. & 3.*
2. Demonstrat hanc quæstionem, adductis aliquot argumentis, & exemplis, *cap. 3. & 4.*

3. Aperit

3. Aperit aliam januam, & ostendit, quales operationes habeat
Justificatio nostrî, declaratque id oppositione Peccati, *cap. 5.*
4. Non exit per eandem januam, sed ducit in contiguum conclave, docens
Justificatos etiam Sanctificari; imperfectè quidem in hac vita,
sed perfectè in futura: idque demonstrat, *cap. 6. & 7. & 8.*
5. Dehinc abducit ad Crucem, & ad Spem vitæ æternæ, *cap. 8.*
Crucem patienter esse ferendâ, cum Christo, ut cum eo glorificemur:
Spem futura respicere, & patienter expectare promissa.
6. E longinquo ostendit originem horum omnium, in Electione,
oppositaque ei Reprobatione; in qua multa non vult scrutari nos,
sed acquiescere in mysterio voluntatis Dei: *cap. 9. & 10. & 11.*
7. Tandem ducit nos in amœnissimum Hortum, Bonorum operum;
eumque lustrandum exhibet, variis flosculis, *capp. extremis.*
- P. Hoc ergo primum est, quod Apostolus in hac Epistola agit,
ut demonstret, Omnes homines peccatores esse.
Hos dividit, in Judæos & Gentes:
Judæos esse peccatores, docebit *cap. seq. 2. & 3.*
Gentes esse peccatores, docet hoc ipso *cap. 1.*
Ex quo vobis prælegimus particulam illam, *vers. 18—23.*

In qua particula duo proponuntur. Nam,

Demonstrat Paulus, Gentiles non habere justitiam, duobus argumentis;

1. Quia Deus eos manifestissimè propter peccata puniat:

2. Quia manifestissimis peccatis ac flagitiis polluti essent.

Ità ut de his duabus partibus nobis sit agendum;

I. De Pœnis Gentilium:

II. De Peccatis eorundem.

V. Deus nobis utrinque largiatur gratiam sui Spiritûs S.

Ut Pœnas Gentilium sic consideremus,

ne unquam illarum nos reos faciamus;

Ut Peccata Gentilium sic expendamus,

ne unquam ipsorum peccatis communicemus: *Amen.*

P A R S I.

De Pœnis Gentilium primo loco dicit Apostolus,

Text. His verbis; *Patet Ira Dei, è cælo, adversus omnem impietatem;*

& injustitiam hominum.

Exeg. vide pag. seq. & c.

Exeg.

Exeg. (per partes.) Dicit itaque Paulus,

1. Ira Dei:

neg. Non talis Ira, qualis est in hominibus, qui irascuntur:
Qui est affectus inordinatus, & peccans, à Deo vetitus;
De quali Ira loquitur Christus, Matt. 5. 22. *Qui irascitur
fratri suo temere, damnas erit iudicii.*

θεο. Sed per *Iram Dei* hinc intelligitur *Iustitia Dei*,
Per quam Deus, iusto suo iudicio, punit peccata. Nam,
Quia Deus est iustus, ideo *Non delectatur peccato*, Psal. 5. v. 5.
sed irascitur, h. e. punit peccata.

trans. Et ne quis putaret, hanc Dei Iram esse per exiguam, aut levem;
ideo pergit Paulus, & dicit,

2. *E Cælo:*

decl. Quo ipso significat, Deum notorie punire peccata:
Adeò ut omnibus pateat, pœnas illas accidere
non fortuito, non casu aliquo; sed oriri ex ipso *Cælo*:
Hoc est, ex singulari Dei directione & providentia.

test. Ità enim accipitur vox *Cæli*: ut in illo, Luc. 15. v. 18. 22.
Pater, peccavi in cælum, & in tuo conspectu.

3. *Patet:*

text. *Ἀποκαλύπτειται*, *Revelatur*; h. e. *Patet*, Palàm est:
Non solum in Euangelio, sed etiam in comuni *Experientia*.

decl. Nam Paulus volebat deducere suos Romanos,
Non solum in tristem statum, quem nuper ipsi senserant,
In horribilibus bellis Civilibus Romanorum, tempore
β *α* *Julii Cæsaris, & Pompeji;*
Augusti & Antonii, contra Cassium & Brutum; & c.
Quibus bellis concussus fuit totus orbis Romanus,
in Asia, Africa, & Europa: adeò,
ut nusquam esset pax, sed omnia bellis ardebant.

Sed etiam in alia bella Romanorum, cum exteris;
quibus Romani maximis cladibus fuerunt affecti: ut
In bello Gallorum, qui totam Romam subegerunt,
à Camillo exule tandem ex improvise fusi ac pulsi.
In bello Carthaginensi, primo, & secundo;
quo res Romanorum penè ad incitas fuere redactæ,
Hannibale ad portas urbis Romæ penetrante.
In infinitis aliis bellis; de quibus Florus, aliique.

α) Quinimò,

- 2) Quin imò voluit Paulus Romanis in memoriam revocare,
 horribiles illas pœnas divinas; *jam inde à condito mundo*, ut ait,
 super impietatem & injustitiam hominum, à Deo immissas. Quales sunt,
 Diluvium, super omnem carnem totius terræ immissum; idque
 propter peccata hominum, conservato solo Noâ cum suis; *Gen. 6. & 7.*
 Excidium Sodomæ & Gomorrhæ, confiniumque regionum,
 propter horrendas libidines, aliaque peccata: *Gen. 19.*
 Interitum Pharaonis obdurati, in mari rubro: *Exod. 14.*
 quum præcessissent decem horrendæ plagæ in Ægyptios effusæ.
 Excidium Cananæorum, per Israëlitas: *Jos. 2. & c.*
 Excidium illustrium monarchiarum, totius orbis terrarum;
 Chaldaicæ, Persicæ, Græcæ: *Dan. 2. & 8. & c.*
 Quin & inter gentes nota erant horrenda justitiæ divinæ judicia;
 ob varia peccata, in varias gentes, regiones, urbes, exercita.
 Sciebant enim Romani, historiarum peritissimi,
 Excidium Trojæ, ob raptum Helenæ:
 Excidium Tyri, urbis magnæ, à servis domitæ:
 Bellum Peloponnesiacum, quod ultra triginta annos duravit; in quo
 tot egregiæ urbes vastatæ, tandemque Athenæ subjugatæ:
 Spartanorum cladem, ob Scedasi filias vitiatas ac occisas:
 Thebanorum excidium; & si quæ alia.
 Tales historias Romani sciebant, habebantque complures alias;
 ex quibus satis superque intelligere poterant, imò fatebantur ipsi,
 Deum singulariter punire omnis generis impietatem & injustitiam.
- 3) *concl.* Hoc ipsum igitur est, quod in textu dicit Paulus;
Revelatur & patet Ira Dei, è cælo; & quidem,
- 4) *Super omnem Impietatem & Injustitiam hominum:*
decl. De qua utraque deinde fusiùs agetur, *parte II. & conc. seq.*
 ut & Deus peccata peccatis in Gentibus puniverit.
thes. Hæ Pœnæ omnes, certissimum sunt argumentum ejus rei,
 quam tractat in hac Epistola Paulus; Fuisse Gentes peccatores,
 nec posse gloriari eas de propria aliqua justitia,
 quæque possit consistere in judicio Dei.
- obj.* Inquiat aliquis; Si Deus punivit peccata Gentium, cur Paulus dicit?
Act. 14. 16. Deum præteritis ætatibus sive omnes Gentes,
suis ipsarum viis incedere.
Act. 17. 30. Deum tempora istius ignorantia, connivendo, dissimula-
lasse; nunc verò omnibus mandare, ut resipiscant.

2) resp. Deus Iram suam non sivit emanere, nec dissimulavit Peccata:
 Sed poenas illas ita non sivit annunciari, ut pijs in Verbo suo.
 Ideò dicitur dissimulasse peccata, quasi connivendo, Deus.
 Quòd autem illa puniverit, in irà sua, Deus, probatur, ex
 Pfal. 94. 10. *An castigator Gentium, annon reprehendat;*
 Jer. 21. 29. *Ecce, in ea civitate, qua de nomine meo vocatur,*
ego initium feci afficiendi malis; & vos omnino impunes essetis?
Non eritis impunes: nam gladium meum ego proclamo;
contra omnes habitatores terra; dictum Dom. exercituum.
 Sic quoque Jer. 49. 12. Id quod Apost. Petrus sic effert,
 1. Pet. 4. 17. 18. *Tempus est, ut incipiat iudicium à domo Dei.*
Quòd si primum incipit à nobis, quis erit finis eorum,
qui non assentiuntur Evangelio? Et,
Si justus vix servatur, injustus & peccator ubi comparebit?
 Idem certè illi eveniet, quod dicitur in Psalmo seq.
 Pfal. 75. 9. *Poculum est in manu Domini, & vinum turbidum*
in eo, plenum mixtione, ex quo fudit: Veruntamen faces
eius, quas expresserit, bibent omnes improbi terra.
 Notate; Faces exhaurient impij.

d) Appl. (in Usu duplici.)

1. Usus. Serviet hoc nobis singulari Solatio.

Si bibimus nos jam poculum justè irati Dei;
 Scimus, & certò confidimus,

Nostro bono id cedere: juxta illud Pauli,

Rom. 8. 28. *Novimus, ijs qui diligunt Deum,*
omnia simul adjumento esse ad Bonum.

1. Cor. 11. 32. *Dum judicamur, à Domino castigamur;*
ne cum mundo condemnemur.

Heb. 12. 11. *Omnis castigatio, in præsens quidem non vide-*
tur esse gaudij, sed tristitia: at postea fructum tranquil-
lum justitiæ reddit ijs, qui per eam fuerint exercitati.

Hostes verò nostros tandem quoque bibituros esse,
 & quidem Faces; h. e. graviores, quam nos poenas.

Meliùs est, nos bibere clarius, quod est in summo poculi;
 h. e. castigari, ne cum mundo condemnemur:

Quàm si faces bibere deberemus, quæ sunt in fundo poculi;

h. e. si puniendi essemus, poenâ propriè dictâ,
 etæque, cum temporali, tum aternâ.

2) 2. Usus.

2. *Usus.* Deinde, serviet id quoque nobis Admonitioni nostræ.

comp. Si non dimittet Deus impunita peccata eorum hominum, quibus verbum suum non revelavit, aut purè dedit;

Quantò magis puniet eos, quibus se in Verbo suo patefecit, quosque clarâ luce Evangelii collustravit?

test. Notate illud Domini nostri Jesu Christi, Luc. 12. v. 47. 48.

Servus ille, qui novit voluntatem domini sui, & neque se comparavit, neque fecit, ex ejus voluntate, cadetur multis plagis. Qui verò non novit, & fecit digna plagis, cadetur paucis plagis; h. e. paucioribus & levioribus.

Notate & illud ejusdem Domini Christi, Matt. 11. v. 21—24.

Va tibi Chorazin, va tibi Bethsaida: Nam si Tyri, & Sidone, edita fuissent virtutes, quæ edita sunt apud vos, olim cum sacco & cinere sedentes resipuissent. Quin etiam dico vobis; Tyro, & Sidoni, tolerabilior erit conditio, in die judicii, quàm vestra.

Ei tu Capernaum, quæ es usque ad cælum elata, usque ad inferos deprimèris: Nam si Sodomis edita fuissent Virtutes, quæ edita sunt apud te, mansissent usque ad hodiernum diem. Quin etiam dico vobis; terra Sodomorum tolerabilior erit conditio, in die judicii, quàm tua.

ampl. Id illi cum primis observabunt, qui licentiùs peccant, quàm Gentes olim peccârunt, aut adhuc peccant:

Atque cogitabunt, Iram Dei passim revelari hoc tempore; & procul dubiò, progressu temporis, ampliùs revelatum iri.

Certè, Occultè peccantes, Palàm punientur: &

Qui in terris neminem timent, licenter omnia agentes, Iram Dei tandem, è cælo expectabunt.

rat. Etenim, non patitur se ludificarì Deus: &

Pfal. 11. 7. *Iustus est Jehova, quæ justa sunt diligit; rectum aspicit vultus ejus.*

Pfal. 119. 137. *Iustus est Deus, & justa judicia ejus.*

Est quidem Misericors Deus, sed ità, ut etiam sit Justus: ut in illo,

Exod. 34. 6. 7. *Jehova, Jehova, Deus misericors, & gratiosus, & longanimis, & c. condonans iniquitatem, & peccatum, & c. Et qui ullo pacto non absolvit sòntem, visitans iniquitatem patrum in filios, & filios filiorum, & c.*

trans. Hac de Pœnis Gentilium; Sequuntur Peccata.

P A R S II.

Peccata Gentilium quod attinet,

Text. De illis Paulus primùm, in genere, dicit; *Adversus omnem impietatem,*
& injustitiam hominum.

Part. Quia Paulus Gentes peccati arguit, Legem sibi proponit, dicitque,
 Gentes contra utramque tabulam Legis peccasse;

1. *Impietate*, contra tab. I. De hac hic agit, in textu prælecto:

2. *Injustitiâ*, contra tab. II. De qua agit in sequentibus verbis, *cap. 1.*
 quæ reservabimus in sequentem concionem VII.

Tract. De *Impietate Gentium*, in specie, agit Paulus,

Text. His verbis; *Ut qui veritatem injustè detineant.*

Exeg. Quid sibi vult Apostolus his verbis?

1. *Per Veritatem* intelligitur, Scientia boni & mali;
 quòdque sciverint differentiam æqui & iniqui.

Atque ità per *Veritatem* intelliguntur, Reliquiæ Imaginis Dei:
 quòd homo scit, & persuasus est in corde suo,
 Esse Deum, qui Justus sit, & Puniat peccata.

De hac *Notitia Dei* Paulus ait, quòd illa sit

2. *Detenta in injustitia*, à Gentibus: hoc est,
 Quòd Gentiles, proprios affectus sequuti, *Notitiam* illam
 Dei, ut & æqui bonique, planè in cordibus suis *detinuerint*;
 h. e. obliterârint, suppresserint, corruerint, aboleverint.

Veluti Medea apud Ovid. ait,

— *Vsdeo meliora, proboque,*
Deteriora sequor.—

Prop. Hic igitur de duobus illis breviter deinceps dicemus;

1. De *NOTITIA* illa Dei:

2. Quomodo illa *DETINEATUR*?

I. *NOTITIAM* illam quod attinet, de ea Paulus in seqq. verbis:

In quibus Tria hæc definit;

I. *In qua re illa Notitia consistat?*

Text. Quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis.

Exeg. Gentes non habent naturalem cognitionem mysteriorum Dei: nam,

1. *Cor. 2. 14.* *Animalis homo non est capax eorum, quæ sunt*
Spiritus Dei: sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere,
quia spiritualiter dijudicantur.

Q. Doct.

¶ *Doct.* Sed habent Gentes cognitionem ejus,
thes. Quod, extra Dei verbum, cognosci & indagari de Deo potest;
 ex libro scilicet Naturæ.

¶ *decl.* Hoc est, quod Theologi dicunt, Hominem ex natura habere,
 Aliqualem cognitionem Dei, ut Creatoris;
 At non salutarem cognitionem Dei, ut Redemptoris:
 Hanc enim habemus tantum ex Verbo Dei.

3. Unde hæc Cognitio naturalis Dei oriatur?

¶ *Text.* Docet id Paulus, sequentibus verbis; *Deus enim eis manifestum fecit.*
 Quomodo autem manifestum fecit? *Ipsius enim invisibilia, inquit,*
jam inde à condito mundo, ex iis quæ fecit, mente perpensa pervi-
dentur; æterna videlicet ejus, tum potentia, tum divinitas.

¶ *Exeg.* Quasi dicat;

Non solum Deus homini dedit Animam rationalem
 Per quam, licet corruptam, cognoscere potest, Esse Deum. Nam,
 Quia Anima à parentibus non transplantatur, sicut corpus;

sed à Deo ipso infunditur: unde dicitur, quod

Act. 17. 29. *Progenies Dei sumus.*

Eccl. 12. 7. (9.) *Pulvere (h. e. corpore) redeunte in terram,*
quemadmodum fuerat; Spiritus (h. e. anima) redit ad Deum,
qui dederat illum: Inde Pater spirituum, Heb. 12. 9.

Semper igitur Anima retinet scientiam Dei (quæ *Insita*;))

Quamvis enim impii ore negent Deum; ut est in *Psal. 14. 1.*

Dicit stultus cum animo suo, Non est Deus:

Tamen in corde suo convincuntur, Esse Deum; teste

Pavore Dei, quem conantur cordibus excutere, Psal. 36. 2.

Sed etiam confirmat hæc Notitiam Deus, (quæ *Acquisita*;))

¶ *thes.* Per librum Naturæ; hoc est, Per opera Dei, cum primis

Creationis, Conservationis, & Gubernationis:

¶ *text.* Ut in textu; *Ex iis quæ fecit, mente perpensa pervidentur*

Invisibilia ejus; æterna sc. ejus & potentia & divinitas:

Hoc est, Esse Deum; & Omnipotentem eum esse, &c.

¶ *test.* Idem testatur Paulus alibi,

Act. 14. 17. *Quoniam non passus est se expertem testimo-*
nii, bona tribuendo, dans nobis cælitus pluvias, ac præsti-
tuta tempora fructibus perferendis, implens cibo &c.

Act. 17. 27. 28. *Quoniam profecto non longè abest ab*
unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, & movemur,

& sumus.

I 3.

¶ *conf.*

n) conf. (Confirmatio theses, ex testimoniis, & exemplis Gentilium.)

test. Quis tam stupidus, (inquit Cicero,) qui quum cœlos aspexerit,
& opera Dei considerarit, non credat esse Deum?

Hinc Poëta quidam, *Præsentemque refert, qualibet herba Deum.*

Itẽm, *Et levis est cespes, qui probat esse Deum.*

Quot flores, fructus, &c. tot sunt argumenta, esse Deum:

Et quis est, qui non ad Tonitrua exhorrescat?

exẽp. Tiberius, & C. Caligula, notitiam numinis excutientes,
tamen reipsa testati sunt, esse Deum, vindicem malitiæ.

Tiberius supra modum tonitrua horrebat:

Caligula caput ad fulgetra obvolvitur, sub terra latuit.

Quo ipso significarunt, convictos se esse in corde suo,

Esse Deum, vindicem peccatorum, istiusque profanitatis.

o) concl. Rectè igitur Apostolus Paulus in textu ait; *Τὸ γνωστὸν τῷ Θεῷ*

Manifestum esse in ipsis: Deum enim eis manifestum fecisse.

*Ipsius enim invisibilia, divinitatem sc. & potentiam, ex iis
qua fecit, mente perpensa, pervideri.*

*) add. Ut & David, ex Creatione Dei, cunctorumque Gubernatione,
considerat Potentiam Dei, firmatque ejus Bonitatem & gratiam;

Psal. 8. v. 4-10. *Quum respicio cœlos tuos, opus digitorum tuo-
rum, lunam & stellas, quas statuisti: Quid est mortalis, quod visi-
tas eum? Præfecisti eum operibus manuum tuarum; omnia posui-
sti sub pedibus ejus, &c. Jehova, Domine noster, quàm ma-
gnificum est nomen tuum, in universa terra!*

Psal. 19. 2. *Cœli enarrant gloriam Dei: &c.*

Psal. 104. totus in hoc ipso occupatur. Itẽm

Psal. 147. 8. &c. *Qui obtegit cœlos densis nubibus, qui comparat
terræ pluviam, &c. Dat jumentis cibum suum; pullis corvorum
qui crocitant. Laudate Deum, &c. Qui edit nivem, sicut la-
nam, pruina quasi cinerem dispergit: Dejicit gelu suum tan-
quam frusta; coram frigore ejus quis consistat? Emittens ver-
bum suum, liquefacit ista, simul ac efflat ventum suum, efflu-
unt aquæ. Hallelujah.*

*) Appl. Si Gentiles cognoscunt Deum, ut Creatorem, ex libro Naturæ:
Quid nos faciamus, qui habemus eundem Librum; veruntamen,
non solum, sed insuper etiam accepimus librum Scripturæ?
Abjiciamus igitur omnem profanitatem, & fœcordiam;
ne ipsis Gentilibus videamur deteriores.

3. Quid

3. *Quid illa Notitia in Gentibus operetur?*

Text. Paulus id ipsum quoque paucis verbis expedit, dum ait;

Ad hoc, ut sint inexcusabiles.

Exeg. Deus homini nihil debebat:

Nihilominus eum creavit, in perfecta sapientia & iustitia.

Quumque deficeret homo, seque ipsum sponte his mulctaret,

Deus reliquit naturalem Notitiam suam, boni ac æqui;

Ne planè obbrutesceret, nihilque reliqui esset,

ad conservandam disciplinam inter homines.

Itaque, hoc vult dicere Paulus, tantò reprehensibiliores esse Gentes,

quòd & à Deo, ejusque Imagine defecissent,

& reliquijs Imaginis abusæ sint, ad idololatriam.

Doct. Hinc videmus, Deum & ipsis impijs benefacere;

thes. Veruntamen, hoc fine, ut eos reddat inexcusabiles: indèque,

ut gravius eis iudicium conciliet;

mitius verò iudicium, si se aliquatenus attemperent.

decl. Benefacit ergò & impijs ac peccatoribus Deus: ut,

Matt. 5. 45. Facit ut Sol suus exoriatur, super malos & bonos;

& pluit super justos & injustos, Deus.

Act. 14. 17. Non passus est Deus se expertem testimonij,

bona tribuens, &c. ut supra.

Verum enim verò, hæc beneficia Dei non tendunt ad Salutem;

Sed ad Inexcusabilitatem, graviusque aut mitius iudicium.

text. Testatur id Paulus expressè, in textu; *Ad hoc, ut sint inexcusabiles.*

test. Idem testatur Christus, *Joh. 9. 41. Si cæci essetis, non haberetis*

peccatum, (tantum sc.) Nunc verò dicitis, Videmus: itaque,

Peccatum vestrum manet. Hæc de Inexcusabilitate:

De Graviori verò iudicio ait, *Luc. 12. 47. Ille servus, qui novit vo-*

luntatem domini sui, &c. ut supra.

De Mitiori iudicio, *Ibid. v. 48. itèmmatt. 11. 21. 24. ut sup. inf.*

Usus. Probè itaque hoc consideremus, beneficijs affecti à Deo: juxta

Rom. 2. v. 4. 5. An divitias benignitatis Dei, & tolerantia, &

ira cohibita, contemnis, ignorans, benignitatem Dei ad

resipiscentiam te adducere? Sed tu, pro duritia tua, &

corde resipiscere nescio, ipse tibi thesaurum recondis, in

diem ira, & revelationis iusti iudicij Dei.

Confer & exemplum, supra allatum, ex *Matt. 11. v. 21. - 24.*

de Tyro, Sidone, Sodomis, mitius iudicandis, præ alijs.

II. DETENTAM

II. DETENTAM Notitiam hanc quod attinet: de illa Paulus,
 Text. In genere sic; *Ut qui Veritatem injustè detineant:*

Hoc est, Gentiles, obsecundati cupiditatibus suis malis,
 cognitionem hanc detinuerunt, atque in se suppresserunt;
 Eâque abusi sunt, ad impietatem & idololatriam:
 ut nunc porrò declarat, atque dicit

In specie sic; *Propterea quòd, quum Deum norint, tamen ut Deum
 non glorificaverunt, neque gratias ei egerunt: sed vani facti sunt
 in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est cor eorum, intelligen-
 tiâ carens: quum se dicènt sapientes, stulti facti sunt. Mutâ-
 runt enim gloriam incorruptibilis Dei, in efformatam imaginem cor-
 ruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & reptilium.*

Exeg. Quibus verbis Apostolus, multa paucis complectitur,
 part. Et duo dicit;

1. Quòd Deum non coluerint, ut eum coli oportebat: Et quidem,
 Quòd non glorificaverint; ad quod tamen primitus erant
 creati, ut omnia, *Psal. 19.2. Prov. 6.4. &c.*

Quòd gratias ei non egerint; qui tamen iis benefecerat,
 & in media perniciè reliquias imaginis fecisset, *text.*

2. Quòd incorruptibilem Deum efformârint corruptibili imagine
 Creaturarum, *Hominis, Volucrum, Quadrupedum, Reptilium:*
 e. g. Vaccarum, Serpentium, Draconum, Crocodili;
 adde &, Porri, Caparum, &c. ut *Ægyptij.*

Testatur Varro, Romanorum doctissimus, innumeros Deos
 fuisse, ut Augustinus Gentilib. exprobrat, *lib. de Civit. Dei.*

prol. Potuissent Romani regerere; Fecisse hoc plebeculam rudem,
 sed Sapientes melius scivisse, & subfuisse sapientiam figmentis.

Minimè verò, inquit Paulus; *Quum se dicènt sapientes,
 stulti facti sunt.* Nimirum,

Sicuti Sapientia Dei Philosophis Stultitia censetur, *1. Cor. 1.23.*

Ità Sapientia mundi est Stultitia coram Deo: ut *ibidem,*

test. *1. Cor. 1.19.20. Scriptum est enim; Abolebo sapientiam sapientum,
 & intelligentiam intelligentium tollam è mediò. Ubi sapiens?
 ubi Scriba? ubi disquisitor seculi istius? Nonne infatuavit Deus
 sapientiam mundi hujus? Addit deinde, ibidem,*

*1. Cor. 1.26.27.28. Cernitis vocationem vestram, fratres, vos videlicet
 non esse multos sapientes, secundum carnem, &c. Verum, quæ
 stulta sunt mundo, elegit Deus, ut pudefaciat sapientes, &c.*

a) Doct.

a) *Doct.* Hinc igitur perspiciamus, Quàm grave sit peccatum,

1. Deo non agere gratias, pro acceptis beneficiis.

rat. Non possumus respirare, absque Dei gratia;

| & tamen nulla suspiria ad Deum diriguntur.

test. Deut. 32. 6. An estis repensuri Jehovah istud, popule stulte & insipiens? Nonne ipse est Pater tuus, Redemptor tuus? nonne ipse magnificavit te, & confirmavit te?

2. Deum efformare imagine mortalis creaturæ; aut, ut Paulus ait,

Gloriam incorruptibilis Dei mutare, in imaginem

Corruptibilis hominis, volucrum, quadrupedum, reptilium.

Usus. (2. *Doct.*) Quid ad hæc dicent Papistæ?

Qui depingunt SS. Trinitatem, corruptibili formâ,

Patrem, formâ cani viri, prolixâ barbâ;

Filium, formâ demortui, aut juvenis viri;

Spiritum Sanctum, formâ columbæ: &c.

Proferant quicquid velint, non se excusabunt ab hoc peccato:

hoc ipso magis arguendi, quòd Christianos se gloriantes;

tamen Gentilibus se hac in parte conformant.

Dicant etiam se sapientes, se in gloriam Dei hæc facere; tamen

Verum est, quod hîc Paulus ait, se *Vanos factos, Stultos esse.*

Deo sit laus, quòd ab hac idololatria liberati sumus, & liberi:

Monendi tamen, ne ejusmodi picturas toleremus, habeamus.

Peccatum est facere, peccatum est tolerare tales imagines.

CONCLUSIO.

R. Audivistis ità, Gentiles carere justitiâ, quæ coram Deo consistat;

1. Quia Deus illos Punit, ut peccatores:

2. Quia Peccârunt graviter, adversus 1. & 2. tabulam Legis:

tùm *Impietate*, & idololatriâ; de qua modò dictum:

tùm *Injustitiâ*, aliisque flagitiis; de quibus in seq. concione.

C. Audivimus, Deum dedisse Gentilibus librum *Naturæ*; ex quo potuerunt cognoscere Deum: sed abusos eos esse illo, ad idololatriam fœdam.

Nobis Deus non solum dedit librum *Naturæ*, sed & *Gratiæ*, & *Scripturæ S.*

Væ illi, qui & hoc libro abutitur, ad idololatriam:

Gravius illi iudicium imminet, quàm cæcis Gentibus.

V. Ab hoc iudicio nos clementer conservet Deus, P. F. & Sp. S.

benedictus in omnia secula, Amen.

K

CONCIO VII.

C O N C I O VII.

De Injustitia Gentilium, ejusque Causa.

Textus, Rom. I. vers. 24. usque ad fin.

Quamobrem etiam tradidit eos Deus, cupiditatibus cordium ipsorum, ad impuritatem, ut fœdarent corpora sua inter se. Ut qui Dei veritatem transmutârunt in falsitatem, & coluerint res conditas, ac servierint eis, præterito Conditore, qui est benedictus in secula, Amen. Propterea, inquam, tradidit eos Deus fœdis affectibus: Nam & fœmine illorum transmutârunt naturalem usum, in eum qui est præter naturam. Similiterque etiam masculi, relicto naturali usu fœmine, exarserunt suâ libidine alius in alium, masculi in masculis fœda perpetrantes; & compensationem (quam oportuit) erroris sui in sese recipientes. Et sicut non visum est eis, Deum in notitia retinere: ita tradidit eos Deus, in mentem omnis judicii expertem, ut facerent quæ minime conveniunt. Oppleri omni injustitiâ, malitiâ, scortatione, improbitate, avaritiâ; pleni invidiâ, cœde, contentione, dolo, malignitate: Susurriones, obloquentes, Dei osiores, injuriosi, superbi, gloriosi, inventores malorum, parentibus non obedientes: Desipientes, fœdifragi, charitatis expertes, implacabiles, immisericordes. Qui Dei jure agnito, (nempe, eos qui talia faciunt dignos esse morte,) tamen non solum ea faciunt, sed etiam facientibus consentiunt ultrò.

E X O R D I U M.

PAulus Apostolus, in hac ipsa Epistola ad Rom. 3. v. 9. ait;
Antè criminati sumus, & Judæos & Græcos, omnes esse sub peccato.
 Ex quibus verbis patet, verum esse quod supra diximus, Paulum Primò hoc agere, ut demonstret; Omnes homines peccatores esse, & carere justitiâ, quæ coram Deo consistat: ut Rom. 3. 23.
 Hoc ut probet, dividit totum genus humanum, in Judæos & Gentes: Judæos esse peccatores, demonstrabit Rom. 2. & 3.
 Gentiles esse peccatores, demonstrat hoc ipso capite, Rom. 1.
 1. Quia Deus illos Puniverit, ut enormes peccatores:
 2. Quia graviter illi Peccârint, & quidè Impietate & Injustitiâ.
 Audivimus

Audi vimus superiori concione, ut Deus semper puniverit peccata; & Gentes peccaverint, contra 1. tab. *Impietate* & idololatriâ:

Jam sequitur, in verbis prælectis, ut peccârint contra 2. tab. *Injustitiâ*, Non solum contra Proximum, sed etiam contra Semetipsos; Et, unde hæc peccata omnia sint orta, inter Gentiles.

Certum autem est, quod Paulus suprâ dixit, *Euangelium esse potentiam Dei, ad Salutem, omni credenti*: quia in eo reveletur *Justitia Dei*.

Justitiam Dei in Euangelio revelari, primò ex eo probat;

Quia in Euang. *revelatur Ira Dei, super omnem impietatem & injustitiam*.

Ut enim Noctu omnia latent, nec videtur quid pulcrum quid deforme sit; sed Sole exorto, hæc omnia facilè perspicere possumus:

Ità Euangelio tacito inter Gentes, peccata non ità apparebant;

codem verò exorto, didicerunt Gentes, propria injustitiâ agnoscere, atque alienam quærere, nempe in Jesu Christo, Redemptore.

P. Quia ergo suprâ vidimus, ut peccârint Gentes, contra 1. tab. *Impietate*;

Nunc pergemus, visuri, ut peccârint, contra 2. tab. *Injustitiâ*:

Idque ex verbis prælectis; in quibus duo proponuntur,

I. *Injustitia Gentium, h. e. Peccata contra tab. II.*

II. *Unde hæc Injustitia sit orta.*

V. Deus largiatur gratiam: detque, Injustitiam Gentium sic consideremus,

Ut nos, qui Christiani sumus, probro nobis ducamus,

conformare nos cæcis Gentilibus; contrà verò,

Percurramus, viâ bonorum operum, ad vitam æternam: *Amen.*

P A R S I.

Gentes violasse secundam Tabulâ Legis, *Injustitiâ*, non diligendo Proximum, *Præp.* Id probat Paulus ex eo, quia Legem Naturæ transgressi sint, eo ipso, quòd non dilexerint Se ipsos.

Amor enim Proximi sequitur Amorem Suiipsius; juxta regulam, Matt. 22. 39. *Diliges Proximum tuum, sicut Te ipsum.*

Matt. 7. 12. *Quaecunque volueritis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis: ista enim est Lex, & Prophetæ.*

Ergo &, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Prop. Probat igitur Injustitiam Gentilium Paulus, ex duplici fundamento;

1. *Quòd Seipsos non dilexerint:*

2. *Quòd Proximum non dilexerint.*

Tract. Quorum duorum tractatione absolvetur *Pars I.* concionis: pag. seqq.

I. Quòd Seipfos non dilexerint.

Text. Idipsum Paulus his verbis declarat, *vers.* 24. Vixisse Gentiles
In cupiditatibus cordium ipsorum, ad impuritatem;
Ut fœdarent corpora sua, inter se.

Quid hoc, quòd Corpora propria ignominiâ affecerunt?

Id declarat Paulus sequentibus verbis, *vers.* 26. 27.

Nam & Fœminæ illorum, transmutârunt naturalem usum,
in eum, qui est præter naturam.

Similiterque etiam Masculi, relicto naturali usu fœminæ,
exarserunt suâ libidine, alius in alium,
masculi in masculis fœda perpetrantes.

Exeg. Hæc horribilia peccata sunt, Auditores,
 de quibus non multa audemus proferre.

Scimus, Deum ab initio dixisse; *Non est bonum, hominem esse solum:*

Faciâ ei auxilium, commodum ipsi, Gen. 2. 18. Adedque,

Naturale esse, Virum agglutinari uxori, Uxorem viro; qui duo sunt
in carnem unam: ut ibid. Gen. 2. 24. sic Matt. 19. 5. Eph. 5. 31.

Sed quid fecerunt Gentes? Paulus dicit

Fœminas fœminis fuisse conjunctas, ac nefariè commixtas:

Masculos masculis fœdè fuisse commixtos:

quæ Sodomia propriè dicitur, ex Gen. 19. v. 5. & c.

Rectè idem Paulus ait, *Eph. 5. 12. Quæ occultè fiunt ab istis,*

turpe est dicere. Unde & nos parcemus piis auribus,
non audentes plura de hac turpitudine manifestare.

Appl. Deo sit gratia, hæc peccata planè apud nos incognita esse:

exp. Quanquam in Italis & Hispanis multi id experti sint;

qui etiâ, ut Gentes, *compensationem erroris sui,* horribilis scilicet
 idololatriæ & impietatis, *in sese receperunt:* ut in *text.* v. 27.

comp. Scortatio & Adulterium satis gravia sunt peccata;

Graviora, quæ hîc de Gentibus dicuntur.

Quamvis & inter Romanos præfules quidâ (Casus Cardinal.)
 peccatum Sodomix, edito scripto, collaudare non erubuerit.

test. Sufficiat nobis, quod Paulus alibi scribit, *I. Cor. 6 v. 9. 10.*

Ne errate: neque scortatores, neque idololatra, neque mechii, neque

Molles (cynedi,) neque concumbentes cum masculis (ἀρσενικοί ται,)
neque fures, & c. regni Dei hereditatem possidebunt.

Confer & illud ejusdem, *Eph. 5. v. 3-12.*

Itèm legem Mosi datam, *Lev. 18. v. 22, 23. & c.*

II. Quòd

II. Quòd non dilexerint Proximum.

Text. De eo Paulus in genere sic, vers. 28. *Ut facerent, quæ minimè conveniunt: oppleti omni iniustitiâ.*

Deinde in specie attexit satis longum catalogum, variorum vitiorum, quibus se polluerant Gentiles, vers. 29. 30. 31. *Oppleti omni iniustitiâ, Malitiâ, Scortatione, Improbitate, Avaritiâ; Pleni Invidiâ, Cæde, Contentione, Dolo, Malignitate: Sufurrones, Obloquutores, Dei-oso- res (Θεοσυβίς,) Injuriosi, Superbi, Gloriosi, Inventores malorum, Parentibus non obedientes: Desipientes, Fedifragi, Charitatis expertes, Implacabiles, Immisericordes.*

Denique, quòd non solum ea faciant, sed etiam facientibus ultrò consentiant: (de quibus in seq. concione porrò agetur, cum cap. 2.)

Exeg. In summa: Non est præceptum secundæ Tabulæ, contra quod Gentes non insigniter peccârint. Peccaverunt enim, contra Præceptum

V. Inobedientiâ in parentes.

VI. Invidiâ, Cæde, Contentione, Malitiâ, Malignitate: Injuriosi, Inventores malorum, Charitatis expertes, Implacabiles, Immisericordes Atque ità commiserunt homicidiû, externum,

VII. Scortatione: Superbi, Gloriosi. [internum.

VIII. Improbitate, Avaritiâ, Dolo: Desipientes, Dei osores.

IX. Sufurrones, Obloquutores, Fedifragi, Gloriosi.

X. Mente omnis iudicij experte, Cupiditatibus indulgentes.

Appl. Inspicite hunc peccatorum catalogum, Auditores, atque *thes.* Considerate, num & vos his vitiis fitis contaminati.

comp. Si Gentilium sint hæc peccata, cur ergo nos Christiani iisdem participaremus? Imò deteriores Gentilibus erimus, hæc patran- tes, quia fidem Christi, & communionē Sanctorum profiteamur.

spec. Perpende hoc, ô quisquis inobediens es parentibus, superioribus; quisquis occidis, immisericors, implacabilis, expertis charitatis es; quisquis scortaris, mœcharis, corpus tuum impuritate polluis; quisquis furaris; avaritiâ, dolo, defraudas proximum; quisquis mentiris, fallis, convitiaris, calumniaris; quisquis frænum concupiscentiæ, & cupiditatibus malis laxas:

Deterior es Gentilibus. Proinde, resipisce in tempore: ne & poenæ Gentilium super te veniant; iisq; graviores, quò gravius peccas.

test. Rom. 13. v. 12. 13. 14. *Nox processit, dies autem propinquat. Abjiciamus igitur opera tenebrarum, & induamur habitu qui luci conveniat. Ut interdum ambulemus &c. non in cubilib. lascivius, &c.*

P A R S II.

Quæ Causa fuerit hujus tantæ Injustitiæ in Gentibus?

Præp. Paulus etiam *in textu* recludit fontem, ex quo hæc Gentilium Injustitia ac fœditas promanârit; docetque, profluxisse illam Ex *Impietate* ac idololatria illa, de qua superiori conc. est actum: Ità ut Deus eos justissimo judicio propterea puniverit; Ipsosque ex uno peccato in aliud prolabi permiserit. Hæc enim duo simul sunt consideranda, primum quidem, Gentilium *Impietas* & idololatria; alterum, Deum eos propterea *Cupiditatibus cordis sui* permisisse.

Text. Prout dicit, in verbis prælectis, vers. 24.

Quamobrem etiam tradidit eos Deus, cupiditatibus cordium ipsorum, ad impuritatem; ut fœdarent corpora sua inter se.

Quamobrem, inquit; nempe, Quia mutârunt gloriam incorruptibilis Dei, in imaginem corruptibilis hominis, &c. ut dixerat sup. vers. 23.

Repetit idipsum hîc Vers. 25. *Ut qui Dei veritatem mutârint in falsitatem, & coluerint res Creatas, ac servierint eis, præterito Creatore; qui est benedictus in secula, Amen.*

Iterum dicit, Vers. 26. Propterea tradidit eos Deus fœdis affectibus: *Nam & feminae eorum, &c. Vers. 27. Similiterque etiam masculi, &c. Et compensationem (quam oportuit) erroris sui, in sese, recipientes.*

Rursus idem dicit, Vers. 28. *Et sicut non visum est eis, Deum in notitia retinere; ità tradidit eos Deus, in mentem omnis judicij expertem, ut facerent quæ minimè conveniunt.*

Exeg. Expendamus hæc nonnihil:

decl. Tradidit eos Deus, ait; hoc est,

1. Lucem cognitionis naturalis, quæ supererat, abstulit:
2. Satanæ potestatem dedit, ut eos ad fœditatem impelleret.

Nam duplici modo Tradit Deus impios,

1. Subtrahendo illis gratiam; quæ est *Desertio*.
2. Tradendo illos proprijs affectibus; quæ est *Induratio*: quæ *Traditio Satanæ* dicitur; ut 1. Cor. 5. v. 5. Confer, Eph. 2. v. 2. *Spiritus agens in hominibus contumacibus.*

2. Tim. 2. 26. *A Diabolo captivi facti, ad ipsius libitum.*

Utraque justa est, ex justo Dei judicio orta: ut suprâ dictum, quia ità suis peccatis promeruerant impij.

*)obj.

a) *obj.* Quid igitur? Estne Deus causa peccati, in Gentilibus?

Minimè verò: Sed

Gentiles peccârunt à seipsis, petulanter & contumaciter;
Ideò illos Deus dereliquit, tradidit affectibus & Satanæ.
Et non est illis facta injuria: Justè ità factum est à Deo.

Ità oportuit, inquit Paulus, in textu, *vers.* 27.

Compensationem erroris sui in sese receperunt. Nota,

ἀντιμισθία, q. d. *contra-mercedem*, *tegen-loon*:

ἢ ἰδέε, h. e. *quam oportuit*, quæ eos decebat.

b) *caus.* Eccur verò oportebat? Quia Gentiles

Mutârunt gloriam incorruptibilis Dei, in efformatam imaginem,
corruptibilis hominis, volucrum, quadrupedum, reptilium: ut sup. v. 23.

Mutârunt veritatem in falsitatem, & coluerunt Creaturas,
præterito Creatore: ut hîc, vers. 25.

Sicut non visum est eis, Deum in notitia retinere; ità tradidit eos
Deus, in mentem omnis iudicii expertem, ut facerent ea,
quæ minimè conveniunt: ut & hîc Paulus, vers. 28.

Quum Deum norint, tamen ut Deum non glorificaverunt, nec grati-
as ei egerunt; sed vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & ob-
tenebratum est cor eorum, intelligentiâ carens; quum se dictitent
sapientes, stulti facti sunt: ut supra, vers. 21. 22.

Hæ causæ veræ, ob quas Deus Gentiles deseruit, tradiditque eos pro-
priis cupiditatibus, fœdis affectibus, Satanæ: *Propterea, ait.*

c) *Appl.* (in *Doctrina, Usu, & Quæstione.*)

Doct. Hinc discimus Justum Dei iudicium, super ingratis.

thes. Quum homo primam gratiam à se repellit, imò & secundam;
tunc Deus illam planè retrahit, ac tollit,
traditque eum propriis cupiditatibus, imò Satanæ,
ut eum in pravis illis cupiditatibus exerceat.

exēp. Exemplum hîc habemus, in *Gentilibus.*

Deus illis dederat librum Naturæ, ex quo cognoscebant,

Esse Deum: quæ tam effera gens, quæ id neget? ait Cicero.

Deum esse Spiritum; adeoque in Spiritu colendum:

juxta illud distychum Catonis, Romani Cenforis;

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,

Hic tibi præcipue sit purâ mente colendus.

Justè esse vivendum: Peccatores à Deo puniri;

& quidem graviores gravioribus pœnis, mitiùs alios.

3) Hæc

- δ) Hæc omnia sciebant Gentiles, ex Natura: Nihilominus, cognoscentes
Esse Deum; negabant esse Deum, ut est in *Psal. 14. 1.*
Deum esse Spiritum; mutarunt gloriam incorruptibilis Dei,
 in efformatam imaginem corruptibilium Creaturarum.
In Spiritu esse Deum adorandum; non glorificaverunt eum,
 nec gratias ei egerunt, nec servierunt ei ut conveniebat:
 imò Creaturas magis honorarunt, quàm Deum Creatorem;
 si Deum honorarent, faciebant id sub forma Creaturæ.
Iuste vivendum esse, Peccata puniri; non observabant id, sed
 Si diceret Natura, Castè esse vivendum; dicebant illi,
Non est flagitium, scortari ingenuum adolescentem, ut in Terent.
 Si diceret Natura, Avaritiam esse fugiendam; illi agebant,
Luxuri bonus odor ex re qualibet, ut T. Vespasianus: &c.
 Idcirco etiam Deus Gentiles justè punivit, atque
 Abstulit ab illis, quod dederat, scil. scintillam notitiæ divinæ,
 ut tanquam bestię inceserint, obbrutuerint, stulti facti sint:
 Tradidit illos propriis cupiditatibus, affectibus, Satanæ; ut
 non modò porrò peccarent, in Deum, in Proximum,
 sed & in Seipos, scedantes propria corpora: ut sup. dictum.
- ε) Idem clariùs perspicere possumus, in *Judeis*.
 Deus his non tantùm dederat librum Naturæ, ut & Gentilibus;
 sed & Scripturæ, dignatus eos Verbo suo, præ aliis populis: ut
Psal. 147. 20. Non fecit ita ulli genti. Sic Rom. 2. v. 1. 2.
 Sed semper illi Spiritui S. restiterunt; ut Stephanus illis exprobrat,
Act. 7. 51. Duri cervice, & incircumcisi corde & auribus; vos semper illi
Spiritui S. obnitimini: quales fuere patres vestri, tales & vos estis.
 Idcirco illos etiam Deus, justo suo iudicio, excæcavit: ut
 Comminatur, *Esa. 6. v. 9. 10. I ut dicas populo isti: Audite indefinenter,*
ac ne intelligatis; & videte indefinenter, neque cognoscatis. Fac ut pin-
guescat cor populi istius, & aures ejus fac ingravescant, oculique ejus
fac ut conniveant: ne videat oculis suis, & auribus suis audiat, & cor-
de suo intelligat; seque convertat, & sanitas obveniat ei.
 Confer, *Matt. 13. v. 14. 15. & Act. 28. v. 26. 27. & Joh. 12. v. 39. 40. & c.*
 Deflet Christus, *Luc. 19. v. 41. 42. Si vel tu nosset, hoc saltè die tuo, quæ*
ad pacem tuam pertinent: Sed ea nunc occulta sunt oculis tuis.
 Quasi dicat; Actum est de te, Jerusalem: excæcata es, tradita es in re-
 probum sensum. Noluit agnoscere; jam non potes cognoscere,
 quia punita es, justo Dei iudicio, ob peccata contumaciæ tuæ.

ζ) Ità &

ζ) Ita & haud dubiè accidit *Papistis*,
 Deus illos, super hæc omnia, quæ Gentibus & Judæis dederat,
 Deduxerat ad lucem Euangelij.
 Sciebant igitur ex illo,
 Deum non esse efformandum ullâ imagine;
 Salutem in solo Christo esse quærendam.
 Nihilominus se idolis fœdissimè polluerunt;
 Superstitiones infinitas Euangelio affuerunt:
 Quærunt salutem suam, non in solo Christo, unico Mediatore;
 sed etiam, in propriis operibus & satisfactionibus,
 in meritis Sanctorum, quos etiam assumunt Intercessores.
 Et quis idololatriam Papatus satis declarare queat?
 Idcirco etiam Deus eos punivit, eodem modo, quo Gentiles.
 Laicis interdicitur legere Scripturâ; sic ereptus thesaurus datus:
 Clericos prohibent à conjugio; interim permittunt illis
 Omnis generis scortationes, ac turpitudines:
 Conjugium illis majus peccatum, quàm Cœlibatus.
 Imò inveniuntur apud ipsos, in Italia, Hispania, &c.
 ejusmodi peccata, qualia hîc Paulus commemorat,
 quæque nominare nos pudet.
 Quin & Sodomiam nonnulli publicè laudârunt; ut sup.
 Annon hæc est notoria pœna Dei? Scilicet,
 Non finit impunitum justissimus Deus, si mutatur ejus
 Majestas, in idolum; Veritas, in mendacium.

η) *Ufus*. Ergo caveamus obstinatè peccare, & contra conscientiam,
hyp. Consideremus exempla *Gentium*, consideremus exempla *Judaorum*,
 consideremus exemplum *Papistarum*, *Romanistarum*:
 Consideremus *Græcos*, *Asiaticos*, *Africanos*, *Italos*, &c.
 inter quos olim lux Euangelij, nunc meræ tenebræ.
thes. Ne claudamus oculos nostros, quamdiù clara lux Euangelij lucet:
 Ne obturemus aures, quamdiù suavis vox Euangelij sonat.
ant. Alioqui & nobis Deus Euangelium eripiet, amovebitque:
 Claudet oculos mentis nostræ, ne possimus intelligere;
 Obturabit aures nostras, ne possimus audire.
rest. *Immittet famem, non habendi panis*, ut est in Amos. 8. 11.
nec sitim aquarum; sed audiendi verba Jehovæ.
concl. Quanta verò hæc sit pœna, considerate: nam & Christus ipse,
 super excæcatione Judæorum fleuit; ut sup. *Luc. 19. v. 41*,

9) *Quest.* Posset quis ex modò dictis in dubium incidere,

Dub. Quia Deus homines ingratos, iusto suo iudicio, excæcat,

illosque tradit propriis cupiditatibus, & Satanæ;

Quomodo Deus absque peccato interim maneat?

Annon hoc modo fiat *Causa peccati*?

Resp. Quidam existimant, duriusculum esse illud *TRADIDIT*:

Ideòque hanc vocem aliter enunciant, quòd Deus tantummodò

PERMISERIT hoc peccatum in Gentilibus.

Verum quidem est, Gentiles peccant à seipsis, & quidem studio;

atque Deus *Permittit* hanc eorum injustitiam: ut dicitur

Pfal. 81. 13. Dimisi eos ambulaturos ex sententia animi sui,

dicens; Abeant cum pravis consiliis suis.

Act. 14. 16. Deus præteritis ætatibus Sivit omnes Gentes

suis ipsarum viis incedere.

Attamen expressè in textu exstat, Deum *TRADIDISSE* Gentes:

text. Atque hoc verbum ter repetitur à Paulo, in textu,

v. 24. *Tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipsorum,*
ad impuritatem, ut fœdarent corpora sua inter se.

v. 26. *Tradidit eos Deus fœdis affectibus.*

v. 28. *Tradidit eos Deus in mentem omnis iudicii exper-*
tem, ut facerent quæ minimè conveniunt.

test. Alibi similes phrasæ occurrunt, in S. Scriptura:

Exod. 4. 21. *Ego obfirmabo cor Pharaonis, ne dimittat.*

Exod. 7. 3. (6.) *Ego obdurabo cor Pharaonis.*

Exod. 10. 1. *Ego aggravavi cor Pharaonis, & servorū ejus.*

Exod. 11. 10 *Jehova obduravit cor Pharaonis.*

Exod. 14. 8. *Obduraverat cor Pharaonis, ut persequeretur.*

Deut. 2. 30. *Obduravit Jehova, Deus tuus, spiritum Si-*
chonis, regis Hesbonis, & obfirmavit cor ejus.

Esa. 6. v. 9. 10. Matt. 13. v. 14. 15. Act. 28. v. 26. 27. ut supra.

Rom. 9. 18. *Cujus vult miseretur, quem vult indurat.*

vers. 22. *Volens ostendere iram, pertulit multa cum*
lenitate vasa iræ Compacta ad interitum.

Rom. 11. 8. *Dedit eis Deus spiritum soporis, oculos ut*
non cernant, aures & c. usque ad hodiernum diem.

Joh. 12. 40. *Excacavit oculos eorum, & obduravit corda*

eorum, ne videant oculis suis, & sint intelligentes;

& sese convertant, ac sanem eos: ex Esa. 6. 9. 10.

*) *concl.*

concl. Ergo nec nos averfabimur hanc phrasin: Nam,
 Ex illa non sequitur, Deum esse authorem peccati.
 Sed Deus est author Traditionis & Indurationis istius,
 non Peccatorum; quæ sunt in ipsis Gentilibus.
 Traditio verò ista est justum judicium Dei.

Quapropter etiam Scriptura semper aliquid addit,
 ex quo perspici potest, Deum non esse authorem peccati: ut hîc,
Tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipsorum; quas scilicet
 Deus non dederat, sed ipsi Gentiles habebant, in cordibus suis.
Quia non visum est Gentilibus, Deum in notitia Retinere.
Compensationem erroris sui in sese recipientes.

Sic oportuit: q. d. Non poterat Deus aliter, propter suam justiti-
 am, quam violari non oportuit.

Taceo, quæ dicit Paulus, Rom. 9. v. 19. 20. Dices ergo mihi;
Quid adhuc succenset? nam ejus voluntati quis obstitit?
Imò verò, ô homo, tu quis es, qui ex adverso respondas Deo?
Num diset figmentum fictori, Cur me tale fecisti? &c.

C O N C L U S I O.

R. Sed de his & alibi: Audivistis nunc, Auditores,

1. Quomodo Gentiles peccârint, contra tab. 2. Legis,
 & contra Seipfos, infandâ fœditate & ignominia;
 & contra Proximum, omnis generis injustitiâ.
2. Quæ fuerit Causa hujus tantæ perversitatis? Nimirum,
 Peccata ipsorum antecedentia, propter quæ Deus eos punivit,
 Tum Deserendo, tum Tradendo & indurando, justè, sinè peccato.

C. Horrendæ sunt voces, *Deserendi, Tradendi peccatis, Satanæ, Indurandi*
 Jucundæ verò sunt voces illæ, quòd Deus
Sit circumcisurus cor nostrum, ad diligendum Deum, Deut. 30. 6.
Sit amoturus cor lapideum, inditurus cor carneum, Ezech. 11. 19.
 hoc est, emolliturus corda, non induraturus.

Efficiat in nobis, & Velle, & Perficere, pro benevolentia, Phil. 2. 13.
 Ex horum censu nos quoq; speramus esse; nec unquam futuros ex iis,
 qui de peccato in peccatum incidunt, ea accumulantes.

V. Faxit contra Deus, ut ex gratia una devolvamur in alteram,
 donec postremam quoque gratiam nanciscamur, Vitam æternam.
 Illi sit laus, honor, & gloria, in secula, Amen.

De Inexcusabilitate Doctorum.
 & Tarditate Dei ad iram.

Textus, Rom. II. vers. 1—5. cum v. ult. cap. I.

Præmittatur Versus ultimus, præced. cap. Qui jure Dei agnito, (nempe, Eos qui talia faciunt, dignos esse morte,) tamen, non solum ea faciunt, sed etiam facientibus consentiunt ultrò. Dehinc prælegantur seqq. cap. II.

Quapropter inexcusabilis es, ô homo, quisquis alium damnas. Nam hoc ipso quòd damnas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim facis tu, qui alium damnas. Scimus verò, judicium Dei esse secundum veritatem, adversus eos qui talia faciunt. Cogitas autem hoc, ô homo, qui damnas eos qui talia faciunt, & facis ea, fore ut effugas judicium Dei? An divitias benignitatis ejus, & tolerantie, ac iræ cohibita, contemnis, ignorans, benignitatem Dei ad resipiscentiam te deducere? Sed tu, pro duritia tua, & corde resipiscere nescio, ipse tibi thesaurum recondis iram, in diem iræ & revelationis justi judicii Dei.

E X O R D I U M.

Gentiles peccatores esse, hætenus probavit Apostolus, docens, Carere eos justitiâ Dei, h. e. tali, quæ coram Deo valeat: Peccasse enim eos, & contra 1. tabulam, Impietate & idololatriâ; & contra 2. tabulam Injustitiâ: quam exercuerant ipsi, Non solum contra Proximum, omnis generis vitiis; Sed etiam contra Seipfos, propria corpora fœdando. Jam potuissent Gentiles dicere; Itane, Paule, an hinc sequeretur, Omnes Gentiles peccatores esse, ad unum, quia vulgus ita peccat, & quia plerumque ita accidit? Habemus & nos Doctores, inter nos, qui sciunt quid sit peccatum, qui peccata redarguunt, à quibus se reliqui argui patiuntur. Paulus hanc objectionem præsensit. Idcirco, Non fati ei fuit probare, Gentiles promiscuè hoc egisse, ut & Seipfos fœdarent, & Proximo variis vitiis incommodarent: Sed accedit etiam ad præcipuos, ad Doctores Gentilium, ad antistites & præfectos eorum; & probat (ut pag. seq.)

Probat

Probat igitur Paulus, & hos ipsos Præcipuos esse peccatores: quia, vel sciunt, quid sit peccatum, attamen non arguunt, sed connivent; vel alios arguunt, interim ipsi eo ipso peccant, quod in aliis arguunt.

Deinde dicit, Quomodo & hi pœnas divinas non effugient; &

Cur quandoque Deus tam tardè puniat, judiciaque sua differat.

Postea agit, in sequentibus verbis cap. II. de Justo Dei judicio; &

Quòd neque Gentes, neque Judæi habeant, quo se possint excusare: atq;

Hac occasione descendit ad Judæos, & probat, & hos esse peccatores, ac carere justitiâ coram Deo; ut posthac, Deo volente, audiemus.

P. Ità ut duo nobis, ex verbis prælectis, consideranda veniant,

1. Etiam præcipuos ex Gentilibus, quos ipsi justos & sapientes reputabant, enormes peccatores fuisse, & carere justitiâ Dei:

2. Quia Deus id non semper, & tam citò punivit, Cur Deus adeò tardus sit ad iram, & ad puniendum?

Duo, inquam, hac concione tractabuntur;

I. *Inexcusabilitas Doctorum ac præcipuorum:*

II. *Tarditas Dei ad iram, ejusque Causa.*

V. Deus largiatur nobis gratiam Spiritûs sui Sancti,

Ut peccata apparenter sanctorum sic consideremus, ut nos Deo sincerè, & sinè fuceo serviamus, in vera pietate;

Ut & certò statuamus, Deum minitanti pœnas, ad eas tamen tardū esse, ut in tempore resipiscamus, atque sic iram ejus avertamus, quò liberi ab ejus judiciis simus, hic & ibi æternū: *Amen.*

P A R S I.

Primum quod attinet, *Etiam præcipuos Gentilium fuisse peccatores;*

Prop. Probat hoc Paulus duobus argumentis, (de quibus infra fufius;)

1. Quia ad aliorum peccata tacent, ac connivent;

imò, illis etiam delectantur, (*συνοδοκῆσι.*)

2. Quia & ipsi faciunt ea, quæ in aliis arguunt.

Text. Atque hoc ipsum in genere proponit, versu ult. præcedentis cap. I.

Qui jure Dei agnito, (Eos qui talia faciunt, dignos esse morte,)

tamen, non solum ea faciunt, sed & facientibus consentiunt ultrò.

Part. Quibus verbis Paulus, de sapientibus & doctis Gentilium, [*morte:*

1. Dicit, & concedit; *Nosse illos jus Dei, talia facientes dignos esse*

2. Duo *Argumenta*, ut dictum est supra, proponit.

Tract. Utrumque ex ordine consideremus. (*Vide pag. seqq.*)

I. Dicit, & concedit; *Nosse illos δικαιώματα τῆ θεῶ, h. e. Jus Dei:*

Text. Nempe hoc; *Eos qui talia faciunt, dignos esse morte.*

Decl. Non solum habebant, ex natura, cognitionem Dei creatoris:

quam illorum cordibus Deus indidit, inde à nativitate;
quam facile poterant acquirere, ex operibus creationis,
ex libro Naturæ, ut supra vidimus.

Sed etiam habebant, ex natura, cognitionem æqui & iniqui. Nam,
Natura illos docebat, id omnibus modis æquum esse,

Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: quod & insinuat Christus,
Matt. 7. 12. *Quæcumq; volueritis, ut faciant vobis & c. ut sup.*

Unicuique suum esse tribuendum, & relinquendum:

Neminem esse ledendum: Honestè esse vivendum:

Et si quæ alia sunt Principia naturalia, Gentibus notissima.

Exēp. Legimus etiam in historiis Gentilium, quàm severam illi servârint
disciplinam, in judiciis suis; non ferentes eam violari ullo modo:

Itèm, Leges justissimas, Solonis, Lycurgi, & aliorum:

nec non æquissima principia Ethica, Socratis, Senecæ, &c.

quæ omnia habebant ex cognitione naturali.

Hinc laudatissima exempla quorundam veterum Gentilium,

ut, Fabricii, Curii, Catonis, aliorumque heroum:

itèm Stoicorum, qui severiorem vitam agebant.

Test. Atque hoc est, quod Paulus infra docet, Rom. 2. v. 14. 15.

Quum Gentes, quæ Legem non habent, naturâ quæ Legis sunt faci-
ant, isti Legem non habentes; sibi ipsis sunt Lex:

Ut qui ostendant opus Legis scriptum in cordibus suis,

unâ testimonium reddente ipsorum conscientia, & cogitationibus
sese mutuo accusantibus, aut etiam defendentibus.

Exp. Poterant etiam facile colligere, ex judiciis & pœnis Dei,

quid faciendum, quidque omittendum esset. Etenim,

Si vidissent superbum aliquem, aut contumacem hominem,

qui postea singulariter à Deo puniretur,

facile inde colligere, ac apud se reputare poterant;

Agè, sic tibi non est vivendum, ut ille vixit:

Alioqui & tibi accidit idem, quod illi contumaci.

Quemadmodum hodie homines, videntes loca supplicii,

continuò sic apud se cogitant ac ratiocinantur:

Ecce, talia peccata, hîc punita, tibi non sunt patranda:

Alioqui & tibi eadem pœna erit destinata.

II. Proponit

II. Proponit duo Argumenta, quibus probat, ut & sup. diximus;

prop. Etiam Sapientes & Doctores Gentilium fuisse peccatores:

1. Quia ad peccata aliorum conniverint, iisque consenserint;
imò illis delectati fuerint, συνιδόκουντες scilicet.

2. Quia & ipsi peccârint, eademque illa fecerint,
quæ in aliis arguebant & reprehendebant.

tract. Quæ duo Argumenta ordine expendemus.

I. Primum Argumentum quod attinet,

Præp. Deus dicit Lev. 19. v. 17. Liberè corripito proximum tuum,
neque ferto in eo peccatum.

Thef. Sapientes igitur Gentilium non vacant culpâ, quia
Non solum tacebant, ac connivebant, ad peccata populi;
Sed etiam ultrò illis consentiebant, cum beneplacito.

Decl. Non eget hoc longâ declaratione, aut probatione. Nam,

1. Consideretur, quæso,

Quanta vitia ac flagitia in Comædiis viguerint;
itèmq; in Ludis, quos Ludos theatrales vocabant.

Quàm horribiles abominationes fuerint, in festo Baccha-
nalianorum, ut & ipsi Gentiles ab eo abhorruerint.

Quàm impurum ac fœdum cultum præstiterint,
Veneri, Floræ, Priapo, &c.

Et tamen pauci inventi sunt, imò nulli fere ex præfulibus,
qui hanc impietatem ac fœditatem arguerent.

Legimus quidem à Romanis festum Bacchi abrogatum,
ob horribilem fœditatem in illo exercitam:

Sed reliquæ illius festi manserunt; &
ad Christianos usque transmissæ sunt.

2. Considerentur Doctores Gentilium, quales illi fuerint.

Poëta præcipui inter eos Doctores erant: Sed,

Qualem illi vitam egerint, quidve scripserint, constat.

Imò videntur illi, ut Satyrici, non potuisse bona docere,
nisi admixtis nefariis vitiis ac flagitiis:

Ità ut bonum, quod apud ipsos invenitur,
jaceat in medio cæno.

Oratores inter ipsos magni fiebant: Sed, quales isti?

Qui verbis valebant, garruli magis quam eloquentes;

fucum vitiis facere, bonam causam pervertere:

Hi præ aliis laudabantur, ac placebant.

*) Appl.

*) *Appl.* Hoc bene perpendant omnes pij, ne deteriores sint Gentilibus.

1. Si quis videat fratrem suum peccantem, arguet illum: juxta
 Matt. 18. v. 15. & c. *Si peccaverit in te frater tuus, ito, & argue eum,
 inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum.
 Sin te non audierit, assume tecum adhuc unum, aut duos, & c.
 Quòd si neglexerit eos audire, dic Ecclesie: & . Sic quoque
 Luc. 17. v. 3. 4. Si peccaverit in te frater tuus, objurga eum: &
 Si resipuerit, remitte ei. Et si septies in die, & c.
 Jac. 5. v. 16. Confitemini alij aliis offensas, & precamini pro aliis, ut
 sanemini: nam multum valet deprecatio justis efficax.*

2. Cum primis Magistratus, utramque tabulam Legis sibi proponent, atq;
 punient omnem impietatem & injustitiã: ne dicatur & illis, quod hinc,
 Magistratum scire voluntatem Dei, nec tamen facere officium.

3. Comœdiæ omnesque similes vitiorum scholæ, non sunt permittendæ;
 sed prohibendæ à Magistratu: cum primis hoc tempore, calamitoso,

4. Advocati, & Procuratores, secundum conscientiam dicant causas,
 non defendendo causam malam, nec prodendo bonam: & c.

5. Poëtæ, & rhythmographi, calamum sanctioribus rebus applicabunt:
 nomina Cupidinis, Veneris, & similia, eliminabunt;
 eaque omnia, quæ sunt incentiva libidinis, levitatis, & c.
 fordida verba, intemperantiam instillantia, removebunt.

6. In summa, *Omnia ad adificationem* dirigentur; juxta 1. Cor. 14. 26.
 Ne & nobis possit exprobrari, quod hinc Gentilibus exprobratur:
 Scivisse nos jus Dei, sed tamen tacuisse ac connivisse ad peccata;
 imò delectatos nos iis esse, eaque nobis placuisse;
 quin & accendisse ac inflammasse a dea alios.

II. *Secundum Argumentum* quod attinet,

Thef. Id est hujus modi; Quia & ipsi Gentilium doctores peccârint,
 & quæ peccata in aliis arguerunt, eadem ipsi fecerint.

Text. Hoc argumentum eodem *versu ult. cap. 1.* proponit Paulus,
 his verbis; *Non solum ea faciunt.* Faciunt ergo vetita à Deo;
 & quidem faciunt talia, quæ sub pœna mortis vetuit Deus.

Hoc argumentum Paulus ulterius declarat, *cap. 2. v. 1.*

β *Quapropter, ô homo, (qui sc. præ aliis te censes sapientem,)
 Inexcusabilis, quisquis alium damnas: (h. e. Non potes excu-
 sari, quocunque statu sis, quo te, ratione officij & eruditionis, esse
 putas.) Nam hoc ipso, quòd damnas alterum, te ipsum conde-
 mnas: Eadem enim facis tu, qui alium damnas.*

β) *Subd.*

β) *Subd.* Quibus verbis Paulus eos, qui faciunt quod in aliis arguunt, peccatores esse demonstrat, coram duplici iudicio,

1. *Conscientiæ;*

2. *Dei, justissimi iudicis.*

Tract. Videamus utrumque iudicium.

I. Coram iudicio CONSCIENTIÆ,

Text. His verbis; *Quapropter inexcusabilis es, ô homo,*

quisquis alium damnas: Nam hoc ipso, quòd damnas alterum, te ipsum condemnas? eadem enim facis tu, qui alium damnas:

Exeg. Hoc est iudicium propriæ Conscientiæ.

exëp. Hoc iudicium, satis grave, patet exemplo Davidis, 2. *Sam.* 12.

Nathan proponebat ei furtum, cum violentia conjunctum,

quod quispiam dives commiserat, in egeno, *vers.* 1-4.

David, commotus indignitate rei, pronunciat sententiam,

dicens; Mortis reum esse illum virum, *vers.* 5. 6.

Sed quum, declarante Nathane, audiret, se eum esse,

qui hoc patrasset, in uxore Uriæ, ac Uria, *vers.* 7-12.

Attonitus dixit, *Peccavi Jehovæ, vers.* 13. Etenim,

Sententiam suam ipse pronunciaverat.

text. Ità comparatum erat cum Gentilium Doctoribus.

Arguebant & illi vitia, eaque & mortis damnabant:

Interim illi ipsi eadem vitia committebant.

Quid hoc aliud, quàm quòd conscientia sua eos obtestabatur,

eâ ipsâ pœnâ & ipsos dignos esse, quâ alios damnârant?

prol. Fuêre tamen multi præclari ac integri, inter Gentiles,

qui laudantur, quòd vitia tam severè puniverint.

Verum id quidem: sed major pars in illis fuit hypocrisis,

ut suspicerentur à cæteris, quasi justiores ac sanctiores:

vera tamen justitia apud ipsos non constitit.

Legimus de Augusto, Imperatore Rom. post Cæsarem,

quòd fuerit mitis, facileque remiserit offensiones.

At illa vitia singulariter punivit, quorum sibi conscius erat;

ut ipse putaretur ab his esse alienus, ac liber.

Ovidium pellebat in exilium, ob scriptos libros de Amore;

Antonium arguebat libidinis, cum Cleopatra:

Interim, dum hoc faceret, iudex fiebat propriæ libidinis,

coram iudicio propriæ conscientiæ;

quum esset & ipse, cum filia, libidiniosior: &c.

M

2 *Coram*

2. *Coram iudicio DEI.*

Text. His verbis, v. 2. *Scimus verò, iudicium Dei esse secundum veritatem, adversus eos qui talia faciunt. Itèm, vers. 3.*

Cogitas autem hoc, ó homo, qui damnas eos qui talia faciunt, & facis, ea, fore ut effugias iudicium Dei?

Exeg. Quasi dicat: Si quis non curat iudicium propriæ Conscientiæ, *thes.* Sanè, non effugiet iudicium Dei, quod iustissimum est, & quod super omnes exercebitur, omnesque manet.

decl. De occultis non iudicat Ecclesia, vulgò dicitur; Nec Magistratus punit, nisi publicè manifesta delicta.

Sed Deus omnia explorat & iudicat, etiam occulta; quin & ipsas cogitationes cordium: juxta

test. Jer. 17. v. 10. Ego Jehova, scrutator cordium, probator renũ, (h. e. interiorum hominis cogitationum, & cupiditatum,) idq; ut dem cuique secundum vias suas, fructum actionum suarum.

Psal. 44. v. 22. *Nonne Deus pervestigasset istud? quum ipse cognoscat abscondita animi.*

Psal. 139. v. 1. *Jehova pervestigas me, & cognoscis.*

v. 13. *Tu etiam possides Renes meos, (h. e. interiora.)*

exëp. Ergo, si homines non curant iudicium Conscientiæ suæ, terret eos sensus Judicij divini: ut patet in Caino.

Caini conscientia non advigilabat, cæso fratre Abele:

At quum audiret vocem Dei, *Gen. 4. v. 10.*

Tunc intremuit, ac timuit vindictam, *ibid. v. 14.*

test. Utrumque iudicium, Conscientiæ & Dei conjungit Johannes, *1. Joh. 3. 20. Si nos condemnat Cor nostrum, nempe potentior est Deus corde nostro, & novit omnia.*

2) *Appl.* Igitur, si impij non consistent in iudicio proprij Cordis, & Conscientiæ; *hyp.* Quomodo consistent in iudicio Dei, qui omnia novit?

1. thes. Cavebimus igitur lædere propriam Conscientiam: Nam, *Conscientia mille testis; durumque est, illum ipsum Noctes atque dies gestare in pectore testem.*

test. Si Conscientia bona defendit hominem, accusabit & mala: ut est in *Rom. 2. 15. Accusantibus aut defendentibus & c.* Ità in illo sap. *1. Joh. 3. 20. Si nos condemnet Cor nostrum.*

2. thes. Quòd si verò dormire videatur conscientia, excitabit eam memoria Judicij divini; quod non dormit, sed vigilat semper. Differri id potest, emanere nequit; ut in parte seq.

P A R S II.

Secundum quod attinet, *Tarditatem Dei ad iram, ejusque Causam;*

Præp. Poterant Paulo regerere Romani, ad quos scribit:

Si tam severè punit peccata Deus,
Cur tam diu ultionem suam differt?

Text. Dixerat Paulus; *Cogitas verò ô homo, qui damnas eos qui talia faciunt, & facis ea, fore ut effugias judicium Dei?*

Subdit statim; *An divitias benignitatis ejus, & tolerantia, & longanimitatis, (ira cohibita) contemnis, ignorans, benignitatem Dei ad resipiscentiã te deducere? Sed tu, pro duritia tua, & corde (ἐπισταθόντα) resipiscere nescio, ipse tibi thesaurum recondis (θησαυρίστis) iram, in diem iræ, & revelationis justi judicii Dei.*

Subd. Quibus verbis docet, Deum non frustra differre pœnas suas; sed
Facere hoc ipsum, duas ob causas:

1. Ut peccatores hoc modo alliciat ad Resipiscentiam.
2. Ut judicium irresipiscentium tantò Gravius fiat.

Tract. Utramque causam etiam porrò consideremus.

I. Ut peccatores hoc modo alliciat ad Resipiscentiam.

Text. Ità enim Paulus ait; *An divitias benignitatis ejus, & tolerantia, & longanimitatis, (seu, ira cohibita,) contemnis, ignorans, benignitatem Dei ad Resipiscentiam te deducere?*

Exeg. Hæc propria causa Tarditatis Dei ad iram, ut concedat,
thes. Tempus resipiscendi; si fortè peccatores interim resipiscant.

test. Ità enim Deus ipse ait, Ezech. 33. 11. *Non delector morte peccatoris; sed, quum revertitur à via sua, ut vivat.*

Ideò etiam dicit Paulus, 1. Tim. 2. 4. *Deus omnes homines vult salvari, & ad agnitionem veritatis venire.*

Idem est quod Petrus dicit, 2. Pet. 3. 9. *Non tardat Dominus promissionem, &c. sed patiente est animo erga nos, nolens ullos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere.*

sim. Perpendite parabolam illam Christi, de Ficu, Luc. 13. 6-9.

An non propterea tres annos illam reliquerat Dominus,
ut videret, an fructum aliquem ex ea consequi posset?

An non Hortulanus pro ea intercessit; ut eam relinqueret,
visurus, si fortè, diligentius culta, fructum ederet?

sin minùs, tunc demum illam funditus excinderet.

1) *Appl.* Perpende hoc, ô Christiane, quisquis es, quocunque statu:
thes. Si peccas, & non statim puniris à Deo, ne cogites,
 Deum non curare tua peccata, aut eorum oblivisci;
 Sed quòd id fiat tuo bono, ut tempus resipiscendi habeas.

spec. Cum primis perpendant hoc illi,
 Qui perjuri sunt, Deumque testem vocant, ut puniat.
 Itèm, qui sibi ipsis imprecantur pœnam divinam, ut
 pedem frangant, terrâ absorbeantur, non beentur,
 si hoc vel illud faciant, sive omittant, &c.

Certè, posset te Deus eo ipso momento punire; at non facit:
 Differt autem pœnam suam Deus, tuo bono. Etenim,
 Scit, te habere durum caput, & incuriosum esse:
 Proinde tempus tibi relinquit, ut ad te redeas,
 & meliùs sapias, tandemque aliquando resipiscas.

II. Ut judicium irresipiscentium peccatorum tantò Gravius fiat.

Text. Prout dicit Paulus; Sed tu, pro duritia tua, & corde resipiscere
 nescio, ipse tibi thesaurizas Iram, Dei scilicet, in diem iræ,
 & revelationis justi Judicii Dei.

Exeg. Probè perpende illam Coacervationem iræ, instar *Thesauri*:
 Coacervas peccata; sed & Coacervas iram Dei justam.
 Tolluntur in altum, Ut lapsu graviore ruant:
 Deus tarditatem iræ gravitate compensat:

Dii laneos habent pedes: Hæc olim & ipsi Gentiles dixêre.

Nec solùm in hac vita ita exasperat suas pœnas Deus;

Sed tandem, tandem revelabitur Judicium Dei extremum,
 quo compensabuntur omnia duriora hominum peccata: ut

Judæ v. 14. 15. *Ecce, venit Dominus, cum sanctis millibus suis:
 ut ferat judicium, adversus omnes, & redarguat, quicumq;
 ex ipsis sunt impii, de factis omnibus, quæ impie patrârint;
 deq; omnibus duris, quæ loquuti fuerint adversus ipsũ impium.*

Restat Judicium illud, de quo Christus, Matt. 12. v. 36.

*Sed dico vobis; Quodcunq; verbum otiosum loquuti fuerint ho-
 mines, de eo reddituros esse rationem, in die Judicii.*

- Restat, inquam, illud Judicium, in quo, ut est in Apoc. 20. 12.

*Libri aperientur, & judicabuntur omnes ex iis, quæ scripta
 erant in libris, secundum opera ipsorum.*

De utroque illo Judicio, hujus & futuræ vitæ, porriò dicetur,
 in sequenti Concione, ex seqq. versib.

1) *Appl.*

e) Appl. (duplex.) Tantummodò hac vice illud hîc observemus :

1. Si Deus nos peccantes non statim puniat,

thes. Ne habeamus corda dura, ac resipiscere nescia; sed,

| In tempore nos convertamus, à peccatis nostris, ad Deum.

test. Idque juxta admonitionem illam, Heb. 2. 15. cap. 4. 7.

| desumptam ex Psal. 95. 7. *Hodie, si vocem ejus audiveritis,*
| *ne obdurate corda vestra.* Hodie, hodie, inquit, non Cras.

rat. Nam certè, si non resipiscamus in tempore, signum id est cer-

| tissimū, Deum judicia sua in nos multò atrociùs exerciturū.

text. Dîctum id vobis esto, ò securi peccatores, Paulus ità prædixit;

| Deum ideò tardare suas pœnas, suas castigationes severas,

| Ut resipiscatis: & nisi resipiscatis, ut postea, mensurâ sci-

| licet peccatorum completâ, tantò graviùs puniamini.

exëp. Exempla hujus rei habemus quàm plurima :

Quid accidit temporibus Noæ? *quum semel expectabat*
ille Dei patiens animus & c. 1. Pet. 3. v. 20.

Quid accidit obstinatis Ægyptiis, tandem rubro mari merfis?

Quid Cananæis? An non hi priùs mensuram peccatorum

implere debuerunt, ut postea graviùs punirentur?

ut expressè testatur Deus ipse, Gen. 15. v. 16.

2. Imò idcirco etiam Deus punit alias nationes, & regiones,

thes. Ut nos, illorum exemplo edocti, in tempore nos convertamus,

| ne nobis idem accidat, quod ipsis; imò deterius quid.

test. Idem nobis accidet, quod ipsis, nisi resipiscamus: ut Christus,

Luc. 13. v. 2—5. *Putatis, hos Galilæos, (quorum sanguinem*

Pilatus miscuerat, cum ipsorum sacrificiis, ut vers. 1.) præ

omnibus Galilæis peccatores fuisse, quòd talia passi sunt? Ne-

quaquam, dico vobis: imò, nisi resipiscatis, omnes itidem peri-

bitis. Aut illi decem & octo, super quos cecidit turris in Si-

loam, & quos interemit; Putatis, debitores fuisse, præ omni-

bus hominibus, qui habitant Hierosolymæ? Nequaquam, dico

vobis: imò, nisi resipiscatis, omnes similiter peribitis.

Imò, Deterior erit nostra conditio, quia moniti non resipuimus:

ut idem Christus ait, Matt. 11. v. 21—24. *Vae tibi Chorazin,*

vae tibi Bethsaida: nam si Tyri & Sidone, & c. Quin etiã dico

vobis, Tyro ac Sidoni tolerabilior erit conditio, in die judicii,

quàm vestra. Et tu Capernaum, & c. Si Sodomis & c. Quin

etiam dico vobis, terræ Sodomorum tolerabilior erit conditio,

in die judicii, quàm tua.

M 3

CONCL.

C O N C L U S I O.

R. Satis etiam de secundo: Audivistis ita, Auditores,

I. Et principales Gentilium, Sapientes illis dictos, peccatores esse,

1. Quia conniverint ad peccata, iis delectati:

2. Quia & patrarent ipsi, quae in aliis arguerent;
adeoque convincantur & ipsi peccatorum,

1. non solum in propria Conscientia,

2. sed etiam coram iudicio Dei iusto.

II. Cur Deus sit Tardus ad iram, differens vindictam?

1. Ut hoc modo peccatores ad Resipiscentiam agat:

2. Ut, qui non resipiscunt, mensuram peccatorum impleant,
tantoque Gravius puniantur.

C. Quis haec non curaret? quis haec non expenderet?

David, quum ei Nathan propheta iudicium Dei annuntiaret,
dicebat, *Peccavi*: ut supra dictum, ex 2. Sam. 12. v. 13.

Ita & nos, priusquam poenae divinae nos obruant,

dicemus, *Peccavimus, & perverse egimus, &c.* ex Dan. 9. v. 5.

Miserere nostri, secundum benignitatem tuam, &c. ex Psal. 51. v. 3.

Quemadmodum enim, Nathan Davidem peccati arguebat;

Gentiles in propria Conscientia peccati arguuntur,

Judiciumque Dei eos semper premebat in conscientia sua:

Ita & nos peccatorum nostrorum arguunt & accusant,

Doctores nostri, ex Prophetis, & Apostolorum scriptis;

Imò etiam propria cujusque Conscientia peccata fatetur,

appellatque ad iudicium Dei, nisi resipiscamus.

Agite ergo, Auditores in Christo dilecti,

Si lenitate & patientia Dei, quod nos tam cito non punit,

utamur, ad feriam resipiscentiam; bene nobiscum agetur:

Sin minus, si habuerimus dura & obstinata corda,

coacervabimus nobis Iram & vindictam Dei, in diem irae;

& in diem illum revelandi iusti ac severi Iudicii Dei.

V. Ab hoc severo Iudicio nos clementer conservet Deus, Pater noster,

Sitque Advocatus noster, in illo, Jesus Christus, Filius Dei;

Sitque Consolator noster, contra omnia peccata & iudicia, Spiritus S.

Unicus ille, aeternus, verus, iustus ac misericors Deus,

Benedictus in secula seculorum, Amen.

CONCIO IX.

CONCIO IX.

De Judicio Extremo, Piorum, Impiorum.

Textus, Rom. II. vers. 6--10.

Qui (Deus) reddet unicuique, secundum opera ipsius. Iis quidem, qui per tolerantiam querunt boni operis gloriam, & honorem, & incorruptibilitatem, Vitam eternam. Rixosis vero, & veritati quidem non assentientibus, obsequentibus autem injustitie, erit Excandescentia & Ira: Afflictio, inquam, erit, & Angustia, in omnem animam hominis, perpetrantis malum; tum Judei imprimis, tum etiam Græci. Gloria vero, & Honor, & Pax erit, cuiusvis facientis bonum; tum Judeo imprimis, tum & Græco.

EXORDIUM.

Id quod rex & propheta David dicit, Psal. 119. v. 137. lit. 3.

Justus est Jehova, & rectus iudicij suis:

Idem ipsum Paulus significat, in Verbis prælectis; in quibus meminit Justij iudicij Dei, præsertim Extremi: quod optimè describit, præclarisque verbis exornat.

Nuper audivimus,

1. Etiam præcipuos Gentilium, qui illis sunt sancti, iusti, sapientes, Peccatores esse, & carere iustitiâ, coram Deo valente, quia peccata in aliis dissimularint, iis complacuerint; quia & ipsi patrârint, quæ in aliis arguerent.

Excipi poterat; Si ergo Deus est iustus, puniens peccata, cur tam tardè punivit, tardus ad iram ac pœnas? cur in hac vita quosdam planè non punivit?

Ad hanc exceptionem, declaravimus etiam suprâ,

2. Cur tam tardus sit ad iram Deus, pœnasque differat? nempe, Ut homines ità adducat ad resipiscentiam;

non delectatus morte peccatoris, sed conversione, ut vivat.

Ut impenitentes mensuram peccatorum suorum compleant; atque ità graviùs puniantur, vel in hac, vel in futura vita.

In hac

In hac vita, Deus tardè quidem punit, sed tandem plenè; juxta vulgatum *Godt richtet niet terstont, maer richt daer na van gront.* Si tamen pœna in hac vita emanat, æternam nemo effugiet, quæ manet omnes impios peccatores.

- Epicuræa est hæc opinio; Si Deus non puniat in hac vita, eundem non puniturum in futura: in qua nulla sit voluptas, nullus dolor. Huic opinioni respondet Paulus, in textu; Si non puniantur hîc, non effugituros impios Judicium extremum, post hanc vitam.
- P. De quo Judicio in genere dicit, *Deus reddet unicuique, secundum opera.* & quidem, tam Piis, quàm Impiis. Considerabimus igitur jam,
- I. Pios: & Quid iis daturus sit Deus, in Judicio extremo?
II. Impios: & Quid illis redditurus sit Deus, in eodem?
- V. Deus largiatur nobis gratiam Spiritûs S. ut rectè id expendamus: Justus judex, J. Christus, noster in illo Judicio sit Advocatus; concedatque nobis, per tolerantiam boni operis quærere gloriam, & honorem, & incorruptibilitatem, Vitamque æternam: Amen.

P A R S I.

Primum quod attinet,

Præp. Non est opus, ut longiùs evagemur, ac declaremus,

Quis sit Judex futurus, in hoc Judicio? nempe, J. Christus:

Cui data est omnis potestas, in cœlo ac terra, Matt. 28. 18.

Qui definitus est à Deo Judex vivorum & mortuorum, Act. 10. 42.

Per quem Virum justè judicaturus est orbem terrarum, Act. 17. 31.

Ubi illud Judicium sit futurum? Sufficit enim nobis dictum Pauli,

1. Theſ. 4. 17. Rapiemur simul cum eis in nubes in occursum

Domini, in aëra; & ita semper cum Domino erimus.

Quomodo unusquisque judicandus sit, secundum opera ipsius? quum

Processus ille judicialis satis brevis sit futurus; ut Matt. 25. 34. & c.

Scilicet, unicuique sua ipsius conscientia satis judicij erit; de qua

Eſa. 66. v. 24. Vermis eorum non morietur, Conscientia scil.

De his, inquam, non est opus prolixius differere;

quum id fiat, & factum sit, alio tempore, (ut in Catech.)

Prop. Hac vice solummodò proponemus; Quid Paulus de hoc Judicio dicat

1. In genere; Reddet cuique Deus secundum opera sua, (pag. seq.)

2. In specie; Quid redditurus sit Deus, in illo Judicio,

1. Piis: (parte I.) 2. Impiis: (parte II.)

I. In genere;

I. *In genere:* tam de Piis, quàm de Impiis,

Text. Dicit Paulus; *Qui reddet unicuique, secundùm opera ipsius.*

Exeg. Scilicet, in Extremo illo Judicio; de quo dixerat supra,

text. Vers. 5. In die Iræ, revelationis justii Judicii Dei.

test. Hoc Apostolus didicerat,

Non solùm ex Veteri Testamento: ubi dixerat,

Salomon, Eccl. 12. v. ult. *Omne opus Deus adducet in Judicium, cum omni re occulta; sive bonum, sive malum.*

David, Psal. 50. v. 3. 4. *Veniet Deus, & c. inclamans, cælos superne, & terram; jus dicturus populo suo.*

Sed etiam ex Novo Testamento: à Christo ipso, qui dixerat,

Matt. 16. v. 27. *Futurum est, ut Filius hominis veniat, cum gloria Patris sui, cum Angelis suis: & tunc reddet unicuique, secundùm ipsius facta.*

Idcirco etiam hoc Apostolo Johanni revelatum est,

Apoc. 20. v. 11. *Tunc vidi thronum magnum, candidum, & quendam ei insidentem, à cuius conspectu fugit terra & cælum, quorum locus non est inventus. Et seq.*

Vers. 12. *Et vidi mortuos parvos & magnos, stantes in conspectu Dei, & libri aperti sunt; & alius liber apertus est, qui est liber vite: judicati que sunt mortui, ex iis qua scripta erant in libris, secundùm opera ipsorum.*

Vers. 13. *Et reddidit mare mortuos, quos habebat: Mors quoq; & infernus reddiderat mortuos: quos habebat: Et judicatum est de singulis, secundùm opera ipsorum.*

Christus verò ipse describit, Processum judicalem,

Matt. 25. v. 31. & seqq. *Ut sit judicaturus,*

Pios, ad dextram constitutos, ad Vitam aeternam,

Juxta eorum opera, non tamen Propter illa;

Non ex merito operum, sed ex eorum testimonio:

Ex mera, inquam, gratia; quia dicturus est illis,

Venite benedicti Patris mei: ecce gratiam Patris.

Possidete regnum: non acquisitum, sed possessum.

Paratum vobis: non à vobis ipsis, sed à Deo;

Ante jacta mundi fundamenta: priusq; essetis vos.

Impios verò, ad sinistram constitutos, judicabit,

Propter opera mala, & ex Merito operum suorum,

Vel malorum, patratorum; vel bonorum, omissorum.

N

II. *In specie:*

II. *In specie*: distinctim agit,

1. *De Piiis*; quid illis sit daturus?

2. *De Impiis*; quid & illis sit redditurus?

De *Piis* hac parte I. agemus; De *Impiis*, parte II.

PIOS quod attinet,

prop. Apostolus Paulus describit,

1. *Ipsorum vitam & conversationem*;

2. *Quid illis in illo die daturus sit Deus?*

tract. Utriusque tractationem ex textu nostro instituemus.

I. *Vitam & conversationem Piorum* quod attinet,

Text. Describit eam Paulus, his verbis; *Iis quidem, qui per tolerantiam
quarunt boni operis gloriam, & honorem, & incorruptibilitatem.*

Subd. In quibus verbis Pios describit, à tribus Proprietatibus:

I. *A Fide*:

text. Dum ait; *Qui Querunt & c.*

test. De tali Fide, de tali *Querere*, Christus ait,

Matt. 6. 33. *Quarite primò regnum Dei, & justitiam ejus,
& reliqua omnia adjicientur vobis.*

Matt. 11. v. 12. *A diebus Johannis Baptista, usque nunc,
regno cælorum vis affertur, & violenti rapiunt illud.
Hec Vis & Violentia est Fidei.*

exēp. Talis vis ac zelus fuit in Maria; de qua Christus,

Luc. 10. 42. *Unâ re opus est: Maria optimam partem elegit;
qua non auferetur ab ea.*

Usus. Beatus, qui sic quærit vitam æternam, ac Credit: nam,

Joh. 11. 25. 26. *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit,
vivet: & quisquis vivit, & credit, non morietur æternum.*

Joh. 5. 24. *Qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit
me, habet vitam æternam, & in condemnationem non ve-
niet, sed transiit à morte in vitam.*

Sic *Querere* ac *Petere* jubet Christus, Matt. 7. v. 7. 8.

*Petite, & dabitur vobis; Querite, & invenietis; Pulsate, &
aperietur vobis. Quisquis enim petit, accipit; & qui qua-
rit, invenit; & ei qui pulsat, aperietur.*

Imò quærit & pulsat ipse Christus, ut nos aperiamus ei:

Apoc. 3. 20. *Ecce, sto ad ostium, & pulso: Qui audierit
vocem meam, & aperuerit ostium, ingrediar ad eum,
& cænabo cum eo, & ipse mecum; in vita æterna sc.*

*) 2. *A Bonis*

a) 2. A Bonis operibus:

text. Dum ait; *Qui quærunt Boni operis gloriam, &c.* Nam,
test. Gal. 5. v. 6. *Fides per Charitatem est efficax;* hoc est,

Ostendit se, per Bona opera: Veluti ait Jacobus,

Jac. 2. v. 18. *Ostende mihi fidem tuam, absque operibus tuis:*
& ego ostendam tibi, ex operibus meis, fidem meam.

Luc. 13. v. 24. *Contendite intrare per angustam portam;* h. e.

Per viam bonorum operum, quæ est angusta: Ut dicitur,

Matt. 7. 13. 14. *Lata est porta, & spatiosa via, quæ abducit in
 exitium, multiq; sunt, qui introeunt per eam: Angusta est
 porta, & stricta via, quæ ducit ad vitam; &c.* Hinc ibidem,

Matt. 7. v. 21. &c. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine,
 introibit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris
 mei, qui in cælis est. Multi dicent mihi die illo, Domine, Do-
 mine, nonne &c. Tunc profitebor eis; Nunquam novi vos:
 Abscedite à me, qui operamini iniquitatem.*

Matt. 5. 20. *Nisi abundaverit justitia vestra plus, quàm illa Scri-
 barum & Phariseorum, non ingrediemini regnum cælorum.*

2. Cor. 5. 15. *Christus pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt,
 post hæc non sibi vivant; sed ei, qui pro ipsis mortuus est, &
 suscitatus est. Imò etiam,*

Eph. 1. 4. *Elegit nos Deus, in Christo, ante jactum mundi funda-
 mentum, ut simus Sancti & inculpati, in conspectu ejus cum
 charitate. Audin' finem Electionis, Redemptionis?*

Usus. Ergo si cupis salvari, non fatis est, ut dicas, Credo:

thes. Necessè est, ut & piè vivas, ac voluntati Dei te compares,
 | atque in stadio bonorum operum gnaviter curras.

prol. Bona opera quidem, non merentur vitam æternam;

| sed tamen sunt Via, quâ curritur ad vitam, gratis datam:

| Non sunt Causa regnandi, sed Via regni.

fin. Bona opera præstanda sunt,

Ut ità Deo nos gratos declaremus; juxta Rom. 12. 1. 2.

Ut ità Proximum Deo lucrifaciamus; ut Matt. 5. v. 16.

Ut ex bonis operibus certi reddamur, de Fide nostra:

Jac. 2. 26. *Sicut corpus absque spiritu mortuum est,
 ità & fides, quæ est absque operibus, mortua est.*

2. Pet. 1. v. 10. *Studete vocationem & electionem vestram
 firmam efficere: per bona opera scil. ut v. 5. 6. 7. &c.*

β) 3. *A Tolerantia;*

text. Dum ait; *Qui per Tolerantiam quaerunt, &c.*

decl. Tolerantia, Patientia, summè est necessaria fidelibus: nam,
I. Cor. 15. 19. *Si in hac solum vita speramus in Christum,*
miserrimi omnium hominum sumus.

Heb. 10. 36. *Tolerantiâ vobis opus est, ut voluntati Dei*
obsequuti, reportetis promissionem illam.

test. Ad hanc Tolerantiam nos exhortatur Jacobus Apostolus,
Jac. 1. v. 3. 4. *Scientes, explorationem fidei vestrae efficere*
Tolerantiam. Caterum, Tolerantia opus integrum habe-
to, ut sitis integri & toti, in nullo deficientes.

Jac. 5. v. 7. 8. *Patiente animo estote, usq; ad Domini adventû.*
Ecce, Agricola expectat pretiosum fructum terra, pati-
ente animo expectans, dum accipiat pluviam, &c.

Patiente animo estote & vos, & stabilite corda vestra,
quoniam adventus Domini appropinquat. Et vers. 11.
Tolerantiam Jobi audivistis, & finem Domini vidistis: nã
Abundat intimâ misericordiâ Dominus, & est misera-

De eadem Tolerantia Christus, in parabola Seminis, [tor.

Luc. 8. 15. *Quod autem in bonam terram cecidit, ii sunt,*
qui in corde honesto ac bono auditum sermonem retinent;
& fructum adferunt, per Tolerantiam. Hinc idem,

Luc. 21. 19. *Per Tolerantiam possidete animas vestras.*

De eadem Tolerantia ac Patientia Apostolus Paulus,

Heb. 12. 1. 2. *Abiecto omni pondere, & peccato, ad nos cir-*
cumcingendos proclivi, per Tolerantiam propositum no-
bis stadium decurramus: Intuentes in fidei ducem & con-
summatozem, Jesum, qui sustinuit crucem, &c.

Rom. 8. 25. *Si quod non cernimus, speramus, nempe,*
per Tolerantiam expectamus.

Usus. Beatus est qui tali Patientiâ se munit: utpote utilissimâ.

Rom. 5. v. 3. 4. *Scientes, quòd afflictio Tolerantiam efficiat;*
Tolerantia verò experientiam; Experientia verò Spem:
Porrò, Spes non pudefacit.

Rom. 8. 16. 17. *Spiritus testatur unâ cum spiritu nostro, nos*
esse filios Dei. Quòd si filii, etiam heredes: Heredes qui-
dem Dei, Coheredes autem Christi; Si modò cum eo Pati-
mur, ut & cum eo Glorificemur.

II. *Quid*

II. Quid Piis in die Judicii daturus sit Deus?

I. Quid dabit?

Text. Vitam aeternam: vel, repetitis etiam præcedentibus verbis,
Gloriam, & Honorem, & Incorruptibilitatem.

Ut & repetit eadem, infra vers. 10. Gloria verò, & Honor,
& Pax erit, cuius operanti bonum; &c.

Exeg. Hæc sunt ea, quæ retributurus est Deus Piis.

1. Dicit; Vitam aeternam.

thes. Quid sit Vita aeterna, meliùs experiemur ibi,
quàm hîc definire possimus. Quia,

test. 1. Cor. 2. 9. Prædicamus ea, sicut scriptum est, (Esa. 64. 4.)
quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in mentem
hominis venerunt, quæ paravit Deus diligentibus ipsum.

2. Dicit; Gloriam & Honorem.

thes. Quæ sit futura hæc Gloria, qualis Honor, explicat,
test. Rom. 8. 18. Reor, minime pares esse præsentis temporis
perpersiones, Gloria in nobis revelanda.

2. Cor. 4. 17. Illico præteriens levitas afflictionis nostræ;
excellenter excellentis Gloriae pondus aeternæ conficit.

1. Cor. 15. 43. Seritur fædum, suscitatur in Gloria.

3. Dicit; Incorruptibilitatem.

thes. Quia Oportet corruptibile istud, induere Incorruptibilitatem;
& mortale istud, induere Immortalitatem:

test. Ut testatur Paulus, 1. Cor. 15. 53. Item, 1. Cor. 15. 42. Seritur corpus cū corruptione, suscitatur cū incorruptione.

Sic Petrus, 1. Pet. 1. v. 3-5. Benedictus Deus, qui ex multa
sua misericordia regenuit nos, in spem vivam, &c. Ad
hereditatem, Incorruptibilem, Incontaminatam, Im-
marcescibilem, nobis servatam in cælis: Qui virtutis
Dei præsidio custodimur, ad Salutem, paratam reve-
lari præstituto tempore ultimo.

4. Dicit; Pax erit.

thes. Pacis nomine intelligitur, omnis generis Profferitas:

Hic verò, Pax spiritualis conscientia; de qua,

test. Rom. 5. v. 1. Justificati fide, Pacem habemus apud Deum,
per Dominum nostrum Jesum Christum.

Phil. 4. 7. Pax illa Dei, quæ exsuperat omnem mentem,
præsidio custodiat corda vestra, &c. in Christo Jesu.

2) *Appl.* In summa, Ineffabile est Gaudium Vitæ æternæ;
 Ineffabilis est Gloria illa cœlestis, quâ coronabimur;
 Incomprehensibilis est illa Incorruptibilitas, & perfectio;
 Exsuperat omnem mentem illa Pax vitæ æternæ.

Quid ergo multis de istis diceremus?

Sufficiat nobis, Omnia fore summè gloriosa ac præclara;
 nec quicquam nobis defuturum, in Beatitudine illa:
 quam speramus nobis à Deo, ex gratia, redditum iri,
 in futura illa vita, post Judicium extremum.

Exspectemus solummodò patienter, revelationem illius diei;
 & consolemur nos, illius adventu, juxta illud Christi,
 Luc. 21. 28. *Quum autem hæc fieri incipient, sursum aspice,
 & attollite capita vestra; quoniam appropinquat
 Redemptio vestri.* Veri. 31. *Ita & vos, quum videritis hæc
 fieri, agnoscite, propè esse regnum Dei.*

2) 2. Cur dabit?

Text. Reddet unicuique, secundum opera ipsius. Veruntamen,

Exeg. Pius reddet, non ex Merito, sed ex Gratia. Nam,

test. Rom. 6. 23. Donum Dei est Vita æterna, in C. J. D. N.

Matt. 25. *Venite, Benedicti Patris mei, Possidete regnum,
 Paratum vobis, & c. ut sup.* Sunt ergo à gratia omnia.

rat. Sive enim Fidem respicias, sive Opera, omnia sunt gratuita:
 Fides est Dei donum, Eph. 2. 8. Phil. 1. 29.

Bona opera à Deo sunt præparata, Eph. 2. 10.

Sive igitur Fide dicamur salvari, fertur ea in Gratiam,

Rom. 3. 24. 25. *Ut qui justificentur gratis, ejus Gratia, Deo sc.
 per Redemptionem factam in J. Christo: Quem præstituit
 Deus, ut esset Placamentum, per Fidem, in Sang. ipsius.*

Rom. 8. 29. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit; &
 quos vocavit, eos etiam justificavit; quos justificavit, eos
 etiam glorificavit.* Aurea hæc est Catena salutis.

Sive Operibus salus adscribatur, & hæc non sunt nostra,
 sed Dei; qui sua in nobis dona coronat, imperfecta licèt.

Phil. 2. 13. *Efficit in nobis & Velle & Perficere.*

Phil. 1. 6. *Quod in nobis incepit bonum opus, perficiet,
 usque in diem Jesu Christi: paulatim sc. perficiet.*

Appl. Sic igitur Bona opera exerceamus, ut retributionem eorum,
 non ex ullo nostro merito, sed ex sola Dei gratia, expectemus.

PARS II.

P A R S II.

IMPIOS quod attinet,

prop. Apostolus Paulus similiter quoque describit,

1. Ipsorum vitam, & opera mala;

2. Quid & illis Deus in Judicio extremo redditurus sit?

tract. Utriusque tractationem pariter ex textu prælecto instituemus.

I. *Vitam & opera mala Impiorum* quod attinet,

Text. Describit ea Paulus, his verbis; *Rixosis verò, & veritati quidem non assentientibus, obsequentibus autem injustitiæ, &c.*
in summa; *in omnem animam hominis, perpetrantis malum.*

Subd. Quibus verbis Impios describit,

Tùm in specie, ab

1. Impietate:

text. *Veritati quidem non assentientibus.*

decl. De qua Impietate & supra audivimus, cap. I.

Quòd *Veritatem in injustitia detinuerint*, vers. 18.

Veritatem Dei mutarint in falsitatem, v. 25.

Quòd *non visum sit eis, Deum in notitia retinere*, v. 28.

sed vani facti sint, in ratiocinationibus suis, v. 21.

Quòd *Deum non glorificaverint, ut Deum, neque gratias ei, pro beneficiis acceptis, egerint*, v. 21.

Quòd *gloriam incorruptibilis Dei mutarint, in efformatam imaginem corruptibilis hominis, &c.* v. 23.

Quòd *præterito Creatore, coluerint Creaturas, ex rebus creatis convicti licet, de Deo*, v. 25.

concl. Idipsum est, quod hîc repetit Paulus, quòd *Veritati non assentiantur Gentiles.*

2. Injustitia:

text. *Obsequentibus autem Injustitiæ.*

decl. Quo nomine comprehendit peccata tabulæ II.

adversus proximum, qualiacunque ea sint:

ut & supra diximus, in explicatione Cap. I.

spec. Speciatim addit, *Rixosis*: quâ voce complectitur omnia peccata, contra Dilectionem proximi.

Ubi enim non est Dilectio proximi, ibi

Odium, Ira, Rixa, Invidia, & similia vitia.

ε) Tùm

1) Tūm in genere.

prap. Quid opus, pluribus Impios describere?

| Hi sunt Impij, (vult dicere Paulus,) qui patrant mala:
text. In omnem animam hominis, perpetrantis malum.

decl. Hoc est, in Omnes homines, qui peccant,
| vel cogitationibus malis, ac proposito malo;
| vel verbis, vel factis, vel gestibus malis.

add. Addit; Tūm *Judæi imprimis*, tūm etiam *Græci*.

Per *Græcos* intelligit Gentes; ut & suprà dictum:

Per *Judæos imprimis* dicit, ob prærogativam Judæorum;
de qua dicit in seqq. *Rom. 3. 1. & Rom. 9. 4. 5.*

Utrosque manere idem judicium docet, si peccent:

quanquam Judæos gravius, ob majorem iis factā gratiam:
ut & suprà diximus, & infrà porrò dicitur.

Atque ità sibi viam struit, ad dictum illud sequens, *vers. 11.*

Non enim est acceptio personarum apud Deum:

De qua sententia singulariter agemus, *conc. seq. X.*

2) *Appl.* Hæc est brevis descriptio Impij:

thes. Hanc tibi propones, ô homo, ut scias, sisne pius, an impius.

decl. Si Veritati revelatæ non assentiaris;

| Si facias malum, ac obsequaris Injustitiæ;

| Si sis Rixosus, ac injurius in proximum;

| Impius es, & eris ex Impiorum numero,
| quamdiu non resipiscis, teque ad Deum convertis.

prol. Perpende id probè, neque teipsum decipe,

| quasi sis ex piorum numero, quia externè talis appares,
| quia verbum Dei audis, legis: &c.

test. Considera illud, *Psal. 50. v. 16. &c. Impio dicit Deus;*

| *Quid tua, ut enarres decreta mea, & assumes fedus meū in ore tuo;*

| *Quum tu oderis disciplinam, & projeceris verba mea post te?*

| *Simulac vides furem, acquiescis ei, & cū adulteris est portio tua:*

| *Os tuum adhibes ad malum, & linguâ tuâ concinnas dolum:*

| *Sedens fratri tuo obloqueris, in filium matris tuæ edis infamiam.*

| *Hæc tefaciente, quia agebam surdum, cogitas, me prorsus*
| *similem esse tibi: Arguam te, & disseram in oculis tuis.*

| *Animadvertite hoc, jam, obliviosi Dei, ne rapiam vos,*

| *& nemo sit qui eripiat.*

trans. Nam audi & probè expende, quod sequitur in textu:

II. Quid

II. Quid Impiis Deus redditurus sit, in Judio extremo?

1. Quid retribuēt?

Text. His erit *Excandescētia & Ira*:

Afflictio, inquam, erit, & Angustia.

Exeg. Habebunt igitur Impij, in die illo Judio,

1. Immisericordem Deum: quia erit illis,

Text. *Excandescētia & Ira, ἄποδος καὶ ὀργή.*

Decl. Hæc duo sunt unum & idem: nisi quod

Ira est gravius quid, quam statim sequitur pœna;

ut Prov. 16. 14. *Ira regis, nuncius mortis.*

part. Erit igitur Impiis *Excandescētia & Ira*: hoc est,

1. Deus eos non recipiet, sed derelinquet;

thes. Amovebit eos à se: ut,

test. Matt. 7. 23. *Non novi vos: Abscedite à me,*

qui operam datis iniquitati.

Matt. 25. 41. *Abite à me, maledicti, in ignem æternum,*
qui paratus est Diabolo & angelis ejus.

Luc. 13. 28. *Vos verò ejiciemini foràs.*

Apoc. 22. 15. *Foris erunt Canes, & venefici & scortatores,*
& homicidæ, & adulteri, & quisquis amat & committit mendacium.

Confer, Apoc. 21. v. 8.

De hac Exclusionē Christus, Matt. 10. 32.

Qui abnegaverit me coram hominibus,

Abnegabo & ego eum, coram Patre meo cœlesti.

Appl. Quàm grave verò hoc, deserere à Deo? nam,

Non solum privabuntur visione & fruitione Dei;

Sed etiam ablegabuntur, ad malos socios,

Diabolo: qui si potestatem in eos accipent,

sanè, non parcent illis, sed infesti erunt.

2. Deus non miserebitur eorum, in æternum:

thes. Sed Semper irascetur & indignabitur.

comp. Si autem ira regis, nuncius est mortis, ut sup.

Quantò magis ira summi Regis, nuncius erit

Æternæ mortis, ac condemnationis?

rest. Apoc. 20. 10. *Torquebuntur, die ac nocte, in secula.*

appl. Perpendite hoc, ô securi, ac Resipiscite: nam,

Æternum, tempus diuturnum, carens fine.

○

*) 2. Punien-

2. Punientem Deum: quia erit illis,
text. Afflictio, & Angustia. Quasi dicat,
decl. Non tantum eos derelinquet Deus, & à se amovebit;
 Sed etiam puniet eos *Afflictione, & Angustia.*
 Per *Afflictionem*, intelligit Pœnam:
 per *Angustiam*, Dolorem ex pœna ortum.
 Hisce duobus igitur comprehendit Apostolus, omnes
 Dolores, in æterna condemnatione justè perpetiendos.
comp. Quemadmodum autem Gaudium in cœlo ineffabile est,
 quod *nec oculus vidit, nec auris audivit,*
nec in mentem hominis venit, 1. Cor. 2. 9.
 Ità & hi Dolores infernales erunt ineffabiles, quos
 nec oculus vidit, nec auris audivit, nec mens assequitur.
test. Veruntamen, qualis sit futura hæc *Afflictio, & Angustia*,
 Dives epulo aliquatenus describit, Luc. 16. 24.
 petens, ut *Lazarus extremum digitum intingat in aquam,*
ut refrigeret linguam suam, vel guttulâ aquæ; quia tantopere
Cruciabantur in illa flamma.
 Christus vocat, *Tenebras exteriores*, ubi sit futurus
Fletus, & Stridor dentium, Matt. 8. 12. c. 22. 13.
 Apoc. 20. 10. describitur, per *Stagnum ignis & sulphuris,*
ubi torquebuntur die ac nocte, in secula seculorum.
 Sic quoque, Apoc. 19. v. 20. Apoc. 21. v. 8.
 An hoc intelligatur, de igne aliquo materiali, vix patet:
 De *Ignis Conscientiæ* intelligi videtur, ex Esa. 66. 24.
Vermis eorum non morietur, Ignis non exstinguetur.
 Vermis ille est propriæ Conscientiæ, perpetuò impios infe-
 stantis, & instar Vermis rodentis, Rom. 2. 15.
 Repetit eadem verba Christus, Marc. 9. v. 44. 46. 48.
sum. In summa, Gravissima est futura illa *Angustia*: nam,
 Hof. 10. 8. *Dicent impij Montibus, Tegite nos; & Collibus,*
Cadite super nos. Id quod repetitur, Luc. 23. 30.
 itèm, Apoc. 6. 15. *Cadite in nos, & occultate nos, à con-*
spectu ejus, qui insidet throno, & ab ira Agni; Nam,
venit dies ille magnus iræ; & quis poterit stare? Sic,
 Apoc. 9. 6. *Per eos dies homines quærent mortem, & non*
invenient eam; & cupient mori, sed mors fugiet ab eis.
 Verum id, cum primis de hoc die extremo Judicij.

9) Appl.

3). *Appl.* Quid videtur vobis, Aud. estne hic intolerabilis Dolor;

prol. Inquiat aliquis; O utinam hic vel ille non damnaretur,

Id enim magno mihi futurum esset dolori, in cælo.

At nullum est periculum tibi, ab illo dolore: Etenim,

Omnes erunt contentissimi, in judicio illo justo Dei.

test. Audi enim, quid propheta Elaias dicat, Esa. 66. v. 24.

Eruntque nauseae omni carni. Nullus igitur tristabitur:

Sed omnes gaudebunt hoc judicio, eique acquiescent;

eruntque nobis *Nauseae*, omnes impij, sic judicati.

thes. Quis igitur non horreret illum diem Judicij extremi?

decl. Horresne illum, ô homo? Horre peccata tua,

Illa enim sunt, quæ te in exitium præcipitabunt;

Nisi resipiscas: ut nunc porrò cognoscemus. Nam,

2). Cur retribuatur?

prop. Non opus est quærere, quas causas habeat Deus, hujus
tam horrendi Judicij: Peccata sunt in causa.

Text. Sic enim Paulus; Afflictionem & Angustiam fore, in omnem

Animam hominis, *Perpetrantis malum.*

Exeg. Cum primis attendendum est ad Vindictam Dei, &

thes. Ad justam Talionem, quam retribuet Deus impiis.

test. De qua Abrahamus, in illa parabola, Luc. 16. v. 25.

Memento, fili, Te bona tua recepisse in vita tua;

& Lazarum similiter mala.

Nunc autem hic solamen recipit; Tu verò cruciaris.

De qua etiam Paulus Apostolus ait, 2. Thess. 1. v. 6. &c.

Siquidem justum est apud Deum, vicissim reddere iis,
qui affligunt vos, afflictionem:

Vobis verò, qui affligimini, relaxationem nobiscum,
in revelatione Domini Jesu, de cælo, &c.

Appl. Quamvis igitur omnes Impij punientur, propter omnis ge-
neris Impietatem, & Injustitiam, exercitam in hac vita:

Tamen singulariter illis rependetur, qui in hac vita

Persequuti sunt pios ac fideles, Christi asseclas.

Videant ergo Persequutores, quem persequantur:

Persequuntur, non fideles, sed ipsum Christum; ut

Act. 9. 4. *Saul, Saul, quid Me persequeris?*

Persequuntur, inquam, proprium ipsorum judicium;

Afflictionem & Angustiam suam: donec eam percipiant.

O 2

CONCL-

C O N C L U S I O.

R. Hæc hæctenus, de Retributione Dei, quæ fiet in Judicio extremo, secundum cujusque opera: Ubi audivistis, Auditores,

1. *De Piiis*: Quid illis Deus sit redditurus, illo die? Vitam æternam, Gloriam & Honorem, Incorruptibilitatem, Pacem; & quidem Ex mera gratia, Secundùm, non Propter bona opera.
2. *De Impiis*: Quid illis sit retributurus Deus, in illo die? nempe, Excandescentiam & Iram, Afflictionem & Angustiam; Et quidem, prout sunt meriti malis suis operibus, in vindictam.

C. Benè observandum est, quod Apostolus Paulus,

1. Id quod Piiis redditurus est Deus, secundâ vice repetit: ne quis dubitaret de gratia & misericordia Dei.
2. Expressè adjungit, & ad Pœnam, quæ impiis infligetur; & ad Gratiam, quæ piis conferetur: futurum idipsum, *Inprimis in Judæis, tum etiam in Gentibus.*

Non hic est sensus horum verborum,

Quasi Gentes possint in sua idololatria servari;

Sed, Gentes servatum iri, si credant, & se convertant.

Gentes autem & Judæos pares facit, si credant in Christum;

ut ostendat, *Non esse προσηποληψια* apud Deum:

id quod proximè, Deo volente, declarabimus, *sequenti conc. X.*

Quòd verò dicit, *Inprimis Judæos*, dicit id Paulus,

Propter prærogativam Judæorum; quia illi jam olim erant à Deo

Vocati, & salutari luce verbi sui donati; ut *Rom. 3. 1. 2.*

Lege latâ, & promissionibus honorati; ut *Rom. 9. 4.*

Contrà Gentiles non erant, nisi serò vocati; ut *Eph. 2. 12. 13.*

nec habebant Legem, aut cognitionem verbi Dei; ut *Psal. 147. 20.*

Hæc prærogativa jam est nostra, qui Christiani sumus, quicque in locum

Judæorum, ipsis reprobatis, successimus; ut *Rom. 11. 17.*

Si igitur nos peccemus, tantò gravius habebimus peccatum:

Ut Christus suum Væ pronunciat, Chorazitis, Bethsaiditis,

Capernaitis, præ aliis, *Matt. 11. v. 21-24.*

Et ut expressè ait idem, *Luc. 12. v. 47. Servus illa, qui voluntatem*

Domini scit, nec facit, cadetur multis plagis.

V. Ab his plagis nos conservet & liberet Deus, P. F. & Sp. S.

Benedictus in omnem æternitatem. Amen.

C O N C I O X.

C O N C I O X.

De Aprosolepſia Dei.

Textus, Rom. II. verſ. 11.

Non enim eſt perſonarum acceptio, apud Deum.

E X O R D I U M.

Medicus peritus, ut in curatione vulneris, morbi, prudenter procedit,
primùm utens, purgantibus & erodentibus medicamentis;
deinde, ſanantibus & consolidantibus;
denique, præſervantibus, ne vulnera aut morbi recrudescant:

Ità faciendum omnibus fidelibus Miniſtris verbi. Concionandum illis,
primò, de Peccato, & quòd per id iram Dei nobis Conciliemus;
deinde, de Gratia, ut per Chriſtum ſimus liberati à peccato;
denique, de Vita pia, ut impoſterùm vivendum, ne recidivam patiamur.

Apoſtolus Paulus hunc quoque ordinem obſervat, in hac ſua Epiſtola.

1. Proſternit conſcientiam, & probat Omnes homines eſſe peccatores;
 omnesque peccatores impœnitentes, juſto Dei judicio, puniendos;
2. Erigit conſcientiam, & docet, Ubi ſanitas animæ inveniatur?
 nempe, in ſola gratia Dei, per Chriſtum, fide applicata:
3. Dat optimam præſervativam, & monet fideles, liberatos jam;
 ut impoſterùm, non peccatis, ſed Deo grati vivere debeant.

Hactenus nos detinuimus in explicatione primi, ſc. Morbi peccati;
 in quo non ſinè fruètu deinceps quoque nos detinebimus:
 ut ità noſmetipſos, duce Paulo, cognoſcere diſcamus;
 & ex cognitione miſeriæ, ad liberationem adſpiremus.

Superiori concione, ex proximè præcedentibus verbis, diximus,
 De juſto Dei Judicio; quòd ſcilicet Deus redditurus ſit,
 Piis, *Gloriam & honorem, Incorruptibilitatem, Pacem, Vitam æternam*;

Impiis, *Excandefcentiam & Iram, Afflictionem & Anguſtiam*.
 Et quòd in hoc judicio non ſit reſpecturus, ſintne Judæi an Gentes:
 Judæos puniturus, ſi contra Legem peccaverint;
 remuneraturus, ſi Legem præſtiterint:

Gentiles puniturus, ſi in impia ſua converſatione permanſerint;
 gratiam iis facturus, ſi Euangelio obtemperaverint.

O 3.

P. Talema.

P. Talem ἀπροσωποληψίαν Deum observaturum, probat Paulus,
Eleganti sententiâ, *Apud Deum non esse acceptionem personarum:*
Quam hac vice considerabimus, atque ex ea perpendemus,

I. *Aprosofolepsiâ Dei:*

II. *Usum, Ad quid ea nobis servire debeat?*

V. Deus adsit nobis utrinque gratiâ Spiritûs Sancti,
Ut hanc Aprosofolepsiâ Dei itâ consideremus,
Quò eum inde discamus timere, non ampliùs peccare, nec putare
ex ulla alia causâ, quàm ex sola gratia Dei, nobis parcitum iri: *Amen*

P A R S I.

De *Aprosofolepsiâ Dei* ait Paulus;

Text. Non enim est personarum acceptio apud Deum.

Parall. Paulus hoc non dicit ex seipso:

prop. Quanquam, si diceret ex seipso, tantundem roboris haberet,
quàm reliqua Scriptura sancta, à Deo inspirata.

Nam & ille acceperat Spiritum Sanctum; ut de se testatur,

β
γ
1. Cor. 7. v. ult. *Beatior est, secundum meam sententiam:*
Videor autem mihi, & ego Spiritum Dei habere.

Gal. 2. v. 11. *Euangelium, quod à me est euangelizatum, non est
secundum hominem: neque enim ego ab homine id accepi, neque
edoctus sum; sed per revelationem Jesu Christi.*

Propterea, quæcunque Paulus scripsit & docuit,
ea nobis pro verbo Dei sunt censenda & habenda.

prop. At, quia Paulus erat Doctor verbi, utitur etiam verbo Dei.
Legitur autem hæc ipsa sententia, in Veteri, & Novo Testam.
In V. T. legitur, non uno, sed diversis in locis:

Deut. 10. 17. *Jehova Deus vester, is est Deus Deorum, & Domi-
nus, dominorum, Deus maximus, & fortissimus, & reve-
rendus; qui non accipit personam, neque recipit munus.*

2. Chr. 19. 7. *Quare nunc insit pavor Jehova vobis, (inquit
rex Josaphat ad Judices,) observate, & facite: non enim
est apud Jehovam, Deum nostrum, iniquitas, aut acceptio
personarum, aut sumptio muneris.*

Job. 34. 19. *Deus non accipit personam principum,
neque agnoscitur apud ipsum nobilis præ tenui;
nam opus manuum ejus sunt omnes.*

α) in N. T.

a) In N. T. hæc sententia sæpiùs est repetita.

Petrus Apostolus eam repetit,

Act. 10. 34. *Verè deprehendo, Deum non esse persona acceptorem;*
sed in quavis gente acceptum ei esse quemvis,
qui eum timeat, & operam det justitiæ.

1. Pet. 1. 17. *Si Patrem cognominatis eum, qui citra personarum*
respectum judicat, ex cujusque opere.

Paulus Apostolus hanc quoque sententiam repetit,

Non in hoc solùm loco, Rom. 2. v. 11. *textus;*

Sed etiam alibi: veluti,

Gal. 2. 6. *Personam hominis Deus non accipit.*

Eph. 6. 9. *Et vos Domini, eadem facite erga servos, &c.*

Scientes, vestrum etiam ipsorum Dominum in cælis esse,
nec personæ acceptionem esse apud eum.

Col. 3. 25. *Qui verò injuriam intulerit, referet injuriam, quam*
intulerit: nec est personarum acceptio.

β) *Exeg.* Quid autem significat, *Personam accipere?*

nom. *Persona*, vocabulum latinum est, significans propriè *Larvam*, vel
Externam formam, quam comædi assument, in comædiis.

Πρόσωπον, græcum est, significans propriè *Faciem*:

ità ut *Personam accipere* græcis sit *Faciem accipere*.

Idque juxta usum hebrææ linguæ, in qua *Faciem accipere* idem signi-
 ficat, quod *Personam accipere*.

sens. Significatur autè *Personæ* nomine, quævis externa species hominis:
 veluti, Divitiæ, Honores, Pulcritudo, Potentia, Amicitia, &c.
 adde & Munera, & si quæ alia.

Ità ut *Personam accipere* sit, *Respicere* rem aliquam externam,
 cur huic bene, illi malè velis. Proinde,

def. *Prosopolepsia* est vitium, quod culpatur in iudice, vel alio,
 qui legibus ac statutis subjectus est, illisque ex officio tenetur:
 Quum scilicet duos æquales respicit, eosque inæqualiter judicat;
 quia respicit res aliquas externas, propter quas,
 uni faventior est, alteri malevolentior, adeòque
 illum absolvens aut remunerans, hunc verò damnans, puniens.

exëp. Talis *Prosopolepsia* in Deum non cadit: quia
 non modò idipsum passim docet S. Scriptura, (ut vidimus;)
 sed etiam varia idipsum *Exempla*, indè petita, demonstrant.
Exempla hæc, è multis pauca, vide pag. seq.

Capit.

Cain erat primogenitus, præ Abele fratre, *Gen. 4. v. 3. 4. 5.*
 At id Deus non respiciebat; sed, quum peccaret, punivit eum.
 Respiciebat autem ad sacrificium Abelis, non verò Caini;
 non propter externum quid: sed propter minoris fidem majorem;
 eamque in gratia Dei fundatam, sine hypocrisi.

Esavus erat primogenitus, *Isaaci* filius, præ fratre suo *Jacobo*, *Gen. 25. & 27.*
 At id non respiciebat Deus, sed odio habebat peccatorem, *Esavum*.
 Imò scriptum est, *Mal. 1. v. 2. 3.*, quod citatur à *Paulo*, *Rom. 9. 13.*
Jacobum dilexi, Esavum autem odio habui.
 Non propter externum quid; ut erat *Esavus* major, *Jacob* minor:
 Sed ex mera gratia, ut ibidem docet *Paulus*, *Rom. 9. 11. 12. 13.*
Nondum natis pueris, quum nihil fecissent boni vel mali, ut præstitu-
tum Dei, quod est secundum ipsius Electionem, non ex operibus, sed
ex vocante, firmum maneret, dictum est; Major serviet minori,
(nempe, Gen. 25. 23.) Sicut scriptum est Jacobum dilexi, Esavum
autem odio habui; (nempe, Mal. 1. ut supra.)

Saul erat rex, à Deo ipso ordinatus, & in regno confirmatus;
 Altior toto populo; ab humero suo sursum-versus, *1. Sam. 10. 23.*
 At hoc eum non juvabat, quum postea peccaret; & prævaricaretur;
 sed punitus est à Deo, reprobatusque, *1. Sam. 15. 23. & c.*

David erat minimus fratrum, eorumque conspicuorum, *1. Sam. 16. 6. 7.*
 At id non respexit Deus, sed animum; ut ait ipse, *vers. 7. 8.*

Nabal erat homo prædives, *1. Sam. 25. 2. & c.* quò minus propter suam stul-
 titiam periret, post crapulam obstupescens, ac moriens.

Absolon erat filius regius, pulcerrimus omnium in toto *Israële*,
 Laudabilis valde; à planta pedis ejus, usque ad verticem, non erat vitium in
 eo; eratque capillitium ejus insigne: ut narratur *2. Sam. 14. 26. 27.*
 At hoc non respiciebat Deus; sed quum petulantior esset, & in patrem
 insurgeret, pendens è quercu misere periit, *2. Sam. 18. 14.*

Judas Iscariotes erat Apostolus Christi, unus ex duodecim.
 At hæc dignitas eum non juvit, postquam factus est fur,
 & proditor Christi, Domini sui, *Joh. 12. 6. Cap. 13. 2. & c.*
 Unde & justissimè ac gravissimè à Deo est punitus: nam,
 Abiens, strangulavit sese; ut est in *Matt. 27. 5. & Precipitatus,*
Crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera ejus; innotuitque
omnibus habitantibus Hierosolymæ: ut Petrus ait, Act. 1. v. 18. 19.

Plura ejusmodi exempla, tum sacra, tum profana, proferri possent,
 Si tempus pateretur, essetque opus: Sufficiant hæc pauca.

v) Quest.

2) *Quest. (controversa.)* Inquit aliquis; Facile hoc est intellectu:

obj. Sed multi hoc dicto abutuntur, contra Prædestinationem, dicentes;
Si Deus aliquos elegit, aliquos verò reprobavit,
necesse est, esse Deum profopolepten. At,
Falsum est consequens: Non enī est profopoleptes Deus. Ergo,
Falsum est & antecedens; Deum quosdam elegisse, ad salutem;
alios verò reprobasse, ac præteriisse, qui damnentur.

resp. Ad hoc tenendum est, eos Profopolepsiam non rectè explicare.

Non potest dici Profopoleptes, qui æqualibus inæqualia dat:
Sed, quum Judex, aliusve, legi subjectus, contra legem
Duas æquales personas respicit, quarum
unam condemnat, alteram absolvit:

Quia externa quædam respicit, ut munera, amicitiam, &c,
ob quæ uni favet, alteri non favet.

sim. Exempli gratiā:

Si duo sint Mendici, quibus nihil tenearis dare;

Quis dicat, te respicere personam, si uni des, alteri non?
quia liberum tibi, neutri dare, vel alterutri, vel utrique.
Nisi videas aliquid, in uno, quod tibi placeat;
in altero, quod tibi displiceat.

Si autem duo sint fures, aut homicidæ, aut adulteri;

Quorum alter sit honoratior, formosior, ditior, &c.
alter turpior, deformior, pauperior, &c.

Profopoleptes esses, qui absolveres illum, contra legem;
hunc verò condemnares, juxta legem.

appr. Tali modo Deus non respexit homines, in æterna Electione:

Sed respexit eos, ut omnes æqualiter mendicos, miseros;

1. Quibus Deus nihil debebat, præter pœnam:

2. Sed liberum illi erat, ut, vel omnes reciperet in gratiam,
vel omnes damnaret, vel aliquos tantum reciperet; ut,
Matt. 20. 11. *An non licet mihi facere, in meis, quod volo?*

3. Neque Deus ullis legibus subjectus est,
ut est subjectus judex aliquis humanus.

4. Neque Deus in hominibus aliquid invenit,

cur uni faventior sit, alteri inclementior: nam,

Rom. 3. 23. *Omnes sunt peccatores, carentes gloriâ Dei.*

Rom. 11. 35. *Quis prior dedit ei, & reddetur ei?*

1. Cor. 4. 7. *Quid habes, quod non acceperis?*

P

δ) 5. Nemini

2) 5. Nemini injuriam facit Deus; juxta illud,
Matt. 20. 13. *Amice, non facio tibi injuriam.*

Quum Deus Judicat pios & impios, justè hoc facit:

Piis reddens, Secundùm bona opera;

Impiis retribuens, Propter mala opera:

& quidem, sinè ulla profopolepsia, *ut supra.*

Quum verò Eligit hunc, Reprobat illum, justus manet:

Eligendo ad salutem, Misericordiam declarat;

Negligendo reliquos, Iram justam manifestat:

Veruntamen, pro Beneplacito suo.

Potuisset enim utrosque eligere, aut negligere:

Sed placuit ei declarare, tum gratiam, tum iram;

ut dicitur Rom. 9. v. 22. & 23.

De Beneplacito Dei testatur, Christus, & Paulus;

Matt. 11. 26. *Etiam Pater, quia ita Libuit tibi.*

Rom. 9. 18. *Cujus Vult miseretur, quem Vult indurat.*

3) ret. His ita præmissis, invertimus & Retorquemus argumentum:

Quia Deus non respicit personas, merita, munera, &c.

Ergo, gratis nos eligit, gratis vocat, gratis salvat.

4) Appl. (qui est Usus hujus controversiæ: reliqui Usus sunt partis II.)

thes. Adoremus hanc Aprotopolepsiam Dei, ex Rom. 11. 33-36. O & c.

At interim acquiescamus in ejusdem Beneplacito:

ant. Ne simus ex illis, quos Paulus introducit dicentes,

Rom. 9. 19. *Quid adhuc succenset? nam Voluntati ejus quis resistat? h. e. Siquidem ita vult Deus, nemo contra niti poterit.*

Audiremus enim illud, quod ibidem regerit Paulus,

Verff. 21. 22. *Imo vero, o homo, tu quis es, qui responsas Deo:*

Num figmentum dicet fictori, Cur me tale fecisti?

An non habet potestatem figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat, aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus?

decl. Hoc Absolutum Dei jus est, quod hîc urget Paulus:

quantiã, ut in massaabilitas prærequiritur;

ita præsupponitur etiam, omnes esse miserabiles, reprobabiles.

Christus verò urget Ordinarium Dei jus, Matt. 20. v. 13. 14.

Amice, non facio tibi injuriam: nonne denario pactus es mecum?

Tolle quod tuum est, & abi: volo autem huic ultimo dare, & c.

Quid verò est Nostrum aliud, quàm Misericordia super miseriam?

quam & præsupponit Misericordia, quæ nobis contingit.

P A R S II.

Hactenus Aprosopolepsia Dei: sequitur ejus *Usus*.

I. *Ut timeamus peccare.* Nam,

thes. Sive sis dominus aut servus, pauper aut dives, juvenis, senex, &c.
modò si pecces, Deus te puniet, sine respectu personæ.

decl. Dominus non cogitabit, sibi paritum iri ob statum dominii;
nec Servus, sibi paritum esse Deum, ob statum servitutis:
Nec Dives, ob divitias suas; nec Pauper, ob paupertatem suam;
nec Æger, ob infirmitatem & morbum suum:
Nec Juvenis putabit, sibi paritum iri ob juventutem suam;
nec Senex, ob senectutem suam infirmiore; &c.

ant. In hoc mundo aliquando mirabilia contingunt.

Dives fere impunis est, Pauperes mulctantur:

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Si Princeps, aut nobilis, aut insignis vir peccat, connivetur;
sive adulteret, sive occidat, sive rapiat, &c. impunis est.

Si Pauper & ignobilis idipsum committat, mulctatur,
& de corio ipsius luditur, capitis reus arguitur.

test. Sed apud Deum longè aliter se res habet: Ibi valent suprâ adducta
Testimonia; cum primis illud, Job. 34. 19. *Non agnoscitur apud
Deum, nobilis præ tenui, dives præ paupere, &c.*

exēp. Exemplum habemus in Davide, adultero & homicida.

Non puniebatur ille juxta legem latam, quia Rex erat:

At Deus non parcebat illi, sed denunciabat ei pœnam,
per Nathanem prophetam, 2. Sam. 12. v. 1. &c.

exp. Magistratus etiam aliquando parcit nonnullis, ob merita;

Juventuti, in spem meliorationis; Senectuti, ob infirmitatem:

Sed coram Deo peccatum est peccatum, à quocunque peccetur.

prol. Gradus quidem sunt peccatorum, estque unum altero gravius:

Sed apud Deum nemo propter statum suum excusabilis est.

appl. Probè hoc considerent illi, qui putant,

Sibi licitum esse peccare, quia præ aliis altiori loco sunt.

Non sic: sed quò quis altior, eò sanctior esse debet;

Tantòque plus ab eo Deus repetet, quò plus accepit.

Ideò deberi sibi veniam, quia bene meriti sint, de Rep. de Eccl.

Judas erat Apostolus, sed fur, proditor: non parcebatur ei.

II. Ne quis se efferat in suo statu :

thes. Sed humilis esse dilcat, ac modestus.

hyp. Nam Deus non magis respicit nobilem, quàm tenuem : ut suprà,
| ex Job. 34. 19. *Non agnoscitur apud eum, nobilis præ tenui.*

test. Monet Israëlitas Deus, ne se efferrent ideò, quòd præ aliis gentibus
| ipsos elegisset, *Deut. 4. v. 7. 8. 9. Cap. 10. v. 14. 15. & c.*

spec. Princeps coram Deo non plus valet, quàm minimus Subditus.

Est quidem ille, in hoc mundo, collocatus in isto statu honoris :

Sed coram iudicio Dei, unus est sicut alter, omnes pares. Imò,

Si peccet Princeps, demergetur in imum tartarum ;

Si credat & piè vivat Subditus, evehetur ad gloriam cœli.

Minister Ecclesiæ, Doctor, qui optimè novit voluntatem Domini,

non efferat se, propter eruditionem suam : nam,

Simplex homo meliori loco apud Deum, si credat, resipiscat ;
quàm vir aliquis doctus, si sit impius.

Imò, *Qui voluntatem Domini novit, nec facit, is
cadetur multis plagis, Luc. 12. v. 47.*

Dives non efferat se propter divitias suas, non contemnat pauperem.

thes. Divitiis enim suis non emet cœlum, aut remissionem peccatorū.

ant. Etsi Papistæ contrarium sentiant, liberatum iri ex Purgatorio,

| imò ex Inferno, dummodò pecuniam det sacrificulo. At,

test. Psal. 49. 7. 8. *Fidunt multi in opulentia sua, & in multitudine*

| *divitiarum suarum gloriantur : Quum tamen Fratrem nullo*

| *modo redimere potest quisquam, non dare Deo redempturam*

| *ejus. Nam cara est redemptio animæ, imo cessat in seculum.*

appl. Considerent hoc illi, qui putant,

Pauperem debere esse multò attentiores, diligentiores ;
quia ex eleemosynis vivat, & sustentetur.

Verum hoc est, Pauperem debere esse diligentem ;

sed & Ditiore in hoc ipso non erit negligens.

Perfectistæ, qui se perfectos esse gloriantur, aliique,

thes. Qui externè sancti apparent, non efferant se super alios.

| Et quòd hoc possint ? Si peccent, oblivioni tradetur omnis
| iustitia præcedens : ut est in *Ezech. 18. v. 24.*

appl. Perpendant hoc illi, qui putant, unum cum altero permutatum
iri : Si peccaverint, fecisse se contrà multa bona.

Non sic : Deus neminem relinquet impunitum ; puniet enim,
sine respectu ullius dignitatis, præstantiæ, aut præiudicii.

III. Exempla

III. Exemplum ἀπροσωληψίας hujus capient,

thes. Omnes Judices ac Magistratûs, ne personam accipiant.

hyp. Prout rex Josaphat hoc Dei exemplo Judices excitat, 2. Chr. 19. 6. 7.

Videte, quid sitis facturi: non enim pro homine judicaturi estis; sed pro Jehova, qui vobiscum futurus est in rebus judiciariis.

Quare nunc insit pavor Jehovæ vobis; observate, & facite:

Non enim est apud Jehovam, Deum nostrum, iniquitas, aut acceptio personarum, aut sumtio muneris.

ant. Quid communitè accidat, proh dolor! satis notum est.

Si quis sit pauper, non multùm curatur, vix attenditur ad ipsum:

Si quis honoratus, conspicuus, dives, munificus, facilè juvatur:

Si quis habeat bonum amicum, qui pro ipso agat, intercedat, tandem potitur jure suo, licèt ægrè:

Si quis manum plenam afferat, impetrat quod cupit, licèt injustum.

test. Sed quid jubet Deus? Quàm severè ille præcipit?

Lev. 19. v. 15. *Ne exercetote perversitatem in judiciis:*

Ne accipito personã tenuis, neq; honorẽ exhibeto persona magni: Justè judicato proximum tuum.

Deut. 1. v. 16. 17. *Audiendo causas inter fratres vestros,*

judicato justè inter virum & fratrem ejus, etiamq; peregrinam ei.

Ne suscipite personam in judicio, æquè parvum ac magnum auditote; ne metuitote à quoquam: Nam Judicium Dei est: h. e.

A Deo ordinati estis, ad judicium ferendum, & ipsius nomine.

Deut. 16. v. 19. 20. *Ne pervertito judicium, ne accipito personam:*

Neq; suscipito munus; quia munus exæcat oculos sapientum, & pervertit verba justorum: Justissimam justitiam sectare.

Prov. 24. 23. *Agnoscere personam in judicio, non est bonum.*

Appl. Beati Judices, qui hoc probè expendunt, & animadvertunt;

thes. Qui personam non accipiunt, muneribus non corrumpuntur;

qui justè judicant, nemini faventes, neminem metuentes;

qui nullâ re externa se à justitia abduci patiuntur.

test. Imò his Deus promittit benedictionem, temporalem & æternã: ut,

Psal. 15. v. 1. & 5. *Quis commoraturus est in tentorio tuo, ô Deus?*

Quis habitaturus est in monte sanctitatis tue, in cœlo? & c.

Qui munus contra innocentem non accipit.

text. Quandoquidẽ Dei sic erunt imitatores, sese conformantes scilicet

unico illo Justitiæ Exemplari, Deo Optimo Maximo;

Apud quem non est personarum acceptio, ut part. I. dictum:

ant. Contrà, Væ illis Judicibus, qui non modò externa respiciunt;
sed etiam non priùs judicant, quàm videant pecuniam.

Maledicti, qui propter munus & pecuniam, justam causam
vel condemnant, vel detinent ac differunt.

Maledicta illa pecunia, quæ sic acquiritur:

nunquam illa prosperabitur, aut opes augebit;
imò, accedens ad justas opes, & has consumet.

test. Quid verò de periculo Animæ dicam, post hanc vitam?

Jac. 1. 13. *Judicium sine misericordia erit ei, qui non presterit
misericordiam.* Contrà, Judicium & damnatio justa erit illi, in
illo die, qui hîc injuste judicaverit. Considera & illud,

Prov. 17. 15. *Qui absolvit impium, & qui condemnat justum,
abominationi Deo sunt æque ambo.* Esa. 5. 23. *Væ solventibus
impium, propter munus, & justitiam justorum abjudicantibus.*

C O N C L U S I O.

R. Audivistis ità, Auditores,

1. Deum non esse Profopolepten:

2. Nos hoc ipso exemplo Dei moneri: ut timeamus peccare;
Ut simus humiles; Ut Judices non respiciant personam.

C. Legimus de prudentissimo judicio Salomonis, regis juvenis, at sapientis;
quo protraxit in lucem, veritatem latentem: 1. Reg. 3. 16—28.

Deus non opus habet tali inquisitione, in rei veritatem:

Omniscius enim est, nec quicquam coram eo absconditum; ut

Heb. 4. 13. *Nec est ulla res creata, non manifesta in conspectu ipsius: imò,
Omnia sunt nuda, & intimè patentia oculis ejus, quicum nobis res est.*

Deus, qui nos miseros peccatores clementer respicit, &

Qui nihil respicit in nobis, quo nos gloriari possimus;

Det nobis talem mentem, ut consideratâ ejus Aprofopolepsiâ,

Timeamus peccare, coram eo, qui habet *ἐκδικῶν ὁμοίως.*

Humiliemus nos, in quocunque statu simus, nec nos efferamus,
quippe coram Deo Aprofopolepte omnes pares:

Cum primis Magistratibus, ut justitiæ sint administri,
nec respiciant personas aut munera;

sed cogitent, se Dei loco esse, & si injustè judicent,

se Deum injustum facere, qui tamen est justissimus.

V. Illi soli sit laus, honor, & gloria, in secula, Amen.

CONCIO XI.

C O N C I O XI.

De Inexcusabilitate Gentium, Judæorum;
& de Extremo Judicio.

Textus, Rom. II. v. 12—16.

Quicumque enim sine Lege peccaverunt, sine Lege quoque peribunt: & quicumque in Lege peccaverunt, per Legem damnabuntur. Non enim qui audiunt Legem, justi sunt apud Deum; sed qui Legem præstant justificabuntur. Nam quum Gentes, quæ Legem non habent, naturâ quæ Legis sunt faciunt, illi Legem non habentes sibi ipsis sunt Lex: Ut qui ostendant. opus Legis scriptum in cordibus suis; unâ testimonium reddente ipsorum conscientia, & cogitationibus sese mutuo accusantibus, aut etiam defendentibus. In die, quo judicabit Dominus, de rebus occultis hominum, ex Evangelio meo, per Jesum Christum.

E X O R D I U M.

Veniet tandem ad judicium Deus, reddens cuique secundum opera, Gloriam & honorem, Incorruptibilitatem, Pacem, Vitam æternam, iis qui per tolerantiam boni operis eandem quærent: Excandescantiam & Iram, Afflictionem & Angustiam, iis qui patrant malum, non assentientes veritati, & non obsequentes justitiæ. Ut ex præcedentibus verbis audivimus, in conc. IX. Et non erit ibi respectus personarum, ut ex præced. conc. X. cognovimus. Si Judæi rectè se gerant, mercedem promissam percipient; Si Gentes se convertant, illis quoque gratia continget. Si peccent Judæi, punientur, nec respiciet in suo judicio Deus, eosdem populum suum esse, & Legem scriptam habere. Si peccent Gentes, punientur, & non excusabuntur coram Deo, quamvis Legem scriptam Mosis non habeant. In summa; Nulla in judicio illo Dei excusatio prætexi poterit, Anima quæ peccat, ipsa morietur, Ezech. 18. 20. ex Deut. 24. 16. Neque ullus ibi habebit ullam prærogativam, aut excusationem, præterquam in sola gratia & misericordia Dei, in Christo,

P. Quia

P. Quia autem homines varia solent prætexere, ad suam excusationem,
Ne quis imposteriorum, se deceptum esse, deprehenderet,
Paulus exsequitur officium fidelis doctoris ac Apostoli,
Atque in verbis prælectis adimit omnem excusationem,
tam Judæis, quam Gentibus:
iterumque describit breviter Extremum iudicium.

Ita ut duas hasce partes hac vice tractandas habeamus;

I. *Ut neque Gentes, neque Judæi, inexcusabiles sint:*

II. *De Extremo Iudicio; quid de illo tenendum sit.*

V. Deus, qui fideliter nos moneri curat, ne frustra nos excusemus, det,
Ne hac vice nos excusemus, ista diligenter audire & observare:
Neve ullam excusationem aliam in illo die prætexamus,
quam Gratiam Jesu Christi; quæ sola excusat omnes
penitentes peccatores, si illam verâ fide recipiant: *Amen.*

P A R S I.

Primò, de *Inexcusabilitate Gentium & Judæorum*, dicit Paulus,

1. *In genere*, de utrisque;

*Text. Quicumque sine Lege peccaverunt, sine Lege quoque peribunt: &
Quicumque in lege peccaverunt, per Legem damnabuntur.*

Exeg. Sciebat enim Paulus,

Gentes hoc prætexturas, se non scivisse voluntatem Dei;
siquidem non habuerint Legem Dei scriptam, ut Judæi:
Judæos hoc prætexturos, se esse electum Dei populum,
quem Deus dignatus esset Lege suâ, per Moysen latâ;
absonum fore, si Deus eos puniat.

Sed Paulus utrisque adimit excusationem, & dicit,
Neutros sufficientem excusationem prætexere posse.

2. *In specie*, primò de Gentibus, deinde de Judæis agit.

I. D E G E N T I B U S,

Prop. Se quidem hoc prætexturas, quòd Lege scriptâ careant;

Sed respondet illis duo:

1. *Habere eas Legem Naturæ;*

2. *Propriâ Conscientiâ ipsas damnari.*

Tract. Hæc duo, de Gentibus, sunt tractanda, pag. seqq. lit. a) y).

Concl. Vide infra, lit. d)

Appl. Vide infra, lit. s)

a) 1. *Habere*

1. *Habere Gentes Legem Naturæ*, docet Paulus,
 Text. His verbis; *Quum Gentes, quæ Legem non habent, naturâ
 quæ Legis sunt faciant, illi Legem non habentes, sibi ipsis sunt
 Lex: ut qui ostendant opus legis, scriptum in cordibus suis.*

Exeg. Quibus verbis Paulus vult indicare,
 thes. Gentes se non posse excusare, quia Legem non habeant,
 ideò se nescivisse voluntatem Dei: Nam,
 Habuisse eas Legem Naturæ, inditam cordibus suis;
 prout ait, quod *sibi ipsis sint Lex, quum ostendant eam scri-
 ptam in cordibus suis*, h. e. naturaliter cognitam.

prob. Probat hoc, ex eo, *Quia Naturâ quæ Legis sunt faciant:*
 Non quidem perfectè, & ut debebant;
 Sed externè, & ex parte.

exëp. Certè ex Lege naturæ profluxerunt,
 1. Libri scriptorum Gentilium, de Virtutibus;
 2. Leges Gentium, Civitatum, Populorum;
 3. Reliqua illa scintilla cognitionis naturalis,
 Esse Deum, ut Cic. 1. de Leg. Eumque unum, ut Socrates:
 Deum non posse effigiari, ut Romani 170. annis:
 Non jurandum temerè, falsò, ut Menander, &c.
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator, Tib.
 Et si quæ similia principia, naturaliter nota.

decl. Hinc fanè patet, non fuisse exleges Gentiles,
 Nec quoad Primam tabulam Legis; ut
 Deum esse, & quidem unum, Timendum esse, I.
 Non posse efformari Deum, II.
 Non jurandum esse temerè, aut falsò, III.
 Sacris diebus feriandum esse, IV.

Nec quoad Secundam tabulam Legis; ut
 Honorandos esse parentes, senes, magistratus, &c. V.
 Non occidendum, non irascendum esse, &c. VI.
 Non esse scortandum, adulterandum, &c. VII.
 Non esse furandum, avaritiam fugiendam, &c. VIII.
 Non esse mentiendum, obtrectandum, &c. IX.
 Malas cupiditates, cogitationes, fugiendas, X.

Hinc concludimus, Gentiles justè damnari,
 si non ex Lege scripta, in duabus tabulis Decalogi;
 saltè ex Lege Naturæ, scripta in cordibus.

Q

β) prol.

1) *prol.* Nec tamen sequitur, Potuisse Gentes solo Naturæ ductu salvari;
Extra Christum enim, & extra Ecclesiam non est salus;
Sicut & extra Arcam Noæ nulla vita fuit.

Hoc tantum sequitur, Non posse se excusare coram iudicio Dei;
quia non fecerunt, quæ facienda erant, ex lege naturæ;
quia patrârunt quæ norant morte esse digna:
unde fragmenta, Campi Elysi, Inferni, &c.

2) *Propriâ Conscientiâ Gentiles damnari*, docet Paulus,
Text. His verbis; *Unâ testimonium reddit ipsorum Conscientia;*
& Cogitationes sese mutuo accusant, aut etiam defendunt.

Exeg. Potest id intelligi, de Mala Conscientia,
non solum in hac vita, sed etiam in futura;
ubi *Vermis eorum non morietur*, Esa. 66. 24.

Cæteroqui certum est, Malè agentes sentire accusationem cordis,
quamvis vultu gaudium simulent, & spem fronte serenent.

Hinc elegantes illæ sententiæ Gentilium, de Conscientia
Mala: de qua Juvenalis; *Pœna gravis, —*

Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Prima hæc est ultio, quod seipso teste nemo innocens est,
nemo nocens absolvitur, aut impunis erit.

Bona: de qua Horatius, — *Hic murus abonus esto,*

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. Item Cato,

Conscia mens recti, fama mendacia ridet: quum contra,

Consciens ipse sibi, de se putat omnia dici.

3) *Concl.* Quia ergo Gentes *Legem naturæ habent inscriptam cordibus suis,*
& *naturâ que Legis sunt faciunt*, (siquidem faciant bene;) &

Quia eas *propria Conscientia damnat*: sequitur,
Inexcusabiles esse Gentes, coram iudicio Dei.

4) *Appl.* Si duæ hæc causæ sufficiunt, ad damnandas Gentes;

Quid fiet de Christianis, externâ specie fidelibus?

Qui præter legem Naturæ, præterque Conscientiæ admonitiones,
habent legem Scripturæ, Euangelium, Sacramenta, &c.

Sanè, non idem modò illos manet iudicium, quod Gentes;

sed & multò gravius: ut Christus ait, Matt. II. v. 21. — 24.

Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida; & tu Capernaum:

Si Tyri & Sidone, si Sodomis, editæ fuissent virtutes illæ, &c.

Quinetiam dico vobis; Tolerabilior erit conditio Tyro & Sidoni:

Tolerabilior erit conditio terræ Sodomorum, quam vestra.

II. DE JUD.

II. DE JUDÆIS.

Præp. Judæi superbi erant, Gentes præ se despiciebant, & Gloriabantur identidē, de Lege, de Templo, de Ceremoniis, &c.

ut Jer. 7. 4. *Ne habetote fiduciam vestrā in rebus falsis, dicendo; Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini.*

Habebantque reverā prærogativam magnam; ut Paulus ait, Rom. 3. 2. *Multa prærogativa Judæi, per omnem modum; Primarium hoc est, quod eis credita sunt Eloquia Dei.*

Rom. 9. 4. 5. *Quorum est adoptio, & gloria, & pacta, & Legis constitutio, & cultus, & promissiones, & Patres: & ex quibus est Christus, quod ad carnem attinet.*

Adeoque putabant se sanctos, ac non puniendos à Deo.

His igitur etiam omnem excusationem adimit Paulus, docetque, Per Legem, ad quam provocent, ipsos damnatum iri:

Text. Dicens; *Quicumque sine Lege peccaverunt, sine Lege peribunt: & Quicumque in Lege peccaverunt, per Legem damnabuntur.*

Exeg. Illud dicit de Gentibus; de quibus antea diximus:

thes. Hoc de Judæis; Eos per Legem, de qua gloriantur, damnari. *test.* Idem dicit Christus, Joh. 5. 45. *Est qui accuset vos, atque damnet; Moses, in quo vos speratis.*

decl. Suprà diximus, Paulum hoc agere in hac Epist. ut probet, *Omnes homines esse peccatores, & defici gloriā Dei, cap. 3. 23.* Gentes peccatores esse, hætenus probavit, *cap. 1. & 2. initio.* Jam deinceps probabit, & Judæos esse peccatores.

Subd. Distribuit autem Judæos, in Doctores, & Auditores.

Doctores: de his dicemus concione seq.

Eos alios quidem docere Legem;
Sed ipsos eam non præstare.

Auditores: qui ex auditu Legis salutem sperabant;
De his in textu prælecto agit Paulus.

Tract. De his igitur hac concione dicendum nobis est.

Text. Dicit itaque de his, Auditoribus, in hunc modum Paulus;
*Non, qui audiunt Legem, justi sunt apud Deum:
Sed qui Legem præstant, justificabuntur.*

Test. Testimonia duplicis generis sunt,
Parallela, vide pag. seq. lit. ζ)
Contraria, vide pag. seq. lit. η)

Appl. Vide pag. seq. lit. θ)

Q 2

ζ) Parall.

- 2) *Parall.* Hoc scilicet est, quod Lex ipsa clamat, seu Deus in Lege;
 Deut. 4. 1. *Attende Israel, ad statuta, judiciaque,*
quae ego doceo te FACERE, ut vivatis.
 Lev. 18. 5. *Homo qui FECERIT ea, vivet in eis.*
- 3) *Contr.* Contrà, qui Legem non faciunt, damnabuntur: ut
 Deut. 27. 26. *Maledictus, qui non praestiterit verba Legis huius,*
faciendo ea. Quod repetitur ab Apostolo Paulo,
 Gal. 3. 10. *Maledictus omnis, qui non manserit in omnibus,*
quae scripta sunt in libro Legis, ut ea faciat.
 Hos non juvat audire Legem, eamque scire:
 Imò, qui novit Legem, & non facit, gravius punietur; ut
 Luc. 12. 47. 48. *Servus, qui novit voluntatem Domini sui,*
& neque se comparavit, neque fecit ex eius voluntate,
cadetur multis plagis: Qui vero non novit, & fecit
digna plagis, cadetur paucis plagis.
- 4) *Appl.* Eodem modo se res habet in Novo Test.
thes. Non, qui audiunt Euangelium, illudque norunt, salvabuntur;
 sed, qui juxta Euangelium fidem & vitam suam instituunt.
rest. Hinc Jacobus ait, Jac. 1. v. 22. *Effectores estote sermonis,*
non Auditores modo, false ratiocinando fallentes vosmetipsos.
 Sic Christus, Luc. 11. v. 28. *Imò verò beati sunt, qui audiunt*
sermonem Dei, & eum Observant.
 Idem significatur in parabola Seminis, Luc. 8. v. 11-15.
 Multos quidem audire, sed paucos in corde honesto ac bono
auditum sermonem retinere, & fructum ferre per tolerantiam.
 Idem docet Christus aliâ parabolâ, Matt. 7. 24-27.
Qui audit ex me sermones istos, & praestat, similis est viro,
qui aedificavit domum suam in petra: &c.
- prol.* Posset aliquis ex his verbis Pauli objicere; Si facientes Legem
 justificabuntur, datur igitur Justificatio ex operibus.
 At non dicit Paulus, Esse tales, qui praestent Legem;
 sed dicit, Si praestent Legem, justificabuntur.
 Atqui docet Paulus, neque Gentes praestare Legem, neque Judaeos;
 adeoque omnes esse peccatores: tandemque concludit inde,
 Neminem posse justificari ex operibus Legis;
 sed ex fide, in gratiam Christi lata, Rom. 3. v. 28.
- trans.* Haec de Inexcusabilitate Gentium & Judaeorum.
 pergit nunc paucis describere Judicium Extremum.

P A R S II.

Sequitur brevis descriptio *Extremi Judicii*.

Præp. Posset enim, ex tractatis hæctenus, ulteriùs quæri;

Ecquando & Quomodo judicabuntur, qui sic sunt inexcusabiles?

Hoc etiam Paulus brevibus verbis subdit, atque ità egregiam

Judicii Extremi descriptionem proponit,

Text. His verbis; *In die, quo judicabit Dominus, de rebus occultis hominum, ex Evangelio meo, per Jesum Christum.*

Part. Quatuor in quolibet Judicio consideranda veniunt:

1. *Dies Judicii;*
2. *Judex judicaturus;*
3. *Factum judicandum;*
4. *Lex, secundum quam judicandum est.*

Tract. Apostolus hæc omnia pauculis verbis complexus est.

I. DE DIE JUDICII.

Text. *In die, quo judicabit Dominus.*

Exeg. Scilicet illo Die, quo judicabit Deus vivos & mortuos:

test. Quem constituit Deus, quique certus est; ut

Act. 17. 31. Statuit Deus diem, quo justè judicaturus est orbem terrarum, per eum Virum, quem definiit; fide ejus rei palam factâ omnibus, eo ex mortuis suscitato.

temp. Quando autem hic dies venturus sit, ignotum est: nam,

thes. Occultavit eum Deus, nobis, Angelis, omnibus creaturis;

Sibi que soli illam scientiam reservavit: juxta

Matt. 24. 36. De die autem illo & hora nemo scit,

ne Angeli quidem cælorum; sed Pater solus. Imò,

Marc. 13. 32. Neque ipse Filius, sed Pater. Nimirum,

Christus secundum humanam naturam nescit;

Nec ei datum est, illum revelare nobis in Evangelio.

Atque hoc aliis parabolis etiam indicat Christus: nempe,

Furis, Matt. 24. 43. conf. 1. Thess. 5. 1.

Laquei, obruentis aves, Luc. 21. 35. & c.

rat. Occultat autem, nostro bono: nam,

Unus dies latet, ut omnes timeantur.

Usus. Idcirco Vigilandum nobis est, & semper parati erimus: quia

Nescimus, quando Dominus venturus sit, *Matt. 24. 42. C. 25. 13.*

II. De JUDICE.

Text. Deus judicaturus est, per Jesum Christum.

Exeg. Tangit his verbis Paulus Judæos;

thes. Qui Jesum crucifixerant, ac contemnebant: quasi dicat,
Vos quidem nunc contemnitis Jesum, quem vobis prædico;
Sed noritis hoc, quòd Dominus Deus

test. Act. 17. 31. Constituit diem, quo justè judicaturus est orbem
terrarum, (ut sup.) per eum Virum, quem definiit, (nempe,
Jesum Christum;) fide ejus rei palàm facta, omnibus, illo
ex mortuis suscitato. Sic & Petrus,

Act. 10. 42. Hic est, (nempe, J. Christus,) qui definitus est à Deo
Judex vivorum & mortuorum. Sic Christus ipse,

Joh. 5. 22. Nec enim Pater judicat quemquam,
sed omne judicium dedit Filio.

concl. Est ergo summus Judex Deus: h. e. Deus Pater;

qui Judicium hoc procurabit, per Filium suum, J. Christum.

Usus. Considerent hoc illi, qui effugiunt aut evadunt judicium humanum;

Sanè, Dei judicium non effugient, quod eos certò manet:

Si non Dei, ergo nec Christi, qui à Deo judicaturus est.

III. De FACTO judicando.

Text. Judicabit de rebus occultis hominum.

Exeg. Longè aliter hinc erit, quàm in judiciis humanis.

comp. Judices terreni agunt, cognoscunt, judicant, tantummodò
de manifestis factis, & publicè commissis notisque;

Christus etiam intimum & abditissimum cordis judicabit,
nihilque coram eo occultari poterit. Undè Paulus ait,

test. 1. Cor. 4. v. 5. Ne ante præstitutum tempus quicquam judicate,
id est, usque dum venerit Dominus; qui & illustraturus est
res tenebris occultatas, & manifesta faciet consilia cordis.

Hoc est, Non solum judicabit manifesta, facta, verba, &c.
sed etiam abstrusa cogitata cordis. Etenim,

Jer. 17. 10. Deus est in medio visus, probator Renum;
h. e. omnium intus in homine latentium.

Apoc. 1. 14. Oculi ejus, ut flamma ignis; omnia, etiam abdi-
tissima, perlustrantes ac pervidentes. Ut & dicitur,

Heb. 4. 13. Non est ulla res creata, non manifesta in oculis
ipsius: imò omnia sunt nuda, & intime patentia, oculis ejus,
quicum nobis est negotium.

x) Usus.

x) *Usus.* Perpendant hoc ij, qui nullâ molestiâ afficiuntur,
thes. Dummodò occultè peccare possint; & non cogitant,
 Deum etiam *Occulta* adducere in iudicium.

test. Eccl. 12. v. ult. *Deus omne opus adducet in iudicium,*
cum omni re occulta, sive bonum sive malum.

Matt. 12. 36. *Quodcumque verbum otiosum loquuti fuerint homines,*
de eo reddaturi sunt rationem, in die iudicij.

prol. Vulgò dicitur, Cogitationes à vectigali esse liberas;
 & Verborum inanium non habetur ratio, inter homines:

Sed in Iudicio Dei, omnia verba otiosa, omnia cogitata,
 omnia occulta & occultissima, iudicabuntur.

IV. De LEGE, juxta quam est iudicandum.

Text. De ea dicit Paulus; *Secundùm Euangelium meum.*

Exeg. Multi hoc ipso causâ cadunt, in iudiciis humanis,

thes. Quia nesciunt Processum, nesciunt quoque Statuta;

atque sic eam ob causam, amittunt sæpè bonam causam.

Sed de hoc non possunt queri Christiani, qui Euāgelio gaudent:
 nam in Euangelio processus hic judicialis describitur.

test. Joh. 12. 48. *Qui asspernatur me, nec recipit verba mea, habet*
qui condemnet ipsum: Sermo, quem loquutus sum, ille da-
mnabit eum ultimo illo die.

Apoc. 20. 12. *Et libri aperti sunt, & alius liber apertus est,*
qui est liber Vitæ: iudicati que sunt mortui, ex iis, que
scripta erant in illis libris, secundum opera ipsorum.

Doct. Hic ergo erit Processus in illo die, ut scriptum est in Euangelio:

Matt. 24. v. 30. 31. itèm, Matt. 25. v. 31. 32. 33. & c.

Nullus ibi Advocatus admittetur, præter Christum, qui erit piorū,
 & Iudex, & Advocatus, 1. Joh. 2. v. 2. *Habemus Advocatū apud*
Deum, Jesum Christum justum.

De Fide juxta quam iudicabitur, agitur in Euangelio,

Joh. 3. 18. *Qui credit in Filium, non condemnatur:*

Qui verò non credit, jam condemnatus est, quia non credidit
in nomen unigeniti Filij Dei.

Joh. 5. 24. *Qui credit, in condemnationem non veniet,*
sed transivit à morte in vitam.

De Impiis iudicandis, sunt hæc dicta in Euangelio:

Mat. 7. 21. & c. *Non omnis qui dicet mihi, Domine, Domine, & c.*

1. Cor. 6. 9. 10. *An ignoratis? & c. Ne errate, & c.*

CONCL.

C O N C L U S I O.

R. Audivistis ità, Auditores,

1. Ut peccantes, neque Gentes, neque Judæi, se possint excusare:
Non Gentes; quia habent Legem scriptam in cordibus suis,
imò propria Conscientia eas damnat:
Non Judæi; quia justî, non qui audiunt, sed qui præstant Legem.
2. Descriptionem Judicij ultimi brevissimam:
Diem Judicij certum esse, tempus incertum;
Deum judicaturum, per Jesum Christum;
Etiam occulta hominum; & quidem,
Juxta Evangelium, à Christo, Paulo, aliisque prædicatum.

C. Omnia huc tendunt, ut vigilemus, ne nos incautos opprimat ille dies.

Luc. 21. v. 34. 35. 36. *Cavete vobis, ne quando graventur corda vestra, crapulâ & ebrietate, & solitudinibus hujus vitæ; & repente vobis superveniat dies ille. Nam ut laqueus invadet in omnes, qui habitant in superficie totius terræ. Excubate igitur, omni tempore deprecantes, ut digni habeamini, qui effugiatis ista omnia, quæ futura sunt, & consistatis ante Filium hominis.*

Tenenda est illa seria admonitio Apostoli Petri,

2. Pet. 3. v. 4. *Quapropter, dilecti, quum hæc expectetis, studete, ut incontaminati & inculpato ab eo inveniamini, cum pace.*

Ità autem incontaminati & inculpato inveniemur,

Si à peccatis sedulò caveamus, in illa incidentes maturè resipiscamus;
Si conscientiam nostram, verâ fide in Christum, purgemus;
& bonis operibus, indicibus veræ fidei, operam demus.

Id facientes, non horrebimus, sed gaudebimus, illo die venturo:

Sic imperterriti apparebimus, coram tribunali Christi; gnari,
Fore eum, & Judicem, & Advocatum nostrum:

Proinde, non tam præcisè examinaturum, quin recreet;
nec accusationem contra nos accepturum;
nec sententiam condemnationis super nos laturum.

Quare, aliis damnandis, ac audituris illud, *Abite à me, &c.*

Nos juxta Evangelium absolvemur à peccatis nostris;

Atque audiemus illud, *Venite, benedicti Patris mei, possidete &c.*

V. Id concedat nobis clementissimus Deus, Pater, Filius, Sp. S.

Benedictus in omnia secula seculorum, Amen.

CONCIO XII.

C O N C I O XII.

De Doctoribus Judæorum.

Textus, Rom. II. v. 17—22.

Ecce, tu cognominaris Judæus, & acquiescis in Lege, & gloriaris in Deo; Et nosti ejus voluntatem, & exploras quæ discrepant, institutus ex Legis auditu: Confidisque, te via ducem esse cæcis, lucem eorum qui sunt in tenebris; Eruditorem desipientium, magistrum infantium; quod habeas informationem cognitionis ac veritatis in Lege. Qui igitur doces alium, te ipsum non doces; qui prædicas, non furandum, furaris; qui dicis, non mæchandum, mæcharis; qui abominaris idola; sacrilegium admittis. &c.

E X O R D I U M.

ETiamsi Paulus fuit Gentium Apostolus; ut ipse ait,

Gal. 2. 9. *Dextras societatis dederunt mihi, ac Barnabæ,*

Apostoli Jacobus & Petrus & Johannes, ut nos apud Gentes, ipsi verò apud Circumcisos, Apostolatu fungerentur.

Eph. 3. 8. *Mihi, longè minimo inter omnes sanctos, data est hæc gratia euangelizandi, inter Gentes, impervestigabiles opes Christi.*

Tamen sollicitus etiam fuit, de salute Judæorum; ut ipse ait,

1. Cor. 9. 20. 21. 22. *Factus sum Judæis, ut Judæus, ut Judæos lucrifacerem; iis qui sub Lege sunt, quasi essem sub Lege, ut eos qui sub Lege sunt lucrifacerem: Ex legibus, ut exlex, non tamen exlex Deo, sed sublex Christo, ut lucrifacerem exleges. Factus sum infirmis, ut infirmus, ut infirmos lucrifacerem: Omnibus factus sum omnia, ut omnino aliquos servarem. Imò etiam,*

Rom. 9. 1—3. *Anathema à Christo esse, optat, pro fratribus suis cognatis suis secundum carnem, h. e. Judæis.*

Adeòque hoc agit, initio hujus Epistolæ ad Rom. ut arguat peccati, Doceatque, Omnes omnino esse peccatores, & carere justitiâ Dei, Non tantùm Gentes, sed etiam ipsos Judæos:

Idque magno ipsorum bono. Nam,

Ut vulnus curetur, necesse est, Spinam eximi priùs.

R

Proximè

Proximè præcedentibus verbis, plebejos Judæos convicerat,
 Eos esse peccatores: siquidem verum sit,
 Non qui audiunt, sed qui præstant Legem, justificandos esse.
 Nunc ad ipsos Judæorum Doctores venit, & illos quoque peccati arguit;
 Quemadmodum etiam supra de Gentilibus probaverat,
 Non tantum plebeculam, sed & præcipuos ex illis, peccatores esse.
 P. Agit enim Paulus, in verbis prælectis, de Doctoribus Judæorum,
 describens primò Doctrinam ipsorum, & quales se esse, præ se ferant;
 proponens deinde Vitam ipsorum, illam cum doctrina non convenire.
 Adeò ut hæc duo hac vice simus consideraturi, Doctorum Judaicorum

I. Doctrinam;

II. Vitam.

V. Deus det nobis gratiam suam, ut
 non solum bonam Doctrinam doceamus, & audiamus;
 sed etiam juxta illam Vitam nostram instituamus: Amen.

P A R S I.

Primum quod attinet, Doctrinam Doctorum Judaicorum, de ea Paulus agit,
 Text. His verbis; *Ecce, tu cognominaris Judæus, & acquiescis in Lege,*
& gloriaris in Deo: Et nosti ejus Voluntatem, & exploras quæ
discrepant, (καταχρημασθαι) institutus ex Legis auditu: Confidisque,
te Via ducem (ὁδον) esse cæcis, Lucem eorum qui sunt in tenebris;
Eruditorem desipientium, Magistrum infantium, (ἐκπονα τὴν μέγιστον)
habentem Informationem cognitionis ac veritatis in Lege.

Part. Quibus verbis quatuor dicit Apostolus:

I. Tu cognominaris Judæus:

Exeg. Quasi dicat;

γ | thes. Deus te præ aliis dignatus est cognitione sui:
 β | Dedit tibi Legem, h. e. Sacrosanctum Dei Verbum
 ex quo erudiris ad salutem:
 Adeoque confessor & professor es Dei veri, Messia, &
 Federis gratuiti, initi cum Abr. Isaac. & Jac.
 test. Atque ita gloriari potes, (ut & Paulus testatur, Rom. 9. 4. 5.)
 Ad te quoque pertinere, Adoptionem, & Gloriã, & Pacta,
 & Legis constitutionem & Cultum, & Promissa, & Patres;
 Te quoque esse ex Israëlitis, ex quibus est Christus, quod ad
 carnem attinet, qui est supra omnes Deus benedictus
 in secula.

α) decl.

a) *decl.* Dicit autem Paulus, Tu cognominaris *Judæus*;

Non dicit, Tu cognominaris *Israëlita*:

1. Quia Judæi ex omnibus tribubus suas genealogias servarant; contra, reliqui Israëlitæ confusi erant in suis tribubus.
2. Quia etiam Judæi cultum divinum observarant; contra, Israëlitæ reliqui defecerant: unde Christus, Joh. 4. 22. *Vos, Samaritani sc. adoratis, quod nescitis; Nos, Judæi sc. adoramus, quod scimus; Quia ex Judæis salus est.*

Vocat autem Doctores Judæorum, præ aliis *Judæos*:

Non, quòd magis sint Judæi, præ cæteris Judæis;

Sed, quum ipsi præ aliis essent historiarum periti, indeque suas genealogias studiosius deducerent, adeoque præ aliis Judæi videri volebant.

ß) *App.* Ità hodiè que dici potest Papistis, Romanistis:

Vos cognominamini *Christiani*. Nam etiam

Deus eos dignatus est suo Verbo, S. Scripturâ:

Illi præ se ferunt, se confiteri Deum, unum essentiâ, trinum pers. se colere Christum, se N. T. recipere:

Illi ipsi gloriantur, se antiquissimos esse Christianos; Paulum Apostolum Romanis prædicasse, scripsisse; Indè venisse Euangelium ad reliqua loca.

Ideò etiam cum primis Christiani haberi volunt:

Quia bene intelligant successionem Episcoporum;

Illam scilicet accuratissimè indagantes, ac scrutantes.

quomodo unus alteri successerit, imprimis Romæ, indè ab Apostolorum temporibus:

multa interim mentientes, & fingentes.

Sed quid illis hæc gloriatio profutura sit, patebit ex seqq.

Sanè, multa falsa veris intermiscunt, ut & Judæi:

Petrum fuisse Romæ, ibique sedisse primum Episcopum, & quidem, viginti quatuor annos:

Quum ex historia N. T. satis pateat, id temporis Petrum alibi fuisse;

Veneritne tandem Romam, non patet.

Id tamen si verum esset, certum est, quod Augustinus ait;

Non esse successores Petri, qui Petri doctrinam non tenent:

Sic nec Pauli discipuli, qui doctrinam Pauli impugnant.

II. *Acquiescis in Lege.*

Exeg. Quasi dicat; Tu fiduciam ponis in Lege:

Ideò te salvatum iri, quia Legem habeas, sciasque:
 Possè te salvari ex Lege, quia illam possis servare.

Appl. Idem dici potest Papistis. Nam,

Quia Christus dicit, Luc. 10. 28. *Fac hoc, & vives:*
 Ideò confidunt bonis suis operibus, putantque,
 se ex observatione præceptorum possè salvari:
 præceptis tamen Christi assuunt suas Traditiones,
 illasque, ut & Judæi, Legi divinæ æquandas.

III. *Gloriaris in Deo.*

Exeg. Quasi dicat Apostolus;

gen. In veritate ità est, Deum te, cum tuo populo, hoc singulari
 beneficio, & quidem præ aliis multis, affecisse. Etenim,

test. Psal. 33. 12. *Beata gens illa, cujus Jehova Deus est;*
populus, quem elegit in possessionem sui.

Psal. 147. 19. 20. *Indicat verba sua Jacobo, statuta &*
jura sua Israël. Non fecit ità ulli genti; ideòque
jura ista non noverunt.

spec. Gloriaris etiam, Deum te, in illo populo, ex fece vulgi evectum,
 Eminentiori loco posuisse. Veruntamen,
 Perinde, ut superbus ille Pharisæus, Luc. 18. 11.

Gratias ago tibi, Deus, quòd non sim, ut reliqui homines,
rapaces, injusti, mæchi, vel etiam ut ille Publicanus, &c.

Appl. Etiam hac in parte Papistæ veniunt comparandi, cum Judæis.

comp. Ut Judæi jam pridem Legem habuerunt, & propterea
 gloriantur adversùs Christianos, ad N. T. vocatos:

Ità Papistæ jam pridem Euangelium acceperunt,
 & quamvis in illo non manserint, gloriantur tamen
 adversùs illos, qui nuper ad lucem Euangelii emerferunt.

thes. In veritate autem ità est, Papistis magnam à Deo factā gratiā.
 Habent enim ab initio Euangelium; habentque adhuc;
 Quanquam id falsant, & Traditionibus suis miscent.

Ità ut bene possint gloriari de Deo: Sed hæc gloriatio
 pterunque evadit, in illam gloriationem Pharisaicam;
 Ago tibi gratias, ô Deus, quòd Catholicus sim,
 quòd non sim hæreticus, &c.

Sed nec gloriatio prodesse potest, ut patefcet infrà.

IV. *Nostris*

IV. Nosti voluntatem Dei.

Exeg. Hoc est, Quia catechizatus ex Lege Dei, Doctor Legis es; ideo

1. *Exploras ea, quae, discrepant*, (τὰ διαφέροντα): conferens
Scripturam cum Scriptura, indeque explicans, *Neh. 8. v. 9.*

2. *Confidis*, h. e. *Perfuades tibi*, & vis videri, te esse

Viae ducem caecis, h. e. rudibus in Lege Dei:

Lucem eorum qui sunt in tenebris, h. e. errantium:

Eruditorem insipientium, h. e. Castigatorem peccantium:

Magistrum infantium, h. e. simplicium, ineruditorum:

qui quidem pii, sed non multum intelligunt; ut

Matt. 11. 25. Detexisti ea Infantibus: qui opponuntur

ibidem Sapienibus & Intelligentibus.

3. *Habes informationem cognitionis ac veritatis in Lege*,

(μόρφωσιν, formam,) h. e. *Controversias Legis decidere*,

Scire etiam inde potes, quid verum, quid falsum sit,

quid æquum & iniquum, quid bene aut malè fiat.

Appl. Omnia hæc sunt, insigni laudi & gloriæ. Nam,

hyp. Qui Legem Dei, & Verbum Dei habent, & intelligunt,

Certe, & illi *Voluntatem Dei sciunt*: etenim,

Illam Deus in Verbo suo patefecit.

Idcirco & *Consilia dare possunt*, fidei & vitæ;

Explorantes, quis sit sensus verborum Scripturæ,

ex collatione similium & dissimilium locorum:

Jureque vocantur, *Duces cæcorum*,

Lux eorum, qui in tenebris sedent,

Eruditores & Castigatores insipientium,

Magistri infantium, simplicium & indoctorum.

Habentque formam cognitionis & veritatis, in Lege,

h. e. *ὑποτύπωσιν sanorum sermonum*, ut *2. Tim. 1. 13.*

thes. Ex qua descriptione discimus,

Quid sit censendum de Doctoribus verbi?

Etsi non debeant superbire, suo statu; juxta illud,

Matt. 23. 8. 10. Ne vocemini, Rabbi, Doctores:

Etsi non vivant juxta doctrinam suam, (ut nec Judæi;)

Tamen nos illos pro iis habebimus, ad quod à Deo sunt

ordinati ac constituti, ut *Matt. 23. v. 2. 3.* nempe,

Faciemus, non secundum opera, sed doctrinam eorum

Apud illos consilia capiemus, in rebus dubiis, &c.

R 3.

γ) Ὑψω.

v) Usus. (generalis, I. partis. Verùm enimverò,
thes. Quamvis Doctores Ecclesiæ, singulari laude hoc nomine ornentur;
 Tamen cogitabunt, Hanc laudem & gloriam eos non juvare,
 Nisi secundum propriam ipsorum doctrinam vivant.

text. Exemplum hîc habemus, in Judæorum Doctoribus; qui
 Cognominabantur Judæi, Acquiescebant in Lege,
 Gloriabantur in Deo, Noverant voluntatem Dei:
 Sed quid illis acciderit, parte II. audiemus; nimirum,
 Non viventes congruenter ipsorum doctrinæ, rei fiebant.

ampl. Imò, Glorientur licet, sive verè, sive falsò,
 Judicium ipsorum tantò gravius erit; juxta illud Christi,
 Luc. 12. 47. *Servus ille, qui novit voluntatem Domini,*
& neque se comparat, neque facit, ex ejus voluntate,
cadetur multis plagis: h. e. gravius judicium feret.

appl. Ejusmodi Doctores sunt,

1. Non solùm Pontificii, qui gloriantur se Christianos;
 Et quidè, Præfules, Episcopos, Archiepiscopos, Cardinales, &c.
 Adde gloriationem Papæ Romani, qui se venditat,
 Vicarium Christi, omnium reliquorum Dominum,
 Vice—Deum, Deum in terris, &c.

Acquiescunt in Lege & Evangelio, assutis suis Traditionibus:
 Gloriantur de Deo, de Christo, de Ecclesia, &c.

Norunt voluntatem Dei, gloriantes, se esse
 Interpretes Scripturæ, Duces cæcorum, Doctores, &c.
 Magistros nostros; aliisque titulis insolescunt.

2. Sed etiam multi ex nobis. Nam,
 Etiam si puram Religionem habeamus;
 Tamen sæpiùs audiendum, multos propter vitam turpem
 & scandalosam, multis molestos esse.

comp. Idem illis accidit, quod multis Principibus,
 qui titulos sibi sumunt, de multis regionibus,
 quas tamen, vel non habent aut possident,
 vel nihil juris in eas obtinent.

Ità nihil juvat vanos istos homines,
 si vocentur Prælati, Præpositi, Abbates, Episcopi, &c.
 fraudiant Reformati, puræ Religionis affectæ:

Nisi Vita ipsorum respondeat Doctrinæ;
 Ut in parte II. porrò audiemus.

P A R S II.

Sequitur *Vita Doctorum*, ut illa responderit Doctrinæ ipsorum. [ari

Præp. Potuisset Paulus vel hoc ipso probare, Judaicos doctores frustra sic glori-

Quia multum discriminis erat, inter pietatem veterum Prophetarum,
atque Scribarum, postremis temporibus viventium:

Quia etiam Scribæ nihil de Christo sciebant; qui tamen erat

Finis Legis, ad justitiam cuius credenti, Rom. 10. 4.

Sed contentus est hac unicâ probatione Apostolus,

Quia *Vita eorum non respondebat ipsorum Doctrinæ:*

Text. His verbis; *Qui doces alium teipsum non doces.*

Probat hoc aliquot notoriis atque gravissimis vitiis, dicens;

Qui prædicas, non furandum esse, furaris:

Qui dicis, non esse mæchandum, mæcharis:

Qui abominaris idola, sacrilegium admittis.

Addit, (de quo singulariter concione sequenti dicemus;)

*Qui de Lege gloriaris, per Legis transgressionem Deum afficis
contumeliâ: Nam Dei nomen propter vos blasphematur, &c.*

Exeg. Verbis illis superioribus triplex eorum peccatum arguit:

I. FURTUM.

text. *Qui prædicas, non furandum esse, furaris.*

decl. Id quidem indignari potuissent boni illi domini,
quòd Paulus eos furti accusat, ac fures vocat.

Sed verè id ipsum Apostolus eis exprobrat,
nec fuit hoc à veritate alienum. Nam dicit

test. Christus, Matt. 23. 14. *Vae vobis Scribæ & Pharisei, hypocritæ;
quoniam exeditis domos viduarum, idque in speciem utentes lon-
gis precibus: propterea accipietis graviolem condemnationem.*

Hoseas propheta, Hol. 6. 9. *Sodalitium Sacerdotum simile est præ-
stolantibus aliquem turmis, ac deprædantibus.*

Paulus, Tit. 1. 11. *Qui totas domos subvertunt, docentes quæ non oportet,
turpis lucri gratiâ: agit maximè de Judæis, ut v. 10.*

2. Tim. 3. 6. *Irrepunt in familias: expilandi animo, ut sup.*

Petrus, 2. Pet. 3. 14. *Cor habentes, ad avaritiam exercitatum.*

exëp. Tales erant filij Sacerdotis summi Eli, de quibus 1. Sam. 2. 13-16,

qui potiolem partem sacrificij rapiebant, pro lubitu;

imò & vi extorquebant, si populus Legem urgeret.

de Appl.

δ) Appl. (*Applica hæc Doctoribus, 1. Papistis, 2. Veris.*)

1. O quàm probe hoc artificium furandi norunt *Pontificij!*
Nam & illi prætendunt *Miffas*, pro animabus defunctorum;
quin & deprecationes longas, pro vivis, ac mortuis:
atque ita interim expilant egenos, corradunt opes.
Nonne in cœnobijs insidiantur pecuniis superstitiosorum,
exponuntque suas, quas crepant, *Reliquias*, aliaque,
tantùm propterea, ut corradant pecuniam, donaria?
Et cui non est nota fraus *Jesuitarum*, ut se vocant?
Hi non vendunt suas preces, ut alij vulgares sacrificuli;
sed ingentem summam poscunt, tonnas, *milliones*.
Quot opes hi, in paucis annis, corraferunt, per fas, nefas?
Conqueruntur de eorum rapina reliqui *Clerici*.
Et tamen hi omnes clamant, *Non esse furandum*.
2. Considerent hoc ipsum quoque *Pastores Veri, Ecclesiarũ Reform.*
Ne sub specie pietatis & religionis *Fures* fiant.
Multi invitantur ab aliis, ex affectu religionis;
Si quidem à ditioribus, tolerari id posset:
At probè videant, ne cui graves fiant, ob sumtus faciendos.

II. ADULTERIA, & Scortationes.

text. *Qui dicis, non esse mæchandum, mæcharis.*

decl. Videtur, non meliores fuisse *Doctores Judaici, filijs Eli;*
de quibus scribitur. *1. Sam. 2. 22. Ut concubuerint cum mulie-*
ribus, quæ turmatim conveniebant, ad portam tentorij conventus.

test. Queritur etiam de hoc ipso *Jeremias propheta, Jer. 23. 9. 10. 11.*
Quod ad Prophetas ipsos, frangitur cor meum in me, eliduntur
omnia ossa mea, sum ut vir ebrius, & similis viro quem supe-
rat vinum; propter Jehovam, & verba sanctitatis ejus.

Nam adulterijs plena est hæc terra, nam propter execrationem
luget hæc terra, arescunt caula deserti: est que concussio istorum
pessima, & potentia illorum iniquissima.

Quia tam Propheta, quàm Sacerdos, contaminant eam etiam,
domi meæ invenio malitiam eorum, dictum Jehovæ.

exēp. Idem refert de duobus prophetis, *Zidkia & Echabo, Jer. 29. 22. 23.*

Quos torrefecit rex Babylonie igne: eò quòd commiserant flagi-
tium in Israële, adulterantes cum uxoribus amicorũ suorum, &
loquentes nomine meo falsum, quod non preceperam eis: ego
vero sum istorum cognitor ac testis, dictum Jehovæ.

δ) App.

*) *Appl.* Bone Deus, si omnes Adulteri, ex Sacerdotibus Papisticis,
hyp. Igne torreri deberent, mundus facile liberaretur, ab istis
 propudiis: nam præcipui ex illis maximi sunt adulteri.

Alioquin, justum esset illos igne torreri,
 qui illicito igne uruntur, & exæstuant.

test. Bene de illis prophetat Petrus, 2. Pet. 2. 14.

Habere eos oculos, plenos adulterij.

caus. Et quomodo aliter possent? quum justè puniantur à Deo,
 eò quod Conjugium legitimum illis negetur, in Papatu.

Annon *Melius est nubere, quàm uri?* ut 1. Cor. 7. 9.

Annon hi sunt, de quibus Paulus dicit? 2. Tim 3. 6.

*Qui irrepunt in familias, & captivas ducunt mulierculas,
 cumulas peccatis, ætas cupiditatibus variis.*

appr. Quod ergo Paulus dicit in textu, de Judaicis doctoribus;

Idem de his libidinosis Sacerdotibus dici potest:

nam taceo scortationes, aliasque portentosas libidines.

Dicunt & illi, *Non esse adulterandum, scortandum, &c.*

interim oculos habent, plenos adulterij, scortationum.

III. SACRILEGIA.

text. *Qui abominaris idola, Sacrilegium admittis.*

decl. Agebant Judæi Dd. quasi singulari zelo gloriae Dei affecti,
 ne illa ullâ idololatriâ pollueretur aut dehonestaretur:

Interim diripientes quæ Dei sunt, per Avaritiam suam;

Quæ est Idololatria scæda, teste Apostolo,

Col. 3. 5. *Mortificate Avaritiam, quæ est Idololatria.*

Eph. 5. 5. *Neque Avarus, qui est Idololatra, &c.*

Avaritiæ enim fervientes, loco Dei Mammonam colunt;

fiduciam ponentes in divitiis incertis, non in Deo, 1. Tim. 6. 17.

spec. Quomodo autem Pharisæi fuerunt Sacrilegi?

1. Suffurabantur Deo gloriam, ipsi soli debitam, hypocrisi suâ,
 quærebantq; gloriam sanctitatis, apud homines, *Mat. 6. 2. &c.*
 quum solus Deus esset *Sanctus, sanctus, sanctus, Esa. 6. 3.*

2. Imitabantur filios Eli, qui Sacrificia ad se rapiebant, ut sup.
 Oblationibus populi se ditantes, cultum Dei parùm pensi.

3. Officia etiam inter ipsos vendebantur, teste Josepho hist.

Qui maximam summam pecuniæ daret, fiebat Pontifex:

Imò & hanc dignitatem venabantur, in aula Romana,

apud Imperatores, Cæsares; qui illis dominabantur.

S

§(Appl.

2) Appl. Quid ad hæc Pontificij?

thes. Illine Sacrilegi verè dici possent? Verissimè.

Illine rei quoque essent hujus Sacrilegij? Omnino.

spec. Hi enim sunt, qui

1. Non solum Deum spoliant honore suo, dum
Scripturam legi vetant, Traditiones suas illi æquant:

2. Sed etiam Ecclesiæ bona tam inutiliter consumunt.

Quod olim consecratum est Ecclesiæ,
de hoc aulam suam sustentant Episcopi, &c.

Quod olim Pauperibus est datum,
id illi insumunt, in Canes venaticos, Meretrices, &c.

3. Quinimò, æquales nundinationes in Papatu vigent:
Vendunt Indulgentias, in remiss. peccatorum, &c.

Vendunt ac emunt officia ac ministeria Ecclesiastica.

exp. Satis querelarum ea de re auditum est, ante Reformationem:
Satis querelarum adhuc auditur, ubivis locorum.

Testantur ejusmodi Sacrilegia multi, ex ipsis Pontificiis:

Ex veteribus, Baptista Mantuanus; *Venalia Romæ,
Templa, Sacerdotes, Cælum est venale, Deusque.*

Ex neotericis haud pauci, sed Surdo fabula narratur.

Imò culpant hoc nomine Jesuitas, Monachi, Canonici, &c.

Culpant vicissim Jesuitæ reliquos.

Describitur à multis pompa Episcoporum, Cardinalium, &c. adhæc
Papæ luxuriam, nundinationes, dispensationes, quis nescit?

epith. Faxit Deus, ne & inter nos hac in parte peccetur!

Multi quidem destruunt idola, instrumenta idololatriæ;

sed ad se rapiunt bona Ecclesiastica: interim Ministris
Ecclesiæ, Scholæque, vix commoda stipendia supersunt.

Annon hoc est, quod hîc in textu dicit Paulus?

Abominaris idola, at interim Sacrilegium admittis.

9) Concl. Ex his omnibus jam satis patet id, quod dixerat Paulus;

Qui doces alium, te ipsum non doces.

Nimirum, voluit dicere idem, quod in carmine Cato,

Turpe est doctori, quum culpa redarguit ipsum.

Rectius Paulus contendit, 1. Cor. 9. 27. *Ne quo modo, quum aliis
predicârit, ipse rejectaneus fieret;* monetque Timotheum,

1. Tim. 4. 16. *Permanere in istis, ut & seipsum servet,*

& eos, qui ipsum audierint.

CONCLUSIO.

R. Audivistis itaque hac concione, Auditores,

1. Doctrinam & professionem Judaicorum Doctorum: ubi didicimus;
Magnum quidem honorem ac laudem mereri Doctores Verbi;
Sed nudos honoris titulos esse, nisi doctrinae respondeat vita.

2. Vitam eorundem: quod alios docent, ipsos non servare; cumprimis,
quod fuerint fures, adulteri, sacrilegi: quales hodieque multi.

Ex quibus omnibus patuit, Non solum vulgus Judæorum peccasse;
sed etiam Doctores ac Præfules eorundem.

Proximè, Deo volente, audiemus, Nomen Dei insigniter profanari;
quum Ministri verbi, & Religiosi, scandalosam vitam agunt.

C. Christus ait, Matt. 23. 13. *Va vobis, Scribæ & Pharisei, hypocritæ; quoniam præcluditis regnum cælorum hominibus: Vos enim non introitis, nec introeuntes finitis introire.* Itèm,

Luc. 11. 52. *Va vobis Legis interpretibus, quoniam sustulistis clavem cognitionis: Ipsi non introivistis, & eos qui introibant, prohibuistis, malo cumprimis exemplo vestro.*

Videant ergo Ministri Verbi, ut non solum bene doceant,
sed etiam bene vivant, seque doctrinae sanæ conforment:

Inprimis, ne se frustra efferant, nomine Doctoris, Rabbi; ut

Matt. 23. 8. 9. 10. *Ne vocemini Rabbi, Magistri, Doctores:*

Unus enim est vester Magister, Christus; vos autem fratres estis.

Et Patrem vestrum ne quenquam vocate in terris, Patres;

unus enim est Pater vester, qui est in Cælis.

Ne vocemini Doctores; Unus enim est vester Doctor, Christus:

Sed qui maximus est vestrum, sit Minister vester.

Dicit etiam Christus, Matt. 23. 2. 3. *In cathedra Moïsis sedent Scribæ,*

& Pharisei: Omnia ergo, quæ dixerint vobis ut observetis,

observate & facite; sed secundum opera ipsorum ne facite:

dicunt enim, & non faciunt.

Idcirco, si Ministri Verbi malam vitam agant,

Nemo sequetur eorum exemplum, aut vitam;

Sed sequentur omnes pii ac fideles,

V. Unicum Doctorem Jesum Christum, Unicum Patrem D. N. J. Christi,

Unicum Spiritum veritatis: unicum illum verum Deum,

Benedictum in omnia secula, Amen.

C O N C I O XIII.

De Sanctificatione, & Blasphematione

Nominis Dei, inter Gentes.

Textus, Rom. II. vers. 23. 24.

Qui de Lege gloriaris, per Legis transgressionem Deum afficis contumeliâ: Nam Dei nomen propter vos blasphematur, inter Gentes; sicut scriptum est.

E X O R D I U M.

Blasphe-ma doctrina esset, quæ vetaret Bona Opera:

Absurda doctrina esset, Bona opera non mereri vitam æternam; si quidem ea non deberemus, & si eadem essent perfecta.

Atqui, Debemus nos ea, Luc. 17. 10. *Fecimus, quod debuimus:*

Optima etiam opera peccatis sunt coinquinata, Esa. 64. 6. (10.)

Omnes justitiæ nostræ sunt, sicut panniculus contaminatissimus.

Eam igitur ob causam non possumus mereri Vitam æternam Operibus:

Indè autem non sequitur, Bona opera non esse facienda.

Quamvis enim nihil mereantur, tamen facienda sunt,

1. Ut fidem nostram, (quâ solâ justificamur,) firmam faciamus: nam,

Fides per Charitatem est efficax, Gal. 5. v. 6.

Per bona opera certi reddimur de nostri Electione; ut

2. Pet. 1. 10. *Studete vocationem & electionem vestram firmam efficere;* per bona opera scilicet, ut vers. 5. 6. 7.

2. Ut Proximum nostrum Deo lucrificamus: juxta

1. Pet. 3. 1. 2. *Uxores se subjiciant suis viris, & ita se gerant, ut etiam, si qui non auscultant Sermoni, per uxorum conversationem, absque Sermone lucrifiant: ubi spectarint, cum timore conjunctam, castam conversationem vestram.*

3. Ut Deus per piam nostram conversationem glorificetur: ut ait

Christus, Matt. 5. 16. *Ita splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, glorificentque Patrem illum vestrum, qui est in cælis.*

Petrus, 1. Pet. 2. 11. 12. *Conversationem vestram habete honestam, inter Gentes: ut pro eo, quod obloquuntur vobis, ut facinorosis, ex bonis operibus, quæ spectarint, glorificent Deum: die visitationis.*

Atque

A Atque hic præcipuus finis est, cur Bona opera sint facienda;
 Ut Deus per illa glorificetur: ut, inquam,
 Non solum nos gratos declaremus, erga Deum, tanta gratificatum;
 Sed etiam piâ nostrâ vitâ aliis ansam præbeamus,
 Ut Deum propter piâ nostram conversationem glorificent,
 nostroque exemplo se conforment.

Si hoc faceremus, non imminerent nobis tam horrendæ pœnæ:
 Non pestis, febris pestilentialis; non fames, & caritas annonæ;
 non bellum, & vastationes regionum, urbium, populorum.
 Non tam malè ageretur, in omnibus statibus:
 In Ecclesia non tot lupi, tot discordes essent;
 In Regimine politico non iniusti, lucripetæ, noxii essent;
 In Oeconomia non tot miseræ ac calamitates.
 In summa, ubique bene esset. At contrâ testantur pœnæ,
 quòd vitâ nostrâ Deum non glorificaverimus:
 Nolite enim cogitare, Deum punire sinè causa.

P. De hac Profanatione nominis divini, præsertim apud exteros,
 Deus conqueritur, apud Prophetam,
 Esaiam, Cap. 52. 5. *fugiter quotidie nomen meum irritatur.*
 Ezechielem, Cap. 36. v. 20. *Etiam quum venissent in Gentes, quò
 abducti venerunt, profanârunt nomen sanctitatis meæ.*
 vers. 21. *Clementiâ usus sum, propter nomen sanctitatis meæ;
 quod profanant domus Israël, in Gentibus, quò venerunt.*
 vers. 22. *Faciam hoc, non propter vos, sed propter nomen sanctita-
 tis meæ, quod profanastis inter Gentes.*

Apostolus Paulus idipsum repetit, in hac Epistola ad Romanos,
 In textu nostro, modò prælecto, Cap. 2. v. 23. 24. *Qui de Lege glo-
 riaris, per Legis transgressionem Deum afficis contumeliâ:
 Nam Dei nomen propter vos blasphematur inter Gentes;
 sicut scriptum est, (nempe, in Prophetis modò allegatis.)*
 Quem textum hac vice asumptum explicabimus, atque illius occasione
 hæc duo, in timorè Domini considerabimus:

- I. *Quàm edificabilis sit fidelium conversatio Pia?*
- II. *Quàm scandalosa sit fidelium conversatio Impia?*

V. Deus largiatur nobis gratiam Spiritûs sui Sancti, & det,
 Ne bonam Religionem, quam habemus, prostituamus, adversariis,
 vitâ nostrâ turpi, intemperanti, injustâ, impiâ:
 Sed, & veritate doctrinæ, & factò ipso, eos refellamus: Amen.

P A R S I.

Quàm edificabilis sit vita pia fidelium, id patet,

Text. Ex textu, per bonam consequentiam. Nam,

Si Legis transgressione blasphematur nomen Dei, inter Gentes;

Sequitur & nomen Dei glorificari inter eas, observatione Legis.

Parall. Id ipsum patet etiam ex testimoniis, in Exordio antea allatis:

Matt. 5. v. 16. Ità splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, glorificent que Patrem illum vestrum, qui est in Cælis.

Verba sunt Christi ad Apostolos, quasi dicat;

Non solum docebitis bona ac recta, quæ credant & faciant homines;

Sed etiam bona & recta facietis ipsi. Etenim,

Si non potestis homines, doctrinam vestram salutari, commovere;

Saltè piam vestram vitam eos commovebitis:

Ut apud se cogitent, atque ita ratiocinentur;

Sinè dubio pia erit hæc doctrina quam docent,

Quia tam piè, tam honestè ac modestè vivunt:

Atque sic, non ad fidem modò adducentur,

sed & movebuntur, ut Deo dent gloriam, seque convertant.

1. Pet. 3. v. 1. 2. Petrus ita ait, de Mulierum conversatione pia;

Similiter Uxores sese subjiciant viris suis: ut etiam, si qui non assentiuntur Sermoni, per uxorum conversationem, absq; Sermonis lucrifiant; ubi spectarint, cum timore conjunctam, castam conversationem vestram. Quarum ornatus &c. v. 3. 4.

Paulus præcipit, *1. Cor. 14. 34. Mulieres in conventibus sileant:*

Nec enim permissum est eis, ut loquantur, publicè in conventibus;

sed oportet, ut subditæ sint, sicut & Lex dicit, nempe, Gen. 3. 16.

Itè 1. Tim. 2. 12. Mulieri docere non permitto, sed mando, ut sit in silentio: scilicet, in conventibus sacris.

Veruntamen, non intelligendum hoc est, de Institutione

Domestica, quâ liberos ac familiam suam instituunt; nec de

Exemplari hac, quâ exemplo pietatis suæ etiam aliis prælucent.

Quemadmodum enim Pastores & doctores Ecclesiarum,

Non solum ore concionando docent, sed & exemplo pietatis;

ne unâ manu destruant, quod alterâ ædificant:

Sic etiam, viri ac mulieres, si non ore, semper tamen suo

exemplo docebunt, aliisque prælucebunt ad similem pietatè.

1. Pet. 2.

α) I. Pet. 2. v. 11. 12. Petrus ait, de universis fidelibus;
Conversationem vestram honestam habete, inter Gentes:
Ut pro eo, quod obloquuntur vobis, ut facinorosis, ex bonis operibus,
quæ spectarint, glorificent Deum, die visitationis.
 Quali dicat; Si se opponant Doctrinæ vestræ, Gentes, adversarij,
 Videte, ne quid habeant, quod dicant de Vita vestra:
 Ut ita apud se ratiocinentur, ac concludant;
 Hi homines bene vivunt, sine dubio etiam bene docebunt.

β) *Exempla hujus rei sunt non pauca.*

1. Johannes Baptista piam ac temperantissimam vitam duc e bat:
Habebat indumentum, ex pilis camelinis, horridum ac durum;
Zonam coriaceam, circum lumbos suos, non pretiosam, splendidam;
Alimentum ejus erat, Locusta & Mel agreste, vile, nec delicatum:
 ut testatur Evangelista, Matt. 3. v. 4.

Ideòque ab omnibus censebatur, *Doctor à Deo missus*, Joh. 1. 6.
 Pharisei Sacerdotes mittebant ad eum *legatos*, Joh. 1. 19.
 Nec audebant contra eum loqui, *metuentes turbam*, Matt. 21. 26.
 Herodes quoque ab eo timens, *metuebat turbam*, Matt. 14. 5.
 Exemplo illo probato hoc efficiebat, apud Judæos, ut
Exiret ad eum, Hierosolyma, & tota Judæa, totaque regio
circumjacens Jordani, ut baptizaretur, Matt. 3. 5. 6.
 Imò & horridi *Milites, ac Publicani*, Luc. 3. 12. 14.

2. Christiani, in Ecclesia primitiva, proxima Apostolis.
 Hi miserrimè trucidabantur, mendacijs gravabantur:
 Sed quum manifesta fieret ipsorum Vita; quòd scilicet
 Unum Deum colerent, Proximum non læderent,
 Magistratum honorarent, Terrena hæc despicerent;
 Plerique hos miserati sunt, imò tantum apud eos profectum, ut
 Etsi non audirent conciones Christianorum
 Tamen multi Christiani fierent, exemplo vitæ eorum allecti.
 Tempore pestis sævissimæ, servos ejectos à dominijs recipiebant,
 Pestilentiam infectos, & abjectos, visitabant, reficiebant;
 Pauperibus benefaciebant, Miseros consolabantur.
 Circa hæc tempora Christianismus maximè florere cœpit,
 infiniti fidem Christianam recipiebant;
 non tam verbo instituti, quàm exemplo pietatis adducti.
 O utinam & talis zelus hodièque vigeret! At proh dolor!
 Multum quidem prædicatur; Pauci exemplo docent suo.

γ) *Expe...*

2) *Experientia*. At quàm multùm ædificent exempla,

gen. Vel ex fallis Doctoribus perspici potest,
quàm latè suam doctrinam extenderint, vel hypocrisi suâ,
quòdque externâ pietatis specie simplicioribus imponant.

spec. Quid opus est multis?

1. *Monachi*, annon deceperant olim mundum, ut putârint homines,
Omnem sanctitatem in cœnobîa migrasse, latere sub cucullis:
Probos illos viros non posse errare?

2. *Jesuitæ* verò hodie, hypocrisi suâ Monachos omnes vicerunt:
Illinc Patres (multi dicunt in Papatu) errores docerent?
Quia sancti apparent externè, sancti censentur,

3. *Papistæ* reliqui, quantam simulant pietatem?

Non quidem illam veram, quæ est secundùm verbum Dei;
Sed illam externam, fucatam, occæcantem simpliciores,

In variis jejuniis & abstinentiis,

In votis cœlibatûs, in peregrinationibus,

In corporis flagellationibus, nudis pedibus,

In vestitu vili ac abjecto, linteis, laneis,

In cereorum gestationibus, processionibus, tinnitu æris,

In precum anumerationibus, in rosario, &c.

Nonne simpliciores hinc abripiuntur in admirationem,
dicentes, An hi possint errare?

4. *Anabaptistæ*, quò, & in quem numerum evaserunt?

Antehac quidem externâ specie multos deceperunt,
ut magnus fieret ad ipsos concursus:

At nunc, zelo defervescente, illis fastu ac luxu æquè corruptis,
lucrique cupidissimis, fraus observari cœpit.

5. *Diabolus* ipse, ut fallat, probitatem simulat,

Transfiguratur se in Angelum lucis, 2. Cor. II. 14.

Christum tentans, allegat *Scripturam*, Matt. 4. 6.

adeòque vult videri magnus Theologus.

Primis parentibus ostentat summam beatitudinem, si fructu
verito vescerentur, quasi miseratus illos, *Gen.* 3. 5.

quasi maximè sollicitus, de vera eorundem felicitate.

Christus quidem noverat ei retorquere *Scripturam*:

At primi parentes decipiebantur, eique credebant.

conf. Quòd si falsa Doctrina palliatur, apparenti sanctitate;
quantò magis Vera potest probari, sincerâ pietate?

d) *Appl.*

2) Appl. Videmus igitur ex his omnibus,

thes. Quàm ædificabilis sit Pietas, h. e. Quàm multùm serviat Ecclesiæ
ædificationi pia vita, & externa disciplina.

sim. Doctores illi, qui puram ac veram doctrinam Dei docent,
at non vivunt juxta doctrinam illam, sese illi conformantes;
similes sunt ædicatoribus Arcæ Noæ:

qui quidem suam operam locabant, in ædificatione Arcæ;
sed ipsi in eam non introibant, peribantque cum reliquis.

Sed qui, veram doctrinam docentes, juxta illam vivunt,
non tantùm alios servant, sed & seipfos: juxta illud,

1. Tim. 4. 16. *Ut teipsum serves, & eos qui te audierint.*

prol. At inquit aliquis; Quid hoc ad me, ut alius ædificetur?

Si modò ego credam, quid ad me, ut alius credat, nec ne?

Resp. Non sic, mi Christiane. Erras, multùmque aberras: Nam;

1. Pietas est altera pars Christianismi:

Non tantùm purè credere debes, sed & piè vivere.

Verba Evangelij sonant, non tantùm, *Credite Evangelio;*
sed etiam, *Resipiscite:* Marc. 1. 15.

Sic Petrus, Act. 2. 38. *Resipiscite, & bapizetur unusquisque
vestrùm, in nomine Jesu, in remissionem peccatorùm.*

Et ideò à Christo es Redemptus, ut non tibi, sed illi vivas:

2. Cor. 5. 15. *Christus pro omnibus (credentib. sc.) mortuus est,
ut qui vivunt, posthàc non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis
mortuus est, & suscitatus est.*

Ideò quoque Electi sumus à Deo, in Christo, & quidem,
Eph. 1. 4. *Ante jacta mundi fundamenta, ut simus sancti &
inculpati in conspectu ejus, cum charitate.* Porro,

2. Si pietate tuâ alios lucrifacias, Deus singulariter honoratur,
Regnum ejus amplificatur; pro quo te etiam sollicitum esse de-
cet, quum quotidie preceris, *Veniat regnum tuum.*

Præripitur etiam impiis ac infidelibus anfa, ac causa,
Verbum Dei & Religionem puram calumniandi.

3. Ultra hæc omnia,

Pietas ad omnia est utilis,

1. Tim. 4. 8. *Habens promissionem vite presentis ac futurae.*

1. Tim. 6. 6. *Quæstus magnus est Pietas, nec àvtopxilas.*

Si igitur piè vixeris, atque ità Deum glorificaveris, Proximum
lucrifeceris, bene tibi erit in hac & futura vita.

T

injst.

2) *inst.* Dicat quis ulterius ;

Tu doces me , ut alios debeam lucrifacere , & ut eos
vitâ meâ piâ adducam ad eam , quam profiteor , fidem :

Sed quia etiam falsi Doctores idem faciunt ,

Quomodo me gerere debeo , ne decipiar , neve decipiam ?

Possit enim etiam de me dubitare alius ,

Verene credam , Verane sit mea pietas :

Quâ id dignosci potest ?

Resp. Probè dispiciendum , Sitne apparens pietas , an sincera.

Christus hîc audiendus est ; qui dicit , Matt. 7. 16. 17. 18.

*A fructibus eorum cognoscetis eos: Num colligunt, ex spinis uvam?
aut, ex tribulis, ficus?*

Ita omnis Arbor bona, fert fructus bonos;

putris autem arbor, fert fructus putres.

Non potest Arbor bona, fructus malos edere;

neque arbor mala, fructus bonos ferre.

Itaque, ex fructibus cognoscenda est vera fides & pietas :

Hypocritæ habent sanctitatem apparentem ;

Sed bonam doctrinam sequitur sinceritas pietatis.

Porrò si non potes distinguere , inter hypocrisin & sinceritatem ,

Respice ad Arborem : nam ,

Ex personis non est judicandum de fide ;

Sed ex fide judicandum est de personis :

Quia verò fides est inconspicua , opera conspicua ,
ex operibus bonis fides vera est judicanda.

Si ergo quæras , quid profit Vita pia ? Respondeo ,

1. Ne profanetur nomen Dei , apud adversarios ,
quasi doceremus impia , quæ facimus :

2. Ne absterreantur homines alieni à fide ,
sed alliciantur , ut ampliùs indagent veritatem .

3) *concl.* (*cum transf.*) In summa , probè hoc tenendum est :

Ideò nos debere piè vivere , ne profanetur nomen Dei.

Certè , si piè vivendo neminem lucrifacimus ,

Tamen præcidimus omnem causam calumniandi ,
quasi Doctrina & Religio nostra sit falsa.

Si Christiani impiè vivant , Deus insigniter profanatur :

ut nunc porrò , parte II. audiemus ,

ad quam nunc progredimur .

P A R S II.

Quàm scandalosa sit vita Impia fidelium, patet id expressè,

Text. Ex textu; Dei nomen propter vos blasphematur inter Gentes:

Quomodo verò? Qui de Lege gloriaris, per Legis transgressionem Deum afficis contumeliâ.

Allegat Paulus id, quod Deus queritur apud Prophetas suos, Esaiam, & Ezechielem: prout addit; Sicut Scriptum est.

Verba ipsa suprâ sunt adducta, ex *Esa.* 52. 5. *Ezech.* 36. 20. 21. 22.

Exeg. Hic ergo est sensus verborum Pauli, & Dei:

thes. Vos, qui accepistis à Deo verbum Dei, qui gloriamini de Lege;

Si peccetis, variè peccatis. Etenim,

1. Offenditis Deum peccatis vestris, & læditis Proximum:

2. Offenditis consortes fidei vestræ, eos scandalizando:

3. Offenditis etiam exteros, & ansam calumniandi iis præbetis, calumniandi Deum, & Religionem vestram, ob vestra peccata.

decl. Duplex est Scandalum, Acceptum, & Datum, adde Mixtum.

1. *Acceptum* scandalum est, Pharisaicum: quia Pharisæi offendebantur Sermone illo Christi, *Matt.* 15. 11. *Non, quod ingreditur in os, polluit hominum; sed, quod egreditur ex ore, hoc polluit hominem.*

Hoc scandalum fuit Acceptum: nam Christi non erat culpa, quia rectè loquebatur; ut explicat postea, *vers.* 17—20.

Pharisæi verò hoc sermone non rectè offendebantur, sed capiebant indè scandalum, sinè causa.

2. *Datum* scandalum est, quum quis malum facit, ex quo offenduntur reliqui, sive fideles, sive infideles.

De hoc Scandalo Christus, *Matt.* 18. 7. *Va mundo, ab offendiculis.*

Necesse est enim, ut eveniant Offendicula:

Veruntamen, Va homini illi, per quem Offendiculum evenit.

3. Est & *Mixtum* quoddam scandalum, ex Dato & Accepto:

Quum quis libertate Christianâ intempestivè utitur, apud fideles, libertatem illam necdum intelligentes.

De quo Paulus ait, *Rom.* 14. 25. *Bonum est, non edere carnes, neque bibere vinum, neque quicquam facere, in quo frater tuus impingit, vel offenditur, vel infirmus est.*

De eodem scandalo prolixè disferit idem, *1. Cor.* 8. v. 9—13.

itè, *1. Cor.* 10. v. 25.—30.

v) *appr.* Pertinet igitur hoc scandalum, de quo Paulus in textu agit,
 (Quum scilicet fideles peccant, peccatisque suis offendunt,
 non solum alios fideles, sed etiam ipsos in fideles;)
 Ad Scandalum Datum. Et certè, magnum Scandalum est hoc,
 quando peccatis nostris Adversariis os recludimus,
 ut ita secum ratiocinando dicant;

Hæccine esset vera Religio?

Hiccine esset verus Deus, qui populo tam flagitioso favet?

test. Eapropter & alibi monet Paulus, de Episcopis eligendis,
 1. Tim. 3. 7. *Oportet Episcopum etiam testimonium bonum habere, ab
 extraneis, ne in probrum incidat, & laqueum Diaboli.*
 Itè v. 6. *Non Novitium, ne inflatus in criminationem incidat
 Diaboli; adeoque nec infidelium, Diaboli mancipiorum.*

exëp. Et profanari Dei nomen, peccatis sui populi, patet exemplo
 Judæorum; qui gloriabantur, esse se servos Dei, populum Dei,
 accepisse se à Deo Legem, habere se Promissiones, &c.
 Interim peccabant mille modis. Quid verò indè?
 Gentes ideò contemnebant, non solum Judæos ipsos;
 Sed & Deum ipsum, & legem ab eo traditam ipsis.

exp. Experientia quotidiana id ipsum quoque testatur.

1. Notum est, ex historia Indiæ Occidentalis, nuper relectæ:
 Hispani prætendebant, se reformaturos populum illum,
 & ad Christianam religionem adducturos.

Multi acquieverunt reformationi: at quum viderent
 Hispanorum mores, Christianismus ipsis sordere cœpit:
 Unde quidam senex, ex ipsis, Hispano cuidam exprobravit;
 Quid bonæ ac salutaris doctrinæ possetis habere? Ecce,
 Occiditis homines sinè causa, exterminatis regiones;
 Petitis aurum, argentum, absque ulla satietate;
 Vesperè petitis mulierculas, quibuscum concumbatis.

2. Perpendatur etiam, quid causæ præcipuè sit,
 Cur Judæi, cur Turcæ, abhorreant à religione Christiana?
 Vident in Papistarum templis Imagines, idola varia;
 Id imputant Religioni Christianæ:
 Hinc ille alienus animus à Christianismo.

Et quum id non possit imputari Religioni Reformatæ,
 exemplis avaritiæ, discordiæ, aliorumque peccatorum,
 etiam ab hac avertuntur.

v) *Appl.*

9) *Appl.* Atque hoc ipsum est, quod Paulus in textu ait; [liã:
text. Gloriaris de Lege, & per Legis transgressionem Deum afficis contume-
Nam Dei nomen propter vos blasphematur, inter Gentes.

gen. Perpende hoc bene, ô quisquis gloriaris esse Christianus, religiosus,
 ac interim peccas; Nullum peccatum solum est, sed conjunctum aliis:
 Non solum lædis Deum, aut Proximum, aut Te ipsum;
 Sed etiam insuper offendis tuos fratres, ac externos:
 Atque ita Deum ipsum contumeliã afficis, blasphemari facis.

Spec. Considera enim Legem Dei, de qua gloriaris.

1. Lex te docet, Fidendum esse soli Deo:

Tu autem confidis opibus, munimentis tuis, auxiliis humanis.
 Si hoc videant exteri, aut alieni à tua Religione, putant,
 Situm hoc esse in ipsa Lege, eam te hoc ipsum docere;
 Te non habere veram religionem: atque ita
 Deus & Religio propter peccata tua dedecoratur.

2. Lex jubet, Ne facias Imagines, easque colas:

Tu autem non modò facis, sed & locas in templis, honoras.
 Si hoc videant extranei, apud se cogitant, ac concludunt;
 Hæc impia Religio est: quis se illi adjungeret?
 Atque ita Christiana religio propter te dehonestatur.

3. Lex præcipit, Ne in vanum sumas Dei nomen:

Tu verò execraris, non solum per Nomen Dei, Christi,
 sed etiam per ejus Sacramenta, Passionem, Mortem, &c.
 imò etiam per Diabolum, Elementa, &c.

Quis aliter potest cogitare, quàm esse te impium?

quis posset divinare, te bonam habere Religionem?

Certè, his moribus se nemo tibi junget, tuæ religioni acquiescet:

Atque blasphematur propter te vera Religio, Deus ipse.

4. Lex jubet te, Sanctificare Sabbathum, adeoque cultui divino ex-
 terno vacare, Templum frequentare, Sacramentis uti:

Tu autem declinas à via, quæ ducit ad templum, eam præteris;
 Si hodie non venias, venis cras; oscitanter audis:

Imò, si vel semel in anno adeses, ut solent nonnulli in festis.

Quis crederet, te habere bonam Religionem, puram fidem?

quis aggregaret se tuæ Religioni?

Atque ita propter te profanatur vera & pura Religio;

imò Deus ipse, his moribus tuis, blasphematur.

5. Lex

5. Lex te docet, Honorare parentes, Parere superioribus:
 Tu verò Parentibus non obedis, non pares Præceptoribus, &c.
 Magistratui te opponis, Tributa illi negas, &c.
 Annon verum est, quod adversarii nostri identidem clamant,
 Reformatam religionem rebellionem suadere?
 Atque ità propter peccata tua blasphematur Religio, Deus.
6. Lex te docet, Non esse occidendum, Pacificè esse vivendum:
 Tu autem litigas cum Proximo, Fratrem tuum ferre nequis.
 Tunc Papistæ inquirunt; Regnum illud discordat, non diu stabit:
 An non sic prostituitur bona Religio, propter lites nostras.
7. Lex te docet, Non esse adulterandum, scortandum; Temperanter esse vi-
 vendum, & honestè; Superbiam & Luxum vitanda esse:
 Tu autem, non te polluis modò adulterio, scortatione, libidinibus;
 sed etiam toleras Meretices, in jurisdictione tua,
 atque ità quasi Lupanaria ipsis ædificas.
 Si hoc videant adversarii, in has voces erumpunt;
 Ecce, sic Reformati vivunt, hi sunt Reformatorum mores.
 Atque sic deturpatur Religio, blasphematur ipse Deus.
 Superbiam, & Luxum in vestibus, quod attinet;
 Tu incedis vestitus, quasi in altari Papali locandus:
 Intemperantiam quod attinet, helluaris dies ac noctes,
 strenuus es potator, splendidè convivaris:
 Nonne hæc omnia, à Reformatis commissa, imputantur Religioni?
 Atque ità Deus, & Veritas ejus, blasphematur.
8. Lex te docet, Non esse furandum;
 Tu autem non solum furaris ipse, variis modis injustus;
 Sed etiam alios emittis, qui pro te furentur, (ut fit inter milites:)
 Imò omnis generis fallaciis uteris, in emtione, venditione, &c.
 Quid ad hæc adversarii? Reformati ditefcunt rapinis, injustitiâ;
 Religio ipsorum haud dubiè vitiosa est, & absurda:
 Atque ità blasphematur Religio, blasphematur Deus ejus auctor.
9. Lex docet te, Non esse mentiendum, non obtrectandum:
 Tu verò asfuevisti mentiri, delectaris alios calumniari,
 Calumnias aliorum audire, Proximum gravare dictariis.
 Quid ad hæc adversarii? Indignantur hos mores, dicentes;
 Reformati inter se mordent, judicant, condemnant,
 Quid opus, nos illos condemnare?
 Atque ità profanatur Religio, blasphematur Deus, ejusque veritas.
- n) concl.

*) *Concl.* Quid dicam ulterius? Ubique peccatur, idque variis modis:
thes. Vix ullus considerat, ut Deus & Religio suâ vitâ honoretur.
prol. At inquis; Id bonæ causæ non potest incommodare,
 si Quidam sint, qui se malè gerant, & scandalosè vivant.
 O utinam Quidam duntaxat essent! Videntur omnestales.
 Verum quidem est, Fidem ex personis non esse judicandam,
 Adversarios debere attendere, non ad Vitam, sed Fidem.
 Sed hæc consuetudo mundi est, imò Diaboli solertia,
 ut ex externis operibus judicetur de Doctrina ipsa.
 Sed væ illi, per quem veniunt scandala, ait Christus:
 Illi quidem non deberent respicere vitam nostram pravam;
 Sed nos minimè excusandi sumus, quòd illis os aperimus,
 ad calumniandum Nos, Religionem, ac Deum ipsum.

C O N C L U S I O.

R. Ità audivistis Auditores,

1. Quàm ædificabilis sit fidelium conversatio Pia?
2. Quàm scandalosa sit fidelium conversatio Impia?

C. Concludam dicto illo Salvatoris nostri Jesu, Luc. 12. v. 48.

*Cuicunque multum datum fuerit, multum repetetur ab eo:
 Apud quem depositum est multum, amplius repetetur ab eo.*

Magna gratia facta est Reformatis Christianis, præ aliis;
 Majorem gratitudinem Deo iidem debent, præ aliis.
 Exemplarem præ aliis vitam agere debebant.

Tantò igitur reprehensibiliores sunt, præ aliis peccantibus;
 Quia etiam per ipsorum peccata blasphematur ipsa Religio,
 redundatque illa blasphemia in ipsum Deum.

Summa, quantò majori gratiâ puritatis à Deo sunt donati,
 tantò majori zelo pietatis conversabuntur in hoc mundo.

Quòd si tamen Deum nos profanaverimus, per peccata nostra,
 Deus seipsum sanctificabit, per pœnas nostras; & ostendet,
 Eum etiam peccata in suis cultoribus castigaturum.

V. Deus autem clementer nobis nostra peccata remittat;
 tegatque ea gratiosâ satisfactione Filij sui, nobis donata;
 largiaturque gratiam Spiritûs sui Sancti, ut in omnibus
 Actionibus, Verbis, & Consiliis nostris, Deum sanctificemus,
 hîc in tempore, illic æternum, Amen.

C O N C I O X I V.

CONCIO XIV.

De Circumcisione, & Baptismo.

Concio I.

Textus, Rom. II. v. 25—29.

Nam Circumcisio quidem prodest, si Legem exsequaris: quòd si transgressor Legis fueris, circumcisio tua facta est præputium. Itaque si Præputium jus Legis observaverit, nonne præputium illius pro circumcisione reputabitur? Et quod est ex natura præputium, Legem præstans, damnabit te, qui per literam & circumcisionem transgressor es Legis? Non enim, qui est in propatulo Judæus, Judæus est; nec ea, quæ est in propatulo circumcisio, id est in carne, circumcisio est: Sed qui in occulto Judæus est, & circumcisio cordis, id est in spiritu, non litera; cujus laus non est ex hominibus, sed ex Deo.

EXORDIUM.

CHRISTUS, quum rogatus Pontifici paulò duriùs responderet, Percutiebatur ab uno ex adstantibus ministris, qui dicebat;
Itane respondes Pontifici maximo? Joh. 18. v. 19—23.
 Putabat bonus ille servus, Pontificem non posse errare.
 Paulus etiam, quum contra injustitiam Pontificis loqueretur, dicebant Circumstantes; *Pontifici illi Dei maximo convitiaris?* Act. 23. 3.
 Putabant boni illi viri, Pontificem non esse culpabilem.
 Apostolus Paulus, scribens ad Romanos, hæcenus probavit, Non solùm Gentes, sed & Judæos esse peccatores, & carere justitia: Sinè dubio multi Judæi, hæc audientes, cogitârunt,
Itane Paule, an arguis & calumniaris Judæos?
 Illos scilicet, quorum est (teste teiplo) adoptio, & gloria, & pæcta, & Legis constitutio, & cultus, & promissiones? Rom. 9. 4.
 Imò illos, qui circumcisi sunt? Incircumcisorum alia est ratio;
 At nos circumcisi sumus, Dei munere & jussu.
 Respondet Paulus Apostolus, in textu prælecto;
 Circumcisionem quidem esse utilem, si Lex servetur:
 Si verò Lex non servetur, circumcisionem factam esse præputium.

Certè,

- Certè, Judæi circumcisi magnam habebant prærogativam, præ Gentibus.
 At si Circumcisioni congruè non viverent, melius præputiati fuissent:
 Nam qui voluntatem Dei scit, nec facit, gravius punietur, *Luc. 12. 47.*
- Certè etiam nos baptizati magnam habemus prærogativam, præ aliis;
 At si Baptismo non vivas congruè, melius esset, te non baptizatum esse:
 Nam obligati per Baptismum, si peccemus, gravius puniemur.
- P. Moniti igitur sumus, exemplo Judæorum; atque hoc fine,
 Consideremus verba prælecta Pauli: ex quibus discemus,
- I. *Quid sit Circumcisio?*
 - II. *Quid profuerit Circumcisio?*
- Et quia in N. T. Baptismus, successit Circumcisioni V. T.
 conferemus Baptismum Circumcisioni, in utraque illa parte.
 Quia verò unâ concione negotium hoc expediri nequit,
 hac concione solam primam partem expendemus;
 sequenti verò concione secundam partem tractabimus.
- V. Deus circumcidat nobis aures & corda nostra,
 baptizet etiam nos Spiritu S. & Igne verbi sui;
 Ut Verbum Dei diligenter audiamus, & rectè intelligamus,
 ac observemus, quò fructum feramus ad salutem: *Amen.*

P A R S I.

Quid sit Circumcisio, Quid itè Baptismus, cognoscemus,
Prop. Si consideraverimus,

- I. In genere, *Definitionem Circumcisionis;*
- II. In specie,

1. *Institutionem Circumcisionis;*
2. *Quinam fuerint Circumcisi;*
3. *Circumstantias quasdam Circumcisionis:*

Si in omnibus his particulis Baptismum conferamus,
 atque de eo quoque hæc omnia edisseramus.

Successit enim Circumcisioni Baptismus; ut insinuatur à Paulo,
Col. 2. 11. 12. In Christo etiam circumcisi estis, circumcissione
qua fit sine manibus, corpore peccatis carnis exuto, per Cir-
cumcisionem Christi: Quænam verò illa Circumcisio Christi?
Consepulti ei, per Baptismum, &c. vide & infra.

Tract. Attendendum igitur in hac concione, ad Tria Membra sequentia;
 quibus hæc Tractatio est innexa: *vide pagg. seqq.*

V

I. Membrum.

I. Membrum.

I. *In genere*: consideranda, 1. *Definitio*; 2. *Analysis* ejus generalis.

1. *Definitio*. Describitur ita breviter, ex sacris literis:

Circumcisio est, Primum Sacramentum V.T. in quo, per amputationem Præputij, significabatur & obsignabatur Amputatio peccatorum spiritualis, & Receptio in fedus, cum Abrahamo initum.

Baptismus est, Primum Sacramentum N. T. in quo per Aquam, ejusque lotionem, seu asperfusionem, significatur & obsignatur Ablutio peccatorum, per Sanguinem & Spiritum Christi, ut & Receptio baptizati in Ecclesiam Christianam.

2. *Analysis generalis*. Observandum hic in genere, (*de Genere*:) esse, *Sacramentum*. Si est Sacramentum, ergo est

thes. Visibile Signum invisibilis gratiæ, tum Circ. tum Bapt.

Nec signum modò, sed & Sigillum gratiæ: *Rom. 4. 11.*

Acceptit Signum Circumcisionis, Sigillum justitiæ fidei.

conf. Quocirca,

Circumcisio non erat Fedus ipsum, sed erat

Signum federis, inter Deum & populum suum initi.

Vocatur quidem Fedus, *Gen. 17. v. 10.*

sed expressè postea additur, *vers. 11.*

Ut sit Signum federis, inter me & vos. Sic quoque *Baptismus* non habet vires abluendi peccata; sed

Significat & obsignat virtutem Sang. & Spiritus Christi.

Vocatur quidem, Ablutio peccatorum, *Act. 22. 16.*

item, Lavacrum Regenerationis, *Tit. 3. v. 5.*

Sed per significationem & obsignationem: unde Petrus,

1. Pet. 3. 21. Cui rei respondens exemplar Baptismi, nos

quoque servat: non quo carnis sordes abjiciuntur, sed

stipulatio bonæ conscientie apud Deum, vid. inf.

At de Sanguine Christi dicitur, *1. Joh. 1. 7. Sanguis Jesu*

Christi, Filij Dei, purgat nos ab omni peccato: scilicet,

per remissionem, ne imputetur peccatum.

Spiritus S. verò peccata purgat, regenerando nos:

Rom. 8. 11. Si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum,

habitat in vobis, vivificabit etiam mortalia corpora ve-

stra, per inhabitantem ipsius Spiritum in vobis.

a) Primum

a) Primum Sacramentum. Etenim,

Circumcisso reliqua Sacramenta V. T. antecedeat:

Nec licebat præputiato edere Pascha;

Nisi prius circumcideretur: ut *Exod. 12. v. 48.*

Baptismus antecedit Sacram Domini Cœnam:

Nec licet non-baptizato edere Cœnam Dominicam;

Nisi prius sit baptizatus.

II. *In specie*: Nunc veniamus ad specialem tractationem utriusque Sacramenti.

I. *De Institutione* utriusque illius Sacramenti, dicentur *Tria*;

Quis? Quid? & Quo fine, instituerit illud? (*Effic. Mat. Form. Finis.*)

I. *Quis instituerit?* Hic de tribus, (*Effic. princ. adm. instr.*)

1. *Quis Author?* Instituit

Circumcisionem Deus, soli Abrahamo, patri fidelium,
omnibusque ejus posteris, *Gen. 17.*

Baptismum Christus, fidelibus N. T.

Appellatur quidem *Baptismus* Johannis, *Matt. 21. 25.*

Sed ideò, quia ille primus administravit, *Marc. 6. 4.*

Erat enim ad hoc missus à Deo, *Joh. 1. 6.*

Aliàs Christi *Baptismus* est & dicitur: qui tamen,

Non ipse baptizavit, sed per Discipulos, *Joh. 4. 1. 2.*

Post resurrectionem eos baptizatum misit, *Matt. 28. 19.*

2. *Quis Administravit?*

Circumcisionem videtur administrasse quivis Paterf. ut

Abrahamus, se suamque familiam, *Gen. 17. 23. 6. 21. 4.*

Zippora, uxor Mosis, legitur circumcidisse filium;

sed id præter ordinem factum fuit: *Exod. 4. 24. 25.*

Baptismum administrabunt ij, quibus dictum, *Docete, Mat. 28.*

Aliis, non vocatis ad ministerium docendi, non licet.

Mulieri, ut illicitum est docere, *1. Tim. 2. 12. 1. Cor. 14. 34.*

Ità nec baptizare iisdem est licitum.

Zipporæ circumcisio valuit, nec repeti potuit:

At baptizante muliere, nil valet, repeti debet.

3. *Quo Instrumento* administraretur?

Circumcisio cultro acuto fiebat; non lapide, ut vulgò

censetur, ex *Exod. 4. 25.* At *713* non tantum *Rupem*,

sed etiam *Acie* significat. Confer *Jos. 5. v. 1. 2.*

Baptismus sive manu fiat, sive alio instrumento, perindè.

De Immerfione, Lotione, Aspersione, infra.

β) 2. *Quid instituerit?*

prop. In unoquoque Sacramento est aliquid Externum, quod est Signum; aliud verò Internum; quod est Signatum.

Itaque consideranda hinc;

1. Signum & Signatum; (quæ est *Materia*.)

2. Analogia inter Signum & Signatum; (quæ est *Forma*.)

3. Forma loquendi, hinc resultans; (quod est *Consequens*.)

tract. Videamus hæc, in utroque illo Sacramento.

In Circumcisione,

mat. Externum, Signum fuit, Amputatio præputii.

Hæc dicitur in textu, *Circumcisio in præputulo*, h. e. externa; itèm, *in Carne*; itèm, *in Litera*.

Ità duntaxat circumcisi, dicuntur à Stephano protomartyre, *Incircumcisi corde & auribus*, Act. 7. 51.

Internum, Signatum sc. per hoc externum significatum, fuit Amputatio peccati, & Imputatio justitiæ; ut

Rom. 4. 11. *Accepit Abrahamus signum Circumcisionis, sigillum justitiæ fidei*, ipsi scilicet *imputata*, ut ibid.

Sanctificatio, quæ Circumcisio cordis; ut

Deut. 30. 6. *Circumcidet Jehova, Deus tuus, cor tuum, & cor seminis tui, ad diligendum Deum, ex toto corde, &c.*

Hæc dicitur in textu, quòd sit *in occulto*, interna sc.

itèm, *Circumcisio cordis, & in spiritu*.

form. Sicuti amputabatur Præputium; ità & Peccatum, per gratuitam remis. in Christo, & regenerationem Sp. S.

Quàm certò amputabatur præputium externè, tam certò

amputata & remissa peccata, propter gratiam Christi;

amputanda & corrigenda peccata, per Spiritum S.

cons. Hinc fit, ut Circumcisio appelletur,

Modò, Signum federis; ut *Gen. 17. 11.*

& Sigillum justitiæ fidei; ut *Rom. 4. 11.*

Quæ est loquutio *Propria*.

Modò Fedus ipsum; ut *Gen. 17. 10.*

Quæ est loquutio *Impropria*; adeoque explicanda, ex illà priorè *Propria*: ut intelligatur esse

Signum federis; nec signum modò, sed & *Sigillum*,

quo obsignata fuit fidelibus V. T. justitia fidei,

quæ ferebatur in Christum venturum.

γ) *In Bapt.*

v) *In Baptismo,*

mat. Signum externum est, Aqua;

nec non Asspersio, seu Ablutio, per aquam.

Signatum internum est, Sanguis & Spiritus Christi;

nec non Ablutio, per Sanguinem & Spiritum Christi;

quarum illa est, Remissio peccati, per Sanguinem Christi;

hæc Purificatio cordium à peccatis, per Spiritum S.

form. Sicuti Aqua habet vim purgandi, lavandi; ita etiam

Per Sanguinem Christi purgamur à peccatis,

dum illa nobis remittuntur, imputatâ justitiâ:

Per Spiritum Christi purgamur à peccatis,

dum illa ejus vi, in nobis regeneratis, corriguntur.

Quàm certò externâ Aquâ asspargimur, abluimur,

tam certò obfirmamur, & certi sumus in cordibus nostris,

Christum nos purgare à peccatis nostris, suo Sanguine,

quem mortuus pro nobis effudit, in remis. peccatorum.

Spiritum Sanctum nos purgare à peccatis nostris,

regenerando nos ad vitam piam ac sanctam.

conf. Quemadmodum autem Circumcisio dicitur Fedus, in V. T.

quum tantummodò sit Signum ac Sigillum federis:

Ita etiam Baptismus in N. T. appellatur,

Ablutio peccatorum; ut Ananias Paulo, *Act. 22. 16.*

Surgens, baptizator, & abluitor à peccato tuo.

Non, quòd Baptismus sit ipsa Ablutio peccatorum;

Sed, quòd sit Signum illius, & Sigillum.

Lavacrum regenerationis & renovationis Sp. S. *Tit. 3. 5.*

Non, quòd Regeneratio ab ipsa Aqua pendeat;

Sed, quòd sit Signum illius, atque Sigillum.

Baptismus dicitur nos salvare, ut *1. Pet. 3. 21.*

Non, quòd per se nos salvet;

Sed, quòd significet & obfirmet nobis, nos

per Sanguinem Christi purgari à peccatis; &

per Spiritum Christi pariter regenerari.

Ut & Apostolus Petrus *ibidem* expressè addit;

Baptismus nos quoque salvat:

Non, quo carnis sordes abjiciuntur;

sed, Stipulatio bonæ conscientie apud Deum:

h. e. Fide, hoc externo sigillo confirmatâ.

Vidimus, *Quid* sit institutum; nunc videamus quoque,

3. *Quo fine sit institutum* utrumque illud Sacramentum?

Circumcisio est instituta, triplici potissimum fine:

1. Ut significaret & obsignaret gratiam federis, initium cum Abrahamo, ejusque semine: *Gen. 17. 11. Rom. 4. 11.*
2. Ut esset testimonium debitæ obedientiæ, quam federati Deo repromittebant: *Gen. 17. 9. Fedus meum serva. Sic Gal. 5. 3.* Item in textu, *vers. 25.*
3. Ut distinguerentur Abrahamidæ, ab omnibus populis: Unde Israëlita vocantur *Circumcisio*, *Rom. 15. 8.* Et ij, qui sunt ex *Circumcisione*, *Tit. 1. 10.* Sicut contra Gentes vocantur *Præputium*, in textu.

Baptismus similiter triplici hoc fine est institutus:

thes. Nam institutus est ille quoque,

1. Ut significet & obliget nobis gratiam illam N. T. quæ nobis facta est in Christo, jam exhibito.
2. Repromittimus & nos in Baptismo, nos velle habere pro Deo nostro, Patrem, Filium, & Spiritum S.
3. Per Baptismum nos quoque distinguimur à Gentibus, nempe Turcis, Judæis, reliquisque Gentilibus.

usus. (duplex.) Notemus hoc,

1. Quum curamus baptizari infantes nostros, Non faciemus id, ex consuetudine; multò minùs ex superstitione: Sed faciemus id, ad testificationem, & solatium nostrum, liberos etiam nostros sanguine Christi esse purificatos, liberis etiam nostris promissum esse Spiritum S.
2. Quapropter etiam Infantes, sine Baptismo decedentes, Quamvis signum externum non receperint, tamen (ut & pueri ante circumcis. morientes,) habent Signatum: juxta *1. Cor. 7. 14. Liberi vestri sancti sunt. Act. 2. 39. Vobis & liberis vestris facta est promissio. Gen. 17. 7. Ero Deus tuus, & seminis tui. Sic Mat. 19. 14. inf.* Unde veteres *Non privatio, sed contemptus Baptismi damnat.* Idcirco, Parentes quidem possunt peccare, si non faciant officium, sed vel negligant, vel temere differant Bapt. Infantes verò non sic peccant, nec imputandum illis, quod parentes hac in parte committunt.

II. Membr.

II. Membrum.

II. Quinam sint circumcisi? Quinam baptizandi?

Circumcisi fuere, in Veteri Testamento

1. *Soli mares*: Gen. 17. 10. *Circumcidetur vobis omnis Mas.* Ique, tum Infantes; qui circumcidebantur octavo die, Gen. 17. 12. tum Adulti; ut Abrahamus, cum familia sua, Gen. 17. 23.

Item Israëlitæ, à Josua, in Gilgale: ij videlicet, qui ob incommoda viæ, in deserto, non erant circumcisi, Jos. 5. 1. & c.

Item Profelyti, qui ex Gentibus ad Judæos accedebant: de quibus, Matt. 23. 15. Item, Act. 2. 10.

2. *Fœmelle* non fuere circumcisæ: quæ tamen nihilominus Censebantur in federe, & participes gratiæ promissæ. Quemadmodum enim sanctificantur,

Liberi in parentibus, Uxores in maritis, ut est 1. Cor. 7. 14.

Sic etiam Mulieres Israëlitarum in federe censebantur,

Innuptæ, ex circumcissione Patris;

Nuptæ, ex circumcissione etiam Mariti.

3. *Christus*, etsi non opus haberet Circumcissione, ut immunis à peccato; Tamen etiam fuit circumcissus, ex lege, octavo die, Luc. 2. 21.

Quòd autem circumcissus fuit, eo voluit significare,

1. Se quoad carnem esse ex Israëlitis, Rom. 9. 5.

2. Se habere communionem cum populo circumciso.

3. Se peccata nostra in se recepisse, atque eadem quasi in suo corpore amputasse: arg. 2. Cor. 5. 21. 1. Pet. 2. 24.

Baptizandi in Novo Testamento sunt,

1. Non solum Mares, sed etiam Fœminæ: Prout baptizavit

Philippus, tum viros, tum mulieres, Act. 8. 12.

Paulus, Lydiam purpurariam, Act. 16. 15.

2. Non solum Judæi, sed etiam Gentes, si credidissent.

Anteà quidem solos Judæos baptizavit Joh. B. Matt. 3. 5. 6.

& Christus, per suos Discipulos, Joh. 4. 1. 2.

Posteà verò jussit Christus baptizari omnes Gentes:

Matt. 28. 19. *Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos,*

in nomen Patris, Filij, & Spiritus Sancti.

Marc. 16. 15. 16. *Profecti in mundum universum, predicare*

Euanglium omni creatura. Qui crediderit, & baptizatus

fuerit, & c.

3. Non

3. Non soli Adulti, sed etiam Infantes baptizandi sunt.

Adulti, hac conditione, ut prius

Confiteantur sua peccata; ut *Matt.* 3. 6.

Profiteantur fidem in Christum; ut *Act.* 8. 36. 37: ubi

Philippus Eunuchō, *Si credis ex toto corde, licet;*

Eunuchus respondet, *Credo 7. Christum esse Filium illum Dei.*

Infantes, hac conditione baptizandi sunt,

thes. Si à fideli parente, vel utroque, vel altero tantum, nati sint:

Infidelium autem liberi prius sunt instituendi, catechizandi;

Dehinc, fidem profitentes, baptizandi demum.

test. Juxta illud Pauli, *1. Cor.* 7. v. 14. *Maritus infidelis sanctifica-*

tus est in uxore, & Uxor infidelis sanctificata est in viro:

Alioqui enim Liberi vestri impuri essent; nunc autem sunt sancti.

Usus. Errant igitur Anabaptistæ,

err. Qui Infantibus fidelium negant Baptismum,

priusquam adolecant, credant, fidemque profiteantur.

ref. At errant illi, & quidem graviter ac variè: quia

1. Baptismus successit Circumcisioni;

Ut testatur res ipsa, & convenientia inter utrumque;

Ut & testatur haud obscure Paulus loco supra allato,

Col. 2. v. 11. 12. ubi unum illud Sacramentum, ex altero deducit & concludit: *vide supra.*

Ut ergo in V. T. jussu Dei, sunt circumcisi Infantes;

Ità & in N. T. baptizari etiam debent iidem.

2. Gratia V. T. non est major, gratiâ N. T.

imò amplior & illustrior hæc est illâ.

3. Infantibus competit Signatum: nam, (ut & supra,))

Sunt in federe, Deus etiam illorum est Deus, *Gen.* 17. 7.

Promissio & illis ipsis est facta, *Act.* 2. 39.

Sancti sunt, ut paulò antè dictum, *ex 1. Cor.* 7. 14.

Regnum cœlorum est eorundem, *Matt.* 19. 14.

concl. Quod ergo Petrus dicit, de Cornelio, &c. *Act.* 10. 47.

Num quis aquam prohibere potest, quò minus baptizentur

isti, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos?

Id ipsum & nos de Infantibus Christianorum dicimus;

Num quis Aquam Baptismi prohibere potest ab Infantibus.

Qui pertinent ad fedus, quibus facta est promissio,

qui sancti sunt ex federe, & quorum est regnū cœlorū?

n) 4. Christe

- n) 4. Christo non fuit opus Baptismo: Baptizatus tamen est,
 1. Ut ità impleret omnem justitiam; ut ipse ait, *Matt. 3. 15.*
 h. e. quia ità Pater ordinaverat.
 2. Ut testaretur, se habere communionem cum populo baptizato:
 sicut & Circumcisus, ut ostenderet communionē cum Israëlitis.
 3. Ut insinuaret, se peccata nostra in se recepisse, eaque quasi in
 suo corpore abluisse: *arg. 2. Cor. 5. 22. 1. Pet. 2. 24.*

III. Membrum.

6) III. Circumstantie quaedam restant definiendæ.

1. LOCUM quod attinet,

Circumcisio videtur administrata fuisse, non publicè, sed
 Privatim, in ædibus privatis, ut *Luc. 1. 59. Factum est, ut
 convenirent, cognati, vicini, &c. ad circumcidendum puerũ*
 Hodie quidem in Synagogis ea fieri solet, à Judæis;
 aliquando & in ædibus, præsertim ubi non sunt Synagogæ.

Baptismus administratus fuit,

1. Ad fluvios, & ubi multæ erant aquæ: ut patet, ex
Matt. 3. 6. Joh. 3. 23. itè Act. 8. 36. præsertim in Oriente,
 ubi Immersio totius corporis fuit usitata, *Matt. 3. 16.*
2. In privatis ædibus: ut *Act. 16. 33.*
3. In conventibus sacris: ubi, vel quidam testes adsunt,
 vel universus cœtus; quæ nunc est constitutio Ecclesiæ,
 ut in publicam ædificationem fiat Baptismus.

2. TEMPUS quod attinet,

Circumcisi sunt Infantes, octavo die, ex lege *Gen. 17. 12.*

Ante illum diem noluit circumcidi infantes Deus,
 ut parceretur tenellæ ætati infantium:

Post illum diem noluit differri Circumcisionem Deus,
 ob reverentiam illius Sacramenti, ne vilesceret morâ;
 ob consolationem parentum, liberos esse in federe.

Baptismus quo die fiat, perinde est;

Dummodò ne nimium protrahatur!

Nam & nos reverebimur hoc Sacramentum, ne vilescat;
 & ut in V. T. consolationem ex Circumcisione capiebant,
 ità & in N. T. certificantur parentes, de salute Infantium,
 signo illo & sigillo gratiæ Christi suscepto.

X

3. NOMI-

3. NOMINA quoque considerata veniunt, tunc imponi solita.

In Circumcisione, legimus Nomen impositum fuisse,

Johanni Baptistæ, Luc. I. v. 59--63.

Jesu Christo, Luc. 2. v. 21.

In Baptismo, idem mos hodie observatur: ut & nos,

Ex nominibus moneamur, de suscepto Baptismo.

4. TESTES etiam fuere adhibiti,

In Circumcisione: ut legimus in historia sacra,

Esa. 8. 2. *Duo testes* adhibiti, ab Esaia.

Luc. I. 59. *Convenere* ad indendum nomen Johanni B.

In Baptismo hodieque idipsum quoque fit: unde

Susceptores vocati, testes in Baptismo adhibiti.

Sed degeneravit ille mos in superstitionem, apud Papistas.

C O N C L U S I O.

R. Haftenus PARS I. ubi audivistis, Auditores, de Circumc. & Bapt.

1. In genere: quòd sit Sacramentum, & quidem Primum.

2. In specie: de Institutione utriusque, quis? quid? quo fine?

Quinam circumcisi, baptizandi; Circumstantias nonnullas.

PARS II. sequenti concione D.V. explicabitur, *Quid profit utrumque?*

C. Legimus Gen. 17. 14. *Præputiatus eradicabitur ex populis suis.*

Intelligendum hoc de iis, qui & Signum & Signatum spernebant:

Non de iis, qui necessitate quâdam excluderentur à Circumcisione.

Ut legimus de Israëlitis, in deserto oberrantibus, non circumcisis,

qui postea à Josua in Gilgale sunt circumcisi, *Jos. 5. 1. & c.*

Si impietate parentum neglecta fuerat in his Circumcisio,

parentes puniendi erant, non liberi, postea restituti.

Si ergo Deus tam seriò voluit observari Circumcisionem cruentam,

Videamus, ne Baptismum faciliorem, qui illi successit, negligamus.

V. Deus autem concedat nobis hanc gratiam, ut

Non solùm non contemnamus Baptismum,

Sed & eidem conformes vivamus.

Circumcidat etiam nos, Auribus, ne malum attendamus;

Oculis, ne vanitatem videamus, eâque delectemur;

Lingua, ne obtrectemus proximo, eumque calumniemur;

Cordibus, ut sinceri simus coram Deo nostro:

Cui sit laus, honor, & gloria, in sempiterna secula, Amen.

CONC. XV.

C O N C I O XV.

De Utilitate Circumcisionis, & Baptismi.

Concio II.

Textus *idem*, qui in *præced. conc.*

Rom. II. v. 25—29.

E X O R D I U M.

NOtorium est, Circumcisioni V. T. successisse Baptismum N. T.

Res ipsa id testatur, ex utriusque illius Sacramenti conditione:

Apostolus Paulus etiam id ipsum haud obscure subindicat,

unum ex altero deducens & concludens, Col. 2. v. 11. 12.

In Christo etiam vos circumcisi estis, circumcissione qua fit sine manibus, corpore peccatis carnis exuto, per Circumcisionem Christi; Ei conssepulti, per Baptismum, &c.

Quapropter, quæ fuit ratio Circumcisionis, eadem est & Baptismo:

Ut dictum est *præced. conc.* quâ Baptism. cum Circumcis. comparavimus.

1. Ut Deus instituit Circumcisionem; ita & Baptismum.

2. Ut in Circumcis. duo sunt, Signum & Signatum; ita & in Baptismo.

3. Ut Circumc. hoc fine instituta est, ut significaret & obsignaret gratiam federis, moneret obedientiæ, distingueret à gentibus; ita quoque Baptismus, in N. T. pariter.

4. Ut in V. T. circumcisi sunt, non Adulti modò, sed etiam Infantes; ita in N. T. baptizantur, Adulti fidè profitentes, Infantes fidelium.

Jam quæstio est, Quid profuerit Circumcisio, tam sanctè instituta?

Paulus id elegantibus verbis explicat, in textu prælecto:

Quem si consideraverimus, inde quoque cognoscemus,

Quid profit Baptismus in Novo Testamento?

Scitu id maximè est necessarium: Inveniuntur enim ex Christianis, qui

Vel nimium tribuunt Baptismo, quasi salus in eo sita sit;

Vel minus, quasi nudum sit signum, adeoque non multum curant.

Nimium, vel Minimum, à Diabolo est; quod Germani dicunt,

Zu weinich oder zu viel, Ist des Teuffels ziel.

At *Medium tenuere beati*: Media via calcanda nobis est,

quæ ex Verbo Dei est discenda.

P. Nos igitur hac vice, cum Deo, docebimus ex textu,

I. *Quid Profuerit Circumcisio, in V. T.*

II. *Quid profit Baptismus, in N. T.*

V. Adsit nobis suâ gratiâ Deus, atque concedat,

Ut non solùm externâ Aquâ baptizemur, sed etiam Sang. & Sp. C.

Ut baptizati, non solùm certi reddamur, de ablutione à peccatis;

sed etiam Baptismo congruè vivamus, ut vivamus æternùm : *Amen.*

P A R S I.

Quid ergo prodest Circumcisio? (Loquimur, quasi essemus in V. T. nam & sic loquitur Paulus, in textu prælecto.)

Text. Respondet Paulus, paucissimis verbis;

Circumcisio quidem prodest, si Legem exsequaris.

Exeg. Ut hanc responsionem Pauli intelligamus,

hyp. Repetendum nobis est, Quo fine Circumcisio sit instituta?

Circumcisio est signum federis; ut vocatur, *Gen. 17. v. 11.*

At in omni federe duæ partes sunt, Promittens, & Repromittens.

Deus promittebat, Abrahamo & semini ejus, gratiam suam;

non tam temporalem, quàm æternam justitiam, *Rom. 4. 11.*

Abrahamus, cum semine, repromittebant obedientiam.

Instituta ergo erat Circumcisio duplici fine:

1. Ab una parte Deus, federatos suos certos facit suæ gratiæ, per externam Circumcisionem præputii.

2. Ab altera parte federati, repromittebant obedientiam, [re-
velle se Deū, pro solo vero Deo habere, colere, leges serva-

Ubi igitur hæc duo simul sunt, ibi prodest Circumcisio:

Ubi unum deest, ibi ruptum est fedus, ibi nulla utilitas Circumcisio.

Jam autem Deus fidelis est, & verax, *1. Cor. 1. 9. Rom. 3. 4.* Itaque,

In Deo nullus est defectus, nec erit unquam;

In ipso omnes promissiones sunt Etiam & Amen, *2. Cor. 1. 20.*

Sed omnis homo est mendax, *Rom. 3. v. 4.* Itaque,

Homo sæpè aliquid promittit, quod non præstat: Igitur,

In homine situm est, ut Circumcisio, vel profit, vel non profit.

Si servet promissa sua homo, certè habet & id, quod ei promissit Deus; & sic ei prodest Circumcisio:

Si non servet promissa sua homo, nec poterit habere id, quod ei Deus promissit; & sic non prodest Circumcisio.

a) thes.

thef. Atque hoc est, quod Paulus dicit in textu;

Circumcisio quidem prodest, si Legem exsequaris.

decl. Profuit ergo Circumcisio circumcisis, si Legem observassent:

Non quidem per se propriè, ex *Opere operato*, ut loquuntur;
Sed tanquam Signum federis, certumque Sigillum.

Si servarent, quæ promiserant, servabat etiam Deus sua promissa:

Atque ità Circumcisio illis multùm proderat, quia hæc illos
hujus promissionis divinæ faciebat certiores.

test. Idem docet Paulus, in epistola ad Gal. 5. v. 3.

*Testor enim rursus omni homini, qui circumciditur, eum esse debi-
torem totius Legis servandæ.*

Qui ergo totam Legem servabant, iis proderat Circumcisio:

quia poterant esse certi de gratia Dei; nimirùm,

quàm verè circumcisi essent, tam certò se participes esse promiss.

obj. At inquis; Quis totam Legem potuit servare?

Hoc pacto nulli ex fidelibus V. T. profuisset circumcisio:

Nam *nemo est qui non peccet*, 1. Reg. 8. 46.

Resp. Circumcisio non tantùm eos monebat, ut Legem servarent;

Sed etiam monstrabat, si peccassent, quò confugere deberent,

Ubi remissionem peccatorum acquirere possent: nam & notabatur,

Amputata ipsis peccata, merito Christi venturi,

Quàm verè ipsis amputatum esset præputium carnis.

inst. Infantes non servabant Legem, circumcisi licèt;

An ergo illis non proderat Circumcisio?

Resp. De Adultis hîc agitur, de quibus hic sermo dictus est:

Infantibus verò proderat Circumcisio, ex promissione Dei;

At ubi adulti facti essent, tenebantur pariter repromissis.

concl. Requirebat ergo quidem Circumcisio totam obedientiam:

Sed quia ea erat impossibilis, hic sensus fuit promissionis,

Circumcisioni à parte circumcisorum additæ;

Ut obedientiæ Legis studerent, ex animo, & sincerè,

& quantum ipsis esset possibile, ex gratia Spiritûs S.

ipsis etiam in Circumcisione à Deo promissi.

Non verò hic sensus fuit, ut illâ obedientiâ aliquid mererentur:

Sed ut obediendo, aut obedire conando, gratos se declararent;

Illi videlicet, qui ipsos immeritos in gratiam recepisset,

ulterioremque gratiam se facturum promississet,

eamque ipsam & indebitam, Rom. 11. 6.

β) *Ant.* (quæ est pars Textus 2.) Sic igitur profuit Circumcisio:
thes. At non profuit ei, qui se hoc modo gratum non declarabat;
 | Imò fuit ei veluti Præputium, quasi adhuc esset præputiatus.
hyp. Judæi gloriabantur, se non habere Præputium;
 | atque ità in externa Circumcisione gloriabantur.
text. At Paulus dicit, in textu; *Quòd si transgressor Legis fueris,*
 | *Circumcisio tua facta est Præputium.*
decl. Quasi dicat; Præputium ejus veluti recre visse: vel haberi eum,
 | quasi nunquam circumcisum, qui non congruè vivat circūcisioni.
exēp. Absolon quidem circumcisus erat; sed quid id profuit illi?
 Erat enim perverso animo, impius in patrem, fratricida.
 Judas circumcisus quidem erat; sed quid id profuit illi?
 Quum fur esset, & proditor Domini sui, Christi.
 Pharisæi erant circumcisi; sed quid proderat id ipsis?
 Christum contemnebant, persequebantur, occidebant.

γ) *Cons.* (quæ est pars Textus 3.) Ex his dictis jam Paulus deducit duo:
 1. **Quid de Circumcisis sit statuendum? Quinam sint veri Judæi?**

Text. Non enim qui est in propatulo Judæus, Judæus est;
 nec ea, quæ est in propatulo Circumcisio, id est
 in carne, vera Circumcisio est:

Sed qui in occulto Judæus est, & Circumcisio cordis, id est
 in spiritu, non in litera; cujus Judæi laus est,
 non ex hominibus, sed ex Deo.

Exeg. Hæc ut intelligamus, repetendum est;

Ut in omni Sacramento, sic & in Circumcisione duo esse:

1. Externum signum; quod erat, Amputatio præputii.

2. Internum signatum; quod erat,

Amputatio peccatorum, (originalis, actualium:)

quæ est Remissio peccati, & Imputatio justitiæ, *Rō. 4. II.*

Amputatio peccatorum, per Spiritum Sanctum:

quæ est Sanctificatio, Circumcisio cordis, *Deut. 30. 6.*

Repromissio ab altera parte quoque fiebat;

Passuros, circumcisos externè, se quoque circumcidi
 internè, per Spiritum Sanctum:

Neque se ei renisuros aut obstituros esse,

sed congruè externæ circumcisioni victuros,

Legemque omni studio observaturos esse:

ut & Paulus, in textu; item, *Gal. 5. 3.*

δ) *Concl.*

) *Concl.* Hæc ergo est sententia Pauli, in verbis textûs:

hyp. Ab externo Signo, Circumcisio vocatur,

In Propatulo, h. e. Externa;

In Litera; (quæ opponitur Spiritui, ut 2. *Cor.* 3. 6.)

In Carne; (quæ opponitur Cordi, ut *Deut.* 30. 6.)

Judæi, sic tantùm circumcisi, vocantur Externi Judæi,
vel, *Judæi in propatulo.*

Ab interno Signato, Circumcisio vocatur,

In Occulto, h. e. Interna;

In Spiritu, h. e. intrinsecus in Anima facta;

In Corde, h. e. interna voluntate, & affectibus;

Itèm, *Sine manibus facta*, ut *Col.* 2. 11.

Judæi, sic etiam circumcisi, vocantur Interni Judæi,

vel, *Judæi in occulto*, quorum laus est, non ex homi-
nibus, sed ex Deo, qui & occulta respicit, *Matt.* 6. 4.

thes. Ubi jam utrumque concurrat, & Signum, & Signatum,
ibi vera est Circumcisio, & hi veri sunt Judæi.

Ubi autem est tantùm externa circumcisio, & non interna,
ibi non est vera Circumcisio, nec hi veri sunt Judæi.

Ubi est tantùm interna Circumcisio, & non externa,
censetur ea esse quasi externa quoque;
ut ex sequenti membro apparebit.

ε) 2. Quid de Incircumcisis statuendum sit, si Legem Dei servant?

Text. Itaque, si Præputium, h. e. Præputiatus, incircumciscus,
jus Legis observaverit; nonne Præputium illius,
pro Circumcisione reputabitur?

Et quod est ex natura Præputium, Legem præstans; damnabit
te, qui per literam & Circumcisionem transgressor es Legis?

Exeg. Paulus hic loquitur,

ægr. Non de Judæis, qui circumcisionem omisissent,

Quasi perinde esset, an circumcisi essent, nec ne,
dummodò Legem Dei præstarent. Nam,

Qui ex Judæis aut Ibraëlitis non circumcidebantur,

§ Illi erant eradicandi ex populis suis, quia irritum faci-
unt fedus meum, inquit Deus, *Gen.* 17. 14.

Intellige eos, qui Circumcisionem contemnebant;

non eos, qui aliquâ necessitate impediabantur:

ut factum suprâ diximus in deserto, ex *Jos.* 5. 1. & c.

§ Dio.

2) *Doct.* Sed loquitur Paulus de Gentibus, illis videlicet,
Qui fortè cognitionem Dei habebant, Legemque præstabant,
quamvis non essent circumcisi externè.

Quales fuere, Melchizedek, Job, Jethro, & alii:
quò etiam referendi, qui ante Abrahamum vixere, pij.

*) *prol.* Paulus non vetat tales Gentes circumcidi;

Nam hæc ordinatio Dei fuit in V. T. ut circumciderentur,

si ad agnitionem veri Dei venissent, *Exod. 12.48.49. &c.*

Cujus rei exempla exstant, in Profelytis. *Matt. 23.15. Act. 2.10.*

Sed hoc vult dicere Paulus,

Si Gentes ad cognitionem Dei pervenissent,

& Legem Dei præstitissent;

Et tamen non fuissent externè circumcisæ,

vel, quòd nihil de Circumcisione scivissent;

vel, quòd circumcidi, aliis ex causis non potuissent:

Nihilominùs illas Gentes salvatum iri:

Adeòque Præputium eis reputatum iri pro Circumcisione.

Imò, illas judicaturas ac damnaturas esse Judæos,

Qui fedus Circumcisionis à Deo accepissent,

& tamen juxta illam non vixissent:

Quum ipsæ de Circumcisione nihil scivissent,

vel illam suscipere non potuissent;

& tamen Legem Dei (moralem sc.) præstitissent.

3) *Doct.* Hactenus de utilitate Circumcisionis: At,

prol. Inquiat aliquis; Quid hæc attinet nos scire?

quum Circumcisio, cum reliquis ceremoniis Legis, nunc cessent,

& Paulus dicat, *Gal. 5. 2. Ecce ego Paulus dico vobis,*

Si circumcidamini, Christum nihil vobis profuturum.

resp. Quanquam abrogata sit Circumcisio,

Tamen utile est sciri, quæ fuerit ratio Circumcisionis,

propter Baptismum, qui ei in N. T. successit:

Hinc enim parallelus id cognoscimus,

Ad quid etiam in N. T. profit Baptismus.

transf. Quocirca veniemus nunc ad partem II.

Et occasione hujus tractationis, de Circumcisione,

ejusque utilitate & inutilitate;

Etiam examinabimus, Quatenus profit & in N. T. Baptismus,

& Quatenus ille quoque non profit.

P A R S II.

Quid ergo prodest Baptismus?

Text. Ut Paulus in textu ait; *Circumcisio prodest, si Legem serves:*

Ità Baptismus prodest, si credamus & resipiscamus; juxta

Marc. 16. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur.*

Act. 2. 38. *Resipiscite, & baptizetur unusquisque vestrum,*

in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum;

& accipietis donum Spiritus Sancti.

Decl. Ut hoc intelligatur, considerandum, *Quo fine Baptismus sit institutus?*

hyp. Baptismus est signum federis N. in Sanguine Christi instaurati.

Atquè in omni federe duæ partes reperiuntur,

& una pars alteri mutuò obligantur.

Christus promittit nobis, Remissionem pecc. & Vitam æternam:

Nos vicissim ei repromittimus Obedientiam,

Fidei, nos credituros, & adhæsurus Patri, Filio, Spiritui S.

Operum, nos victuros, non nobis, sed ei qui nos redemit.

Institutus ergo est Baptismus, duplici hoc fine:

Ab una parte Christus promittit, nos tam certò ablutum iri,

à peccatis, per Sanguinem suum, & Spiritum Sanctum;

quàm certò Aquâ extrinsecus abluimur, aspergimur.

Ab altera parte repromittimus nos, obedientiam,

Fidei, nos credituros in Deum, Patrem, Filium, & Sp. S.

Operum, nos victuros conformes Baptismo, futurosque gratos.

thes. Ubi ergo hæc duo sunt simul, ibi prodest Baptismus:

Ubi alterum deficit, ibi fedus ruptum, nulla utilitas.

Jam autem Deus est fidelis & verax, ut suprâ dictum;

Homo verò mendax, qui sæpè promittit quæ non servat.

Ità ut à parte hominis situm sit, Baptismum prodesse, nec ne.

Loquimur autem hîc de Adultis, qui obligantur

ad actualem fidem & obedientiam: nam,

Infantium alia est ratio, qui salvantur ex promissione;

sed adulti facti, tenentur ad actualem fidem & obedientiam.

Si igitur baptizatus servet sua promissa, h. e. credat, & resipiscat,

multùm ei prodest Baptismus: Deus enim præcisè servat sua.

Sin contrà homo non servet sua promissa, certè

nec ei proderit Baptismus externus: Deus enim justus est.

Y

*)concl-

2) *concl.* Prodest ergo Baptismus, si idem rectè servetur;
cond. Hoc est, Si credamus, & resipiscamus.

lim. Non tamen prodest per se, ità ut omnis baptizatus servetur;
 Sed tanquam Signum & Sigillum gratiæ divina.

Si servas quod promisisti, servabit etiam Deus quod promisit:

Certum te facit Baptismus, quàm certò ablueris Aquâ;

Tam certò te ablutum iri, Sanguine, & Spiritu Christi.

2) *Ant.* Non prodest Baptismus, si conditiones Baptismi non servemus;
 hoc est, Si non credamus, si in peccatis securè vivamus.

Imò, censetur is, quasi nunquam baptizatus, qui id non præstat:
 sicuti circumcisus impius, est quasi præputiatus; *ut supra.*

Papistæ, & alij, salutem & Spiritum S. connectunt Baptismo,
 quasi indissolubili nexu; putantque, illo pelli Diabolum.

Sed nos observabimus, quod ex verbis textûs concludi potest,
 Impios & infideles esse, quasi non baptizatos:

Sicuti etiam multi baptizati non salvantur, impii scil.

2) *Conf.* Hinc jam consequitur, quod simul hîc discimus,

1. *Quid de Baptizatis sit judicandum?*

quest. An omnes baptizati salventur, sintque verè baptizati?

hyp. Ut id sciamus, necesse est considerare nos duo, In Bapt.

1. *Externum signum*; quod est, Aqua & Ablutio per a-

2. *Internum signatum*; quod est, [quam.

Sanguis Jesu Christi, Spiritus Sanctus: &

Ablutio per Sanguinè Christi; quæ est Remiss. pecc.

Ablutio per Spiritum S. quæ est Regeneratio.

Porrò, in Baptismo partis utriusque promissiones spectandæ:

Non solum promittit in Baptismo Deus,

se nos tam certò abluturum, Sang. & Spiritu Christi,

quàm certò aquâ externâ abluimur:

Sed etiam Nos repromittimus, nos à parte nostra

credituros, fiduciamque habituros in Sang. Christi,

passuros nos regi à Spiritu S. in vitandis peccatis.

Atque ità in Baptismo quoque est,

Externa Ablutio, quæ fit in Carne;

Interna Ablutio, quæ fit in Spiritu.

Quam distinctionem etiam habet Petrus, *1. Pet. 3. 21.*

Baptismus nos servat, non quo carnis sordes abjiciuntur,

h. e. non externus ille; sed &c.

2) *thes.*

θ) *thes.* Ubi jam utraque Ablutio est, ibi est verus Baptismus; nec dubium, sic baptizatum salvandum esse.

Ubi verò tantum est Externa Ablutio, & non Interna, ibi non potest esse salus.

Ubi autem est Interna ablutio, & si Externa desit, ibi tamen est salus; juxta, I. *Joh.* 1. 7. *Rom.* 8. 14.

Nisi Baptismus contemnat, aut temere negligatur; nam, Non privatio Baptismi, sed contemptus damnat:

Ut nunc porro discemus, ubi explicaverimus,

ξ) II. *Quid de Infantibus, sinè Baptismo decedentibus, sit statuendum? itè de illis, qui necessitate aliquà à Baptismo arcentur?*

¶ *Quid de Infantibus non baptizatis?*

ant. Papistæ illis salutem derogant; saltè eos amandant in *Limbum infantium*, in quo pœnam damni, nò sensus luant. Lutherani recentiores itidem; nisi quòd concedant, tales infantes precibus parentum salvos fieri.

thes. Nos autem dicimus, Baptismum esse signum & sigillū ejus rei, quam jam accepimus, & possidemus, ex promissione.

Atquì Infantes nostri, licèt nondum baptizati, æquè habent promissionem, ut nos, *Act.* 2. 39. unde etiam *Sancti* dicuntur à Paulo, *1. Cor.* 7. 14.

concl. Quia igitur habent Signatum, nec signum iis negandum: Si autem signum eis conferri nequit, Signatum manet.

¶ *Quid de aliis, sinè Baptismo viventibus, casu necessario?*

thes. Salus illis nequit negari, nisi accedat contemptus.

prob. Mandatum erat in V. T. ut octavo die fieret Circumcisio.

At in deserto oberrantes Israëlità, non sunt circumcisi:

An illi omnes damnandi, qui sic mortui sunt?

Non certè: etsi enim signum non acciperent, tamen Signatum illis mansit:

prout & superstites postea circumcisi sunt, *Jos.* 5.

Ità, si accideret in aliquo fidei negligi Baptismum, aut non posse eum impetrare Baptismum, propterea non esset damnandus. Nam,

test. Ut de iis, qui à S. Cœna casu arcentur, dicit Augustinus, *Crede, & manducasti:*

Sic nos de iis, qui non possunt baptizari, dicere possumus, *Crede, & Baptizatus es.*

o) *exēp.* Exempla exstant multorum, sinè Baptismo salvatorum: ut,
 Symeonis senis, *Luc. 2. 29. 30.*

Latronis in cruce, *Luc. 23. 43.*

Exstant otiosæ quæstiones veterum, hac de re;

An in casu necessitatis possit baptizari, vino, urinâ, &c?

An moribundi in deserto possint baptizari, arenâ, &c?

Sed inutiles sunt istæ quæstiones,

quum sufficiat sola fides, ut dictum est.

π) *caut.* Videndum tamen, ne nostrâ culpâ negligatur Baptismus,
 quia Deus illum instituit, vultque studiosè observari.

Si autem non sumus in culpa, valebit illud Bernhardi,

Non privatio, sed contemptus Baptismi damnat.

C O N C L U S I O.

R. Hæc quoque de utilitate Baptismi: Audivistis ità, Auditores,

1. De Circumcisione: Prodesse illam, si Lex servetur;

Non prodesse, si Lex violetur. Ubi etiam vidimus,

Quinam veri sint Judæi? & Quid de Præputio censendum?

2. De Baptismo: Prodesse illum, si credamus & resipiscamus;

Non prodesse, si quis baptizatus non credat, non resipiscat.

Ubi etiam vidimus, An baptizati omnes salventur?

An qui Baptismo privantur damnentur?

C. Nostri officii erit, Auditores in Christo dilecti, ut

Non tantùm baptizemur, sed etiam Baptismo congruè vivamus;

Non solùm promissionem Dei captemus, sed Deo etiam repromittamus,

& quod promisimus studiosè servemus ac præstemus.

Sic verè erimus baptizati,

Non modò externè, in corpore, in carne;

Sed etiam internè, in anima, in corde:

Et laus nostra erit, non ex hominibus, sed ex Deo; hoc est,

Deus nobis testimonium perhibebit, de vero Baptismo.

Homines quidem testari possunt de externa Ablutione:

Sed Deus καρδιωγίας de Interna testimonium perhibet.

V. Tale testimonium Deus excitet in cordibus nostris,

per Spiritum Sanctum, propter Christum:

Cui uni ac vero Deo sit laus, honor, & gloria,

in omnia seculorum secula, Amen.

C O N C I O XVI.

De Prærogativa Judæorum,
& Constantia Dei.

Textus, Rom. III. v. 1—4.

Quæ est igitur præstantia Judæi? aut, quæ utilitas Circumcisionis? Multa, per omnem modum: Primarium enim illud est, quod eis concredita sunt eloquia Dei: Quid tum enim, si infidi fuerunt quidam? num ipsorum infidelitas fidem Dei inanem reddet? Absit: imo, esto Deus verax, omnis autem homo mendax; sicut scriptum est, Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, quando tu judicas. (Possent etiam prælegi reliqui versus, 5—8. quorum usus est in Exordio, ob methodum seqq.)

E X O R D I U M.

TOtus in hoc est Apostolus, in prima parte hujus epist. ut probet, Omnes homines esse peccatores, tam Judæos, quam Gentes.

Id haud dubiè malè accepturi erant Judæi, se Gentibus æquari.

Prævidens ergo Paulus, hanc Epistolam minùs gratam futuram Judæis, initio hujus Cap. III. tres Calumnias proponit, & refutat: atque ità docet, Ministros verbi debere loqui prudenter,

Omnemque ansam calumniandi auditoribus suis præcidere.

I. Calumnia hæc erat; Paulum contumeliosum esse in Deum,

Eò quòd æquet populum Dei Gentilibus, nullam illi præ his relinquens prærogativam.

Negat hoc Paulus, conceditque eximiam Judæis prærogativam: eamque confirmat à constantia & fidelitate Dei; dummodò populus ipse maneat constans & fidelis.

II. Calumnia ducitur, ex Psal. 51. v. 6.

Paulum facere Deum injustum, contra illud dictum Davidis;

quia puniat injustitiam, quâ tamen illustretur justitia Dei:

adeoque debere Deum potiùs præmium injustitiæ, quàm pœnam.

Respondet Paulus, simpliciter id negando; *Absit.*

Alioquin, quomodo judicabit Deus mundum?

quæ sunt verba Abrahami, ex Gen. 18. 25.

Y 3

III. Calumn-

II. Calumniā est defumta, ex Psal. 116. 11. *Omnis homo mendax*: & ex Psal. 36. 6. *Fides Dei usque ad superiores nubes*; h. e. Deus est verax. Unde hæc calumniā, Paulum aperire fenestram sceleribus; quia dicat, Homines esse mendaces, ut Deus sit verax: proinde, Facienda esse mala, ut eveniant bona.

Paulus ad hanc Calumniā respondet,

1. Hanc esse blasphemiam, (*καὶ οὗτος βλασφημῆσαι.*)

2. Illorum damnationem esse justam, qui faciunt mala ut eveniant inde bona.

Hæc mens est Apostoli, in initio hujus cap. III. in verbis *vers. 1--8.*

quæ satis difficilia primâ fronte apparent, sed faciliè intelligi possunt,

si hæc methodus animadvertatur.

P. Hac vice Primam calumniā assumemus, quæ continetur *vers. 1--4.*

Atque ex illa, de his duobus, dicemus,

I. De magna Prærogativa Judæorum, præ Gentibus:

II. De Constantia Dei; eum nec inconstantem esse, nec Judæis facere injuriā, si ipsos propter peccata puniat.

V. Deus adsit nobis utrinque gratiā Spiritûs Sancti; detque,

Ut & nos, qui Christum profitemur, agnoscamus magnam nostram præstantiam, præ reliquis hominibus:

Ne peccatis & contumaciâ nostrâ nos faciamus indignos hac prærogativâ, ut Judæi faciebant:

Sed ut, quia Deus nobis præ aliis gratiam magnam fecit,

præ aliis etiam Deo magis serviamus gratique simus: Amen.

P A R S I.

Primum quod attinet, nempe *Magnam Prærogativam Judæorum*:

Præp. Poterat Judæus quispiam ex hæcenus dictis objicere;

Quæ igitur est præstantia Judæorum præ Gentibus,

si æquè ac hi sint peccatores, si æquè ac hi puniantur?

Quid, inquam, prodest illis Circumcisio?

Respondit Paulus de Circumcisione, in capite præcedenti:

Circumcisionem prodesse Judæis, si Legem servant;

non prodesse, si illam transgrediantur.

Quam verò habeant Prærogativam, in textu prælecto docet: ubi

1. Magnam illam Prærogativam Judæorum proponit, v. 1. 2.

2. Tantò majorem Ingratitudinem eorundem evincit, v. 3.

*) Tract.

*) *Tract.* Hæc ergo duo primâ hac parte tractabuntur;

I. Magna Prærogativa Judæorum, præ Gentibus.

Text. De ea Paulus sic in textu ait; *Quæ est igitur præstantia Judæi?*
aut, *Quæ utilitas Circumcisionis? Multa, per omnem modum:*
Præmarium enim illud est, quòd eis credita sunt Eloquia Dei.

Exeg. Primum, h. e. Præmarium, Præcipuum hoc est, Etenim,
prop. Magnis gratiis Deus Judæos cumulaverat,
ex quibus hæc erat Præmaria ac præcipua.

spec. Consideremus nonnihil illas gratias.

I. Magna gratia erat, quòd Deus Judæos, Israëlitas scilicet,
thes. Ex omnibus populis, pro suo populo, assumserat.
decl. Anni elapsi erant, ab initio mundi, 2024.

quibus mundus jacebat in idololatria.

Ibi vocavit Deus Abrahamum, ex Ure Chaldæorum, *Gen. 12.*

& quidem ab idololatria retractum, ut est in *Jos. 24. 2.*

unde illud, *Ezech. 16. v. 3.*

Fecitque cum eo, ac femine ejus, fedus; ut *Gen. 17. 7.*

Ero tibi Deus, & Semini tuo post te.

test. Annon magna hæc fuit Gratia? Prædicat eam

Moses, servus Dei, ac summus Prophetarum omnium,

Deut. 10. 14. 15. En Jehova, Dei tui, sunt cæli, & cæli
cælorum, terra, & quicquid est in ea. Tamen in majores
tuos propensus fuit amore Jehova, diligendo eos:
unde selegit semen eorum post eos; nos, inquam, præ
omnibus populis, sicut est hodie.

Deut. 7. v. 6. 7. 8. Te selegit Jehova, Deus tuus, ut sis ei
populus peculiaris, præ omnibus populis, qui sunt sub
universo cælo. Non eò, quòd plures essetis omnibus
reliquis populis, amore propendit Jehova in vos, ac
selegit vos: Vos enim eratis populus paucissimus omni-
um populorum. Sed eò, quòd diligit Jehova vos, &
eò quòd servat juramentum illud, quod juraverat ma-
ioribus vestris, & c.

Deus ipse, apud prophetam Esaiam,

Esa. 43. 21. 22. & c. (vel, v. 8. 9. & c.) Populus, quem for-
mavi mihi, & c. Non quòd tu me invocas, Jacob, &
labores apud me, Israël, & c. Ego, ego ipse deleo defe-
ctiones tuas, propter me: q. d. Hæc gratia sola mea est.

β) 2. Magna

2) Magna gratia erat, quòd Deus Israëlitas tam gratiosè
thes. Educavit: & quidem,
test. In Ægypto, per manum Josephi; juxta illud,
 Hof. II. I. *Quia puer Israël est, & diligo eum,*
ideò ex Ægypto vocavi filium meum.

In Deserto, totos quadraginta annos, per manum Mosis:

Deut. 8. 5. *Ut agnoscas corde tuo, sicut quis educat filium suum,*
Jehovam Deum tuum educasse te. Ibid. v. 3.

Cibavi te man, quod non cognoveras, neque cognoverant ma-
jores tui. Et vers. 4. Vestimentum tuum non veteravit, quin te-
gumento esset tibi, & pes tuus non intumuit, ipsos quadra-
ginta annos.

Deut. 29. 5. 6. *Deduxi vos quadraginta annos per desertum, non*
inveteraverunt vestimenta vestra, quin tegumento essent vobis;
neque calceus tuus inveteravit, quin tegumentum esset pedi tuo.
Panem non comedebatis, nec Vinum aut potum inebriantem
bibebatis; ut cognosceretis, me Jehovam esse Deum vestrum.

3) Magna gratia fuit, quòd Deus Israëlitas, Judæos, tantopere
thes. Exaltavit: juxta illud Dei, apud Prophetam,
test. Esa. I. v. 2. *Audite cæli, & auribus percipe terra, nam Jehova lo-*
quitur: Filios educavi & extuli; ipsi autem deficientes, rebella-
verunt in me.

decl. Quomodo verò exaltaverat eos?

Deduxerat eos in terram, fluentem lacte & melle:

Ut passim testatur Scriptura, Exod. 3. 8. cap. 13. 5.

cap. 33. 3. Lev. 20. 24. &c.

Sic Deut. 8. 7. 8. *Jehova Deus tuus introducet te, in terram*
optimam, terram irriguam fluminibus aquarum, fontibus &
voraginibus, prodeuntibus in convalles, & in montes sin-
gulos; terram feracem tritici, & hordei, & vitis, &
ficus, & malogranati; terram feracem olea oleose, &
mellis, &c. terram, è cujus lapidibus ferrum, & è cujus
montibus excides as.

Rexerat eos, primò per Judices excellentissimos,
 deinde per Reges celeberrimos:

Victorias eis ingentes & illustrissimas concesserat:

Civitates amplas, & munimenta excitaverat: &c.

4) Maxi-

4. Maxima verò gratia hæc fuit, de qua in textu dicitur;

text. Primarium illud est, quòd eis credita sunt Eloquia Dei.

decl. Quòd scilicet Deus Judæos dignatus est Verbo suo. Etenim, Audierant vocem ipsius Dei, ex igne: quod Moses celebrat, nulli populo accidisse, Deut. 4. 33.

Legem acceperant, digito Dei scriptam, Deut. 5. 22. (28.)

Missi ipsis Prophetæ, indè ab exitu ex Ægypto, Jer. 7. 25.

Apud eos Deus sedem suam fixerat, Psal. 132. 14.

Hæc est requies mea, hoc habitaculum meum, Sion scil.

Hinc Stephanus dicit, Act. 7. 38. Mosén excepisse viva Eloquia, quæ Israëlitis traderet.

Hoc, inquam, illud est, quod Paulus laudat in textu;

Quòd eis credita sunt Eloquia Dei: hoc est,

Quòd Deus se patefecerit Judæis,

Non solùm Legem dando, docendo per Prophetas, respondendo per Urim & Thummim, &c.

Sed etiam, quòd maximum est, concedendo eis

Promissiones de Messia, tradendo S. Scripturam:

Unde & Librarii Christianorum ab Augustino dicuntur à quibus scil. Scriptura V. T ad nos manavit.

test. Hinc Moses exclamat, Deut. 33. 29.

Beatus es Israël; quis est sicut tu?

Itèm alibi, Deut. 4. 8. Quæ gens maxima est, cui sunt statuta & judicia justa, sicut est tota hæc Lex, quam ego propono vobis hodie?

Ibid. v. 6. Hæc est sapientia vestra, & prudentia vestra, ante oculos omnium populorum: qui audientes omnia statuta ista, dicent; Tantùm gens ista maxima, populus sapiens est & prudens, (prudentiâ scil. & sapientiâ spirituali.)

Hinc etiam Psaltes, gloriabundus ait, Psal. 127. v. 19. 20.

Indicat verba sua Jacobo, statuta sua & jura sua Israëli: Non fecit ita ulli genti.

add. Huc accedit, quòd etiam Christus, quoad carnem, ex Judæis est: quam Prærogativam etiam reliquis conjungit Paulus,

Rom. 9. 4. 5. Quorum est adoptio, & gloria, & pacta, & Legis constitutio, & cultus, & promissiones; quorum sunt Patres: & ex quibus est Christus, quod ad carnem attinet; qui est Deus benedictus in secula, Amen.

Z

II. Magna

II. Magna contra Ingratitudo Judaorum, in hanc gratiam.

Text. Hæc insinuatur his verbis; *Quid tum enim, si infidi fuerunt quidam, num ipsorum infidelitas fidem Dei inane reddet?*

Exeg. Hoc vult dicere Paulus; Quum tantam gratiam Judæis fecerit Deus, haud dubiè magna est è contrariò Ingratitudo Judæorum, qui depositum hoc non rectè tractârunt, sed infideles facti, se indignos hac prærogativâ fecerunt.

Adeòque Prærogativa hæc Judæos ingratos non juvat; sed est veluti Margarita, circum collum porci.

Test. Atque hoc est, quod Deus conqueritur apud Prophetam, *Esa. I. v. 2. Filios educavi, & extuli; sed illi deficientes, rebellaverunt in me.* Item,

Hof. 8. 12. Quæ præscribo ei documentis amplissimis Legis meæ, tanquam res extera reputantur. Confer, Deut. 32. 6.

Idem & Johannes Evangelista prodit, *Joh. I. v. 11.*

Ad sua venit, sed sui eum non exceperunt.

App. (in Doct. & Usu.)

Doct. Quid ex hac tractatione discemus?

hyp. Si Judæi præ Gentibus magnam habuère Prærogativam, quòd Deus eos præ omnibus gentibus elegerat; quòd eos educaverat & curaverat, sicut filios; quòd eos exaltaverat, ex variis periculis liberaverat; quòd eis concrediderat Eloquia sua, Verbum suum:

thes. Certè & nos magnam habemus Prærogativam, Non solùm præ Gentibus, quæ nullam habent Dei cognitionem; Sed etiam præ ipsis Judæis, præ Turcis, præ Papistis.

decl. Etenim, nonne hæc maxima Dei gratia est?

Quum essemus Gentes, Deus ad Christum nos vocavit:

Quum essemus sopiti tenebris Papatûs, ex illis nos eruit,

Religioneque omnium purissimâ nos donavit:

Quum essemus pauci, contemti, derelicti, exosi,

Deus nos multiplicavit, honoribus cumulavit, assumpsit, omnibus necessariis instruxit, ex mille periculis liberavit:

Hoc autem præcipuum est, quòd nobis concredidit,

non solùm sanam doctrinam Legis, ut & Judæis;

sed etiam salutarem doctrinam Evangelij, quam Christus è sinu Patris sui cœlestis nobis revelavit, *Joh. I. 18.*

eamque purissimam, inter tot sectas ac hæreses.

2. v. 18.

§) *Ufus.* Perpendamus hoc bene, Auditores, &

thes. Gratias agamus Deo, pro tanto beneficio in nos collato:

Vivamus etiam, ut decet eos, quibus præ aliis gratia est facta.

ant. Ne simus ex iis, qui quò plus gratiæ accipiunt, eò ingratiore sunt.

Ne simus ut Judæi, qui habent puram Scripturam V. T.

sed Christum non receperunt, eumque etiamnum rejiciunt,

Scripturæ Traditiones patrum, suumque Thalmud æquant.

Ne simus ut Turcæ, quibus etiam Eloquia Dei erant notificata,

sed illis derelictis Muhammedis Alcoranum substituerunt.

Ne simus ut Papistæ, qui etiam eximiam præstantiam, ac

Prærogativam præ aliis Gentibus habent,

quòd ad Christianismum sunt vocati;

quòd ut filii à Deo sunt educati;

quòd ad tantum fastigium sunt evecti;

quòd Verbum Dei, Capita religionis Christianæ habent.

Sed parùm eos juvat hæc Prærogativa: Nam,

Verbum Dei subjiciunt iudicio Papæ, Traditiones assuunt;

Præter Christum etiam Mariam, matrem ejus, colunt;

Imagines, Crucem, &c. in templis locant, adorant;

Purgatorium, contra Scripturam invexerunt, Indulgentias;

Multaque alia, ut Superstitiones infinitas, Monachatum,

Papæ dignitatem, Cardinales, Archiepiscopos, &c.

Religionem Christianam in pompam convertentes.

appr. Perpendite hæc omnia probè, Auditores,

Non juvabit nos, nos esse Reformatos,

Nisi etiam vitam reformatam vivamus.

rest. Non juvabit Chorazin, Bethsaidam, Capernaumum,

quòd audivère Christum, quamvis id magnum beneficium esset:

ut præcellentibus verbis docet Christus, *Matt. II. v. 21-24.*

Multi dicent illo die, *Domine, An non prophetavimus? &c.*

Sed dicet illis Christus; *Certe, nunquam novi vos:*

Abscedite à me, qui operamini iniquitatem: Matt. 7. 22. 23.

Dicent; *Sedimus in tuo conspectu, & bibimus, & in plateis nostris*

docuisti: Sed respondebit Christus idem ipsum; Nescio, unde

vos sitis: Abscedite à me omnes, &c. Luc. 13. 26. 27.

concl. Magna his gratia erat facta; magna etiam nobis fit gratia:

Sed nisi respondeat vita nostra huic gratiæ, & prærogativæ;

Pari conditione audiemus illud, *Nunquam novi vos.*

P A R S II.

Sequitur Secundum, *Constantia Dei*: nempe, Deum nec inconstantem esse, nec facere Judæis injuriam, si ipsos propter peccata puniat.

Text. Idipsum continetur his verbis; *Quid tum enim, si infidi fuerunt quidam? Num ipsorum infidelitas fidem Dei inanem reddet? Absit: imò esto Deus verax, omnis autem homo mendax; sicut scriptum est, Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, quando tu judicas.*

Exeg. Consideremus hæc verba nonnihil.

obj. Judæi potuissent objicere; Concedis, Paule, Nobis esse credita Eloquia Dei, magnam nostram Prærogativam: Sed dicis, eandem nobis nihil prodesse, quia peccaverimus: Sequitur igitur, Deum inconstantem esse, qui promissa non fervet.

resp. *Absit*, respondet Paulus; *Absit*, quòd infidelitas Judæorum fidelitatem Dei sustulerit, quòd propterea ipse sit inconstans:

part. Et provocat ad S. Scripturam, atque ex illa demonstrat,

I. Deum esse veracem.

text. Imò, esto Deus verax,

decl. Quasi dicat; Verum est, quod Scriptura testatur:

test. Verum est, quod dicit David, Psal. 36. 6. Psal. 57. 11.

*Magna est usque ad cælos benignitas tua,
& ad superiores usque nubes veritas tua.*

Verum est, quod dicit Deus, Psal. 89. 34.

*Benignitatem meam non irritam faciam ab eo,
neque mentiar contra fidem meam.*

Verum est, quod dicit Samuel, 1. Sam. 15. 29.

Quin etiam qui est æternitas Israël, non committet mendaciter, neque pœnitebit eum: Non enim est homo, ut pœniteat eum; h. e. ut retractet promissa sua.

concl. Hæc, & similia dicta quàm plurima, respicit Paulus: q. d.

Quomodo in Deo esset defectus? Etenim,

Quòd Judæi hanc Dei gratiam amiserunt, id Deo non potest imputari, qui est & manet verax, sed Judæis perversis & infidelibus imputandum est.

Si quis defectus hîc est,

is quærendus est, non in Deo;

sed in hominibus: de quibus porrò dicit,

2. Homi-

2) Hominem esse fallacem.

text. Omnis autem homo mendax.

decl. Quasi dicat; Si est hic defectus aliquis,

| is est apud homines, qui sunt naturâ mendaces.

test. Desumit hoc Paulus, ex Scriptura V. T. nempe, ex

Pfal. 116. 11. *Ego dicebam accelerando, in festinatione mea,*

Omnis homo est mendax. Sic,

Pfal. 39. 6. *Profectò omnimoda vanitas est omnis homo,*

quantumvis constitutus maxime. Itè,

Pfal. 62. 10. *Tantummodò vanitas sunt, nati plebejo homine;*

mendacium sunt, nati prestante viro: Lancibus illi simul

impositi, ascensuri essent supra Vanitatem; h. e. Vanitate

ipsa vaniores sunt. Conf. Eccl. 1. v. 2.

prol. Inquiat aliquis; Omnesne homines sunt mendaces?

Estne igitur ullus verax inter homines?

Resp. Omnis homo est mendax, respectu Dei scilicet: nam

Nemo est bonus, nisi solus Deus, Matt. 19. 17.

Deinde, homines in se spectati, naturâ suâ sunt inconstantes;

nisi Deus eos stabiliat.

inst. Hinc sequeretur, non posse dici verum à quopiam. *Resp.*

1. Homo, à Spiritu Dei actus, potest dicere verum.

2. Quamvis etiam irrogenitus dicat verum,
tamen natura ejus plus inclinatur ad mendacium.

3) Deum esse Justum, in judiciis suis.

text. Probat hoc ipsum Paulus ex Scriptura; *Sicut scriptum est,*

| *Ut justificeris in sermonibus tuis,*

| *& vincas, quando tu judicas.*

test. Desumptum hoc est, ex Psal. 51. v. 6. ubi David ait;

| *Agnosco, ut justificeris in sermonibus tuis,*

| *purus sis, quando tu judicas.*

decl. Hoc igitur vult dicere Apostolus Paulus;

Quia Deus justissimus sit, in judiciis suis,

Justissimum judicium eum exercuisse in Judæos,

quòd perfidos Judæos à sua dignitate dejecit.

Si igitur infideles Judæi puniantur à Deo,

id non imputandum esse Dei inconstantia;

sed tribuendum esse ejusdem Justitia;

quam violari Deus nullo modo sinit.

*) Appl. (in Doct. & Usu triplici, mixt.) Discimus itaque hinc,
I. Promissiones Dei esse Etiam & Amen, quamvis impii non credant.

hyp. Nam Incredulitas hominum, non tollit fidelitatem Dei.
decl. Id est non ita intelligendum, quasi impii nihilominus ferventur:

Ut quidam hinc perperam probare nituntur,
Infideles in S. Cœna percipere corpus Christi,
Etiam si non credant; Deum enim esse & manere veracem.

Verum id ita intelligendum est;
Quamvis quidam se faciant indignos promissionibus Dei,
Tamen veras illas manere iis, qui credunt.

test. De Fidelibus loquitur Scriptura,
Marc. 16. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvabitur.*
Eph. 3. 17. *Per fidem Christus inhabitat in cordibus fidelium.*

De Infidelibus verò dicit Scriptura,
Marc. 16. 16. *Qui non crederit, condegnabitur.*
Act. 8. 21. *Non est tibi pars, neque sors in hoc negotio;
cor enim tuum non est rectum in conspectu Dei.*

usus. Quapropter, semper possumus fidere promissionibus Dei.
Nam *ex quo loquutus sum, omnino recordor ejus adhuc;*
inquit Deus, apud Prophetam, *Jer. 31. v. 20.*

II. Quia homines sunt naturâ fallaces & mendaces,

1. *Usus.* Ne nimium fidamus hominibus. [23.]

exēp. Pincerna, restitutus à Pharaone, oblitiscabatur Josephi, *Gen. 40.*

Hi sunt mores hominum: At Deus longè aliter,
test. *Esā. 49. 15. 16. An oblitisci potest mater fœtus sui,
ut non misereatur filii uteri sui?*

*Etiam hæ oblitisci possint, tamen ego non oblitiscar tuū:
En in manibus meis sculpsi te.*

2. *Usus.* Inprimis, ne magis attendamus verbis hominum, quàm Dei.

exēp. Achab attendebat ad verba falsorum prophetarum,
Michæ, prophetæ veri, Verba negligebat: *1. Reg. 21.*
Quid factum? Deceptus fuit, & periit.

appr. In Papatu verba Monachorum fallacium respiciuntur,
Verba Dei non leguntur, non attenduntur:
Tandem etiam se deceptos ac falsos esse inveniunt.

concl. Annon meliùs est, credere Deo veraci, quàm homini fallaci?
Verba Dei nunquam fallunt aut decipiunt:
Sed fallaciæ hominum miserè decipiunt, seducunt.

III. Quum

III. Quum Deus alios punit, imò quum nos ipsos castigat,
usus. Ne accusemus Deum inconstantiae, aut iniustitiae;
 sed agnoscamus ejus justitiam, certòque reputemus,
 quòd nec nobis, nec aliis, injuriam faciat Deus.
test. Dicamus cum Micha propheta, Mich. 7. v. 9.
Indignationem Jehovæ feram, quia peccavi in eum.
 Dicamus cum Daniele propheta, Dan. 9. v. 7. 8.
Penès te, ó Domine, est justitia ipsa,
At penès nos pudor faciei, quia peccavimus in te.
ant. Quæramus verò auxilium, in sola Dei misericordia;
 Cum Daniele, Dan. 9. 9. *Penès Dominum Deum nostrum*
sunt miserationes, & condonationes.
 Cum Davide, Psal. 130. 3. 4. *Si peccata observabis, Fab,*
Domine, quis possit consistere? Nam apud te est Condonatio,
ut reverenter colaris. Psal. 143. 2. *Ne congregiaris iudicio;*
cum servo tuo: nam non esset justus coram te ullus vivens.

CONCLUSIO.

R. Audivistis, Auditores,
 1. Quanta præstantia fuerit olim Judæorum, præ Gentibus;
 Quanta nostra quoque sit præstantia, præ reliquis.
 2. Deum non fieri inconstantem, si infideles puniat, Esse,
 Deum veracem, Hominem mendacem, Judicium Dei justum.
 C. De Capernaitis Christus, Matt. 11. 23. *Et tu Capernaum;*
Tu es usque ad cælum elata, usque ad inferos deprimeris:
Nam si Sodomis editæ fuissent virtutes, quæ editæ sunt apud te,
mansissent usque in hodiernum diem. Quinetiam dico vobis;
Terræ Sodomorum tolerabilior erit conditio in die iudicij, quam tua.
 Nos etiam usque in cælum sumus elati:
 Purum Dei verbum apud nos prædicatur:
 Possumus in pace convenire, ac audire Verbum Dei.
 Videamus, ne ingrati deprimamur in Infernum,
 ne iudicium nostrum fiat gravius iudicio Sodomitarum.
 V. Deus autem, qui fidelis est, perficiat in nobis quod ccepit,
 ut Prærogativam habeamus, non solùm in hac, sed & futura vita:
 Ad quam nos promoveat Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus,
 Deus unus & verus, benedictus in secula, Amen.

CONCIO XVII.

C O N C I O XVII.

De Gloria Dei ex peccatis illustrata,

& quidem Illæſâ Dei Juſtitiâ.

Textus, Rom. III. verſ. 5. 6.

*Quòd ſi injuſtitia noſtra Dei juſtitiam commendat, quid dicemus?
num injuſtus Deus, qui inferat pœnam? (humano more loquor.) Abſit:
alioquin, quomodo judex erit Deus mundi?*

E X O R D I U M.

Refellere Paulum tres calumnias, initio hujus capituli, ſuprà diximus.

1. Calumnia eſt:

Paulum eſſe ignominioſum in Deum; cò quòd
æquet populum Dei Gentibus,
nullam populo Dei, præ his, relinquens Prærogativam.

Reſpondet ad hanc calumniam Paulus, negando; &

1. Concedit Judæis eximiam prærogativam:
2. Confirmat eandem à Dei constantia,
ſi modò populus Dei maneat conſtans.

2. Calumnia eſt:

Paulum facere Deum injuſtum, quia is puniat noſtram injuſtitiam,
quâ tamen juſtitia Dei inſigniter illuſtretur; ideòque
debere Deum potiùs præmium injuſtitie, quàm pœnam.

Reſpondet Paulus ſimpliciter; Abſit, Deum injuſtum eſſe.

3. Calumnia eſt:

Paulum aperire fenestram ſcleribus, quia doceat,
Homines eſſe mendaces, ut Deus ſit verax; ſequi hinc,
Facienda eſſe mala, ut eveniant bona.

Reſpondet Paulus, hanc eſſe maledicentiam, & illorum
Damnationem juſtam eſſe, qui faciunt mala, ut eveniant bona.

Primam calumniam ſuperiori concione tractavimus,

Ultimam differemus in ſequentem concionem

Hac vero concione tractabimus Secundam calumniam,

quæ in verbis textûs prælecti proponitur, & refellitur.

Sententia

Sententia hujus Secundæ calumniæ est,

Deum potius debere præmium, quàm pœnam, injustitiæ hominum,
quia ex hac Justitia Dei illustretur, ac promoveatur.

Respondet Paulus, Deum esse & manere justum.

P. Hinc sequentes duas partes tractabimus;

I. *Quomodo Gloria Dei ex peccatis illucescat:*

II. *De Justitia Dei, illam hac doctrinâ non extenuari.*

V. Deus adlit nobis virtute Spiritûs Sancti, detque gratiam,

Ne peccatis nostris Dei gloriam violemus; si tamen violemus,

Ille, ut sapiens Deus, dirigat omnia ad suam gloriam:

Et in fine mundi justè judicaturus, det nobis Advocatum Christum,
qui est propitiatio pro peccatis nostris: *Amen.*

P A R S I.

Primò, si velimus discere, *Quomodo gloria Dei peccatis illustretur?*

Prop. Sciendum nobis est,

1. Propriè gloriam Dei peccatis nostris lædi:

2. Per accidens tamen illis gloriam Dei illustrari; nempe,
propter sapientiam Dei, qui etiam mala in bonum dirigit.

Tract. Videamus ergo utrumque, ex ordine.

I. *Peccatis nostris gloriam Dei lædi propriè:*

Mod. Fit hoc ipsum,

1. Tùm apud exteros, propter peccata nostra Deum blasphemantes.

test. Id suprâ audivimus, ex Rom. 2. v. 24.

Dei nomen, propter vos, blasphematur inter Gentes.

decl. Ubi Paulus, ex *Ezech.* 36. v. 20—23. probat,

quòd propter peccata Israëlitarum nomen Dei
fuerit blasphematum inter Gentes.

Quomodo id etiamnum per nostra peccata fiat, dictû quoq;
scilicet, quû peccamus, adversarios nostros blasphemare
Religionem reformatam, adeòque Deum ipsum.

2. Tùm per nos ipsos.

transf. Et si maximè nomen Dei non blasphemaretur, [rios;

propter peccata nostra, inter Gentes, aliosque adversa-

Tamen à nobis ipsis blasphematur Deus, peccatis nostris,

gloriaque ejus haud parùm affligitur, nempe,

inobedientiâ nostrâ, & contumaciâ in Deum.

Aa

n) test.

- a) *test.* Prout Deus conqueritur, apud Prophetam,
 Esa. I. v. 4. *Ab gens peccatrix, populus gravissimus iniquitate, semen maleficientissimum, filij corruptores! Dereliquerunt Jehovam, contemptim irritaverunt sanctum Israël, ab alienantes sese averterunt retrorsum.*
 Ezech. 20. 39. *Nomen sanctitatis meae ne profanate amplius, donis vestris, & Diis stercoreis vestris.*
 Hinc etiam illud Dei, I. Sam. 2. v. 30.
Honorantes me honorabo, contemptores autem mei leves fient.
 Quasi dicat; Qui præcepta mea observant, me honorant:
 contra, Qui ea violant, me contemnunt & ignominiam afficiunt.
 Sic etiam de rege Saule dicitur, I. Sam. 15. v. 22.
Quia sprevisi verbum Jehovae, sprevit similiter te.
 Ecce, Inobedientem esse, est spernere ipsum Deum,
 eumque contumeliam afficere.
 Novit hoc quoque David, quando ait, Psal. 51. v. 6.
Tibi, tibi soli peccavi, & quod malum est in oculis tuis feci.
 Ecce, peccaverat in Uriam, ejusque uxorem Bathsebam, David;
 tamen dicit, se hoc pacto offendisse Deum.
 Idem Josephus significat, sollicitatus de adulterio, Gen. 39. 9.
Quomodo facerem malum hoc maximum, & peccarem in Deum?
 b) *Decl.* Quamvis autem peccatis nostris Deum lædamus,
 aliisque occasionem blasphemandi Deum præbeamus:
 Tamen notandum est, Gloriæ Dei nihil posse decedere.
 Justus enim est Deus, & manet justus;
 Sanctus est, & manet sanctus;
 Bonus est, & perpetuò manet bonus:
 Ità ut gloriæ Dei nihil possit decedere, ut nec accedere.
 Quinimò Deus etiam nostra peccata ità dirigit,
 Ut per illa gloria Dei illustretur, magisque inclarescat.
 Atque ità etiam nostra peccata gloriæ Dei inservire oportet.
 Id mirum rationi humanæ accidit:
 Ideò etiam indè solet concludere,
 Peccandum esse liberè, sinè metu;
 Deum iniquè facere, puniendo peccata,
 per quæ tamen gloria Dei illustretur:
 Ut paulò post, in parte II. audiemus.
 Nunc verò porro videamus,

II. *Quomodo*

II. Quomodo gloria Dei peccatis hominum illustretur?

Text. Id insinuat Paulus his verbis; *Quod si injustitia nostra Dei justitiam commendat, quid dicemus?*

Exeg. Commendatur Justitia Dei, nostrâ injustitiâ, quadrupliciter:

1. Quum peccata justo judicio punit Deus.

hyp. Ille justus est, qui suum cuique tribuit:

Ille justus judex, qui non solum virtutem compensat, sed etiam vitia ac peccata punit ac vindicat.

thes. Idcirco etiam se justum judicem Deus declarat,

quum peccata hominum punit ac vindicat:

Atque ita peccata sunt occasiones, ex quibus Deus justus declaratur. Hinc illa dicta:

test. Ezech. 22. 14. 15. 16. *Ego Jehova dixi, & faciam.*

Differgam enim te in Gentes, & spargam te in regiones, faciamque ut absumatur impuritas tua ex te: & profana effecta ante oculos gentium, experieris, me esse Jehovam: (quia scilicet ullo pacto non absolvit fontem, Exod. 34. 7. nec peccata relinquet impunita.)

Esa. 59. 17. 18. 19. Induit justitiam, tanquam lorica, & galeam salutis capiti suo: induit, inquam, vestium ultionis indumentum, & amicitia se zelo, quasi pallio. Planè secundum facta, planè secundum ea repondet, excandescantiam hostibus suis, retributionem inimicis suis, insulis ipsis retributionem repondet. Ut reveantur inde ab occasu nomen Jehovæ, & inde ab ortu solis gloriam ejus; justitiam scilicet ipsius, in vindicandis peccatis.

exēp. Exemplum capiamus in Sodomitis, & Gomorrhæis.

Hi peccatis & sceleribus suis Deum irritaverant:

Nihilominus peccata eorum servierunt eò,

ut in toto mundo justitia Dei celebretur;

qui turpitudinem eorum sulphure & igne punivit,

totamque regionem funditus delevit: *Gen. 19. 24. 25.*

Exemplo etiam sit primus mundus, cujus peccata Deo

dederunt occasionem delendi omnem carnem,

excepto Noâ, & qui cum eo in Arca: *Gen. 7. &c.*

Exemplo sint obstinati Judæi, & Hierosolyma peccatrix;

ob peccata justè à Deo punita, ac everfa:

infinitique alii, de quibus historia sacra & profana.

2) Quum peccata nobis ex mera gratia remittit Deus:

thes. Atque ita à peccatis nostris occasionem sumit,
| declarandi suam gratiam & misericordiam.

test. De hac Misericordia Dei testatur,

David, Psal. 130. 3. 4. *Si peccata observaveris Jah,
Domine, quis possit consistere? Nam apud te est
Condonatio, ut reverenter colaris.*

Moses, vel Deus ipse, per & ad Moſen, Exod 34. 6. 7.
*Jehova, Jehova, Deus misericors & graciosus, longanimis
& multus benignitate ac fide: Custodiens benignitatem mil-
libus, condonans iniquitatem, & defectionem, & pecca-
tum, &c. Sic Num. 14. 18. Sæpius repetitum in Psalmis.*

Paulus, Rom. 5. 20. *Ubi amplificatum est peccatum, ibi super-
abundavit gratia: quò majus peccatum, eò major gratia.*

exēp. Exemplum eximium præstant Ninevitæ;

Illi peccatis suis Dei gloriam proſciderant;

Nihilominus etiam eò serviunt, quòd toti mundo innotuit,
quàm mitem se Deus præstet peccatoribus, sese coram ipſo
humiliantibus, ac pœnitentibus: *Jon. 3. conf. c. 4. 2.*

3) Quum Deus, occasione peccati, à se permissi & gubernati,

thes. Suas prophetias & promissiones implet.

exēp. Josepho Deus promiserat, in somnio, se fore principem,
cui subjicerentur parentes, fratresque reliqui, *Gen. 37.*

Hanc promissionem Deus in effectum perduxit, per scelus fratrum,
ipsum in Ægyptum nefariè vendentium, *Ibid.*

Non, quòd Deus in hoc scelere beneplacitum haberet;

Sed, quòd cogitaret illud in bonum convertere:

Prout Josephus ipse fatetur, dicens fratribus suis,

*Gen. 45. 5. Ne vos dolore crucietis, neque displiceat vobis,
quòd vendidistis me huc: nam victus causâ misit me Deus
ante vos. Ibid. v. 8. Nequaquam vos estis, qui misistis me huc;
sed Deus ipse. Sic quoque postea,*

*en. 50. 20. Vos quidem cogitaveratis contra me malum, sed
Deus cogitavit illud in bonum convertere: ut faceret sicut
est die hoc, conservando in vita populum multum.*

prol. Inquiat aliquis; An non aliis mediis potuisset Deus uti?

Potuisset: sed ita placuit Deo, qui etiam insciis nobis, &
invitis, peccatum potest dirigere in bonum finem.

4) Quum

4. Quum piis benefacit, eosve castigat, per peccata impiorum.

thes. Sic enim peccata impiorum nobis serviunt, bono nostro,
& in salutem nostram: teste Apostolo,

test. Rom. 8. 28. *Novimus iis, qui diligunt Deum, omnia simul ad-
jumento esse ad bonum: providente scil. Deo.*

Confer, 1. Cor. 11. 32. Heb. 12. 11. &c.

exēp. Judas prodebat Christum, Judæi accusabant, condemnabant,
Pilatus crucifigebat. Id omne Deus permisit, & direxit,

In salutem generis humani: ut Apostoli ajunt,

Act. 4. 27. 28. *Congregati sunt in hac civitate, verè adversus
sanctum Filium tuum, Jesum, quem misisti, Herodes &
Pontius Pilatus, cum Gentibus & populis Israël: Ut fa-
cerent, quæcunque manus tua, & consilium tuum, prius
prædestinavit, ut fierent.*

Sic David castigatus fuit & humiliatus, per maledicentiam & in-
juriam Simei: ut ipse fatetur, 2. Sam. 16. v. 10. 11. dicens;

Sinite eum, ut maledicat, quia edixit ei Jehova: &c.

appr. Sic etiam hostibus nostris multa permittit Deus, in nos;
ut ita castigemur, humiliemur, & nos convertamus.

Psal. 119. 71. *Bono mihi fuit, me affligi, inquit David,
ut discerem statuta tua.*

2) *Doct.* Quis non miraretur immensam hanc Dei Sapientiam?

thes. In peccatis nostris hoc non est situm,

quia apta nata sunt, ad gloriam Dei lædendam:

Sed per accidens hoc fit, ut peccata etiam ipsa serviant gloriæ Dei.

Accidens hoc est, Dei Sapientia, Dei Misericordia:

Absque quo essent, peccata nostra incurrerent in Dei gloriam.

Nunc verò eadem gloriæ Dei inservire oportet.

test. Quis non exclamaret, cum Apostolo Paulo, Rom. 11. v. 33. &c.

O profundas divitias, tum sapientiæ, tum cognitionis Dei!

Quam inscrutabilia ejus judicia, & viæ ejus impervestigabiles?

Quis enī cognovit mentem Domini, aut quis ei fuit à consilio? &c.

Verè Deus dicit, Esa. 55. 8. *Cogitationes meæ non sunt, ut cogita-
tiones vestræ; neque ut viæ vestræ, viæ meæ.*

Nos enim peccando, cogitamus malum; sed Deus illud cogitat
in bonum convertere: ut suprâ audivimus, ex Gen. 50. 20.

trans. Sed pergamus ad Secundum, ut discamus, hæc omnia fieri à Deo,
illæsa ipsius Justitiâ.

P A R S II.

Secundò videndum, *Iustitiam Dei hac doctrinâ non extenuari.*

Prop. Paulus sciebat, doctrinam hanc à ratione humana iudicatum iri, quasi Deus esset injustus, qui puniret peccata hominum, per quæ tamen ipse glorificaretur. Quapropter,

1. *Interrogat Paulus:*

2. *Respondet ad idipsum.*

Tract. Utrumque in timore Domini considerabimus.

1. *Interrogat Paulus;*

Text. *Quid dicemus? Num injustus Deus, qui inferat pœnam?*
(humano more loquor.)

Exeg. Quasi dicat; Non sic loquor à meipso; sed humano more loquor, (*κατὰ ἄνθρωπον, secundum hominem.*) Scio enim, multos his impiis cogitationibus se maceratuos; Si Deus puniat peccata, quibus tamen illustratur gloria sua, Ideò cum non pœnam, sed præmium, iis debere.

App. Hoc observandum est, propter adversarios nostros:

Qui ex doctrina Electionis gratuita cavillantur, Deum esse prosopelepten:

Deum esse immisericordem, crudelem; qui majorem partem, pro beneplacito, præterierit, paucos recipiat:

Deum esse authorem peccati:

Et nescio, quid non absurdorum hinc nectant.

Verè humano more: Etenim,

Non in aliena & vera persona hæc loquuntur;

Sed in propria persona, falsò id nobis imputantes, & per consequentias falsas id nobis affingentes.

2. *Respondet Paulus;*

Text. *Absit: Alioquin, quomodo iudex erit Deus mundi?*

Exeg. Non multis verbis, sed paucis, & simpliciter rejicit

gen. Impias has cogitationes, dicens; *Absit:*

Alioquin, quomodo iudex erit Deus mundi?

Quasi dicat; Deus est justus, & nullum ea de re dubiũ est, quod dubitare de Deo nefas esset.

Hac responsione contentus, non operose refutat consequentias, quas nectit ratio humana.

n) *spec.*

*) *Spec.* Potuisset quidem Paulus respondere,

Quòd per peccatum gloria Dei illustretur, fieri id,

Non per se, ex natura peccati: nam,

Per se Deus peccatis ignominia afficitur;

Ut supra, parte I. est demonstratum.

Sed per accidens, propter gubernationem Dei sapientem: quia Deus

In peccatis puniendis Justitiam suam declarat;

In illis remittendis Misericordiam suam commendat;

In illis dirigendis ad bonum finem Sapientiam ostendit,

nempe ad gloriam suam, nostrique salutem: ut & sup. parte I.

Verùm simpliciter averfatur impias has cogitationes; & dicit,

text. Absit: alioquin, quomodo Judex erit Deus mundi?

decl. Apostolus Paulus respicit ad id, quod dicit

Abrahamus: intercedens pro pauculis fortè piis, inter

Sodomitas, &c. timens, ne cum impiis illi perimantur,

Gen. 18. 25. *Absit tibi, ut facias tale quippiam, morte*

tradendo justum cum injusto; ut ita sit justo, sicut injusto:

Absit tibi, inquam; An Judex totius terræ non exer-
ceret jus?

David: cum quo consentit, quod dicit David,

Pfal. 94. v. 2. *Attollere, ó Judex terra.* Itèm,

vers. 10. *An Castigator, seu Judex, gentium,*

an non reprehendat, & justè judicet?

Pfal. 96. 13. *Venit Deus, ad judicandum terram:*

judicabit orbem habitabilem, per justitiam;

& populos, per veritatem suam.

Pfal. 58. 12. *Utique Deus est Judex in terra.*

concl. Sensus ergò Apostoli hic est: An esset Deus injustus?

1. Est ille utique Judex totius mundi:

Hunc gubernavit ipse, ab initio mundi;

Hunc porrò gubernabit, in justitia;

Post hunc, in altera vita, retribuet unicuique,

secundùm opera sua, Rom. 2. 6.

2. Imò, si peccata ad suam gloriam dirigit Deus,

& ad salutem electorum, id imputandum est,

Non suæ injustitiæ, quasi ipse injustus esset;

Sed suæ sapientiæ & gratiæ, qui ex tenebris lucem,

ex malis novit bona elicere.

9) *Appl.*

9) Appl. (in triplici Doct. & Usu, mixtim.)

I. Hinc videre licet,

thes. Esse Providentiam Dei: finè qua nihil fit in mundo;
| quæque Bona operatur, Mala permittit, & dirigit ad bonum finem.

exēp. Fratres Josephi, propriis affectibus ad scelus movebantur:

Dicit tamen Josephus, Deum non fuisse otiosum, in hoc negotio;
Deum ad bonum finem direxisse hoc scelus.

Simei Davidi insultabat, calumniis, lapidibus:

Edixerat Deus, *Magistratui ne maledicito*, Exod. 22. 28.

Dicit tamen David, Deum edixisse ei, ut malediceret Davidi:
quia edixerat, non peccatum, sed finem ejus, castigationem.

Abolon vitiabat concubinas patris sui Davidis,

ut fœtentem redderet patrem suum, coram Israël, 2. Sam. 16. 22.

& tamen Deus, se hoc ipsum facturum, prædixerat, *cap. 12. 12.*

Judas Iscariotes, à Christo reprehensus, vindictam spirabat;

Judæi, ab eodem reprehensi, Christum persequuntur:

Sed Apostoli dicunt, Fecerunt, quæcunque manus tua, & consiliū
tuam prius definierant futura, *Act. 4. 27. 28.*

II. Annon hinc sequitur, Deum esse authorem peccati?

ant. Quum nos hæc ex S. Scriptura docemus, calumniantur adversarij,

Facere nos Deum authorem peccati.

Scripturam, expressè id dicentem, corripere non audent:

Nos, qui commodā interpretationē adducimus, calumniantur.

thes. Sed nequaquā ex hac doctrina sequitur, Deū esse authorem peccati:

Nam, in unoquoque peccato quatuor sunt attendenda.

1. Actio ipsa. Hæc est à Deo, & bona: e. g.

Si quis manum levet, ad homicidium;

Quòd se movet homo, id à Deo est: nam,

In ipso sumus, vivimus, & movemur, *Act. 17. 28.*

2. Malitia ipsa, adhærens actioni; quòd scilicet homo membra sua
moveret, ad homicidium, ad malum patrandum.

Hæc malitia est ab homine: nam,

Omne figmentum cordis hominis malum, *Gen. 6. 5. c. 8. 21.*

Permittitur tamen à Deo; nam ipso nolente nihil fit:

Permisi eos abire, in pravis consiliis suis, *Psal. 81. 13.*

Sivit Gentes propriis viis suis incedere, *Act. 14. 16.*

Permissio tamē hæc non est otiosa, ut illa Gallionis, *Act. 15. 17.*

sed actiosa, cū Determinatione & Directione: de qua seq.

3. Determinatio

3. Determinatio malitiæ; ad certum objectum, & terminum.
 Hæc est à Deo: nam ille modum & terminum ponit peccatis,
 Quorsum, & Quousque, procedere debeant peccatores.
 Prout de Sennacheribo dicitur, *Esa. 37. 29. Penam hamummeum,
 in ore tuo, & frenum meum inter labia tua, & reducam te viâ
 illâ, per quam venisti.*
 Sic sortem Deus inclinavit versus Hierosolymam, dubio rege
 Babylonix, quorsum iret, *Ezech. 21. 26.*
4. Directio ad bonum finem. Hæc est à Deo: nam,
 Hominibus cogitantibus mala, Deus cogitat bonum, *Gen. 50. 20.*
 Aliquando permittit petulantiam hostium Deus,
 ut ita castiget suos: veluti Davidem, per Absolonem, Simei.
 Aliquando peccata permittit, ut bonum inde proficiat:
 ut in fratribus Josephi factum est.

1) *conf.* Ex consideratione hac liquet, quomodo sit intelligendum, quod
 David dicit, Deum edixisse Simei, ut malediceret Davidi:
 Deus dicit, Tu fecisti clam, ego faciam palam:
 Apostoli dicunt, Fecerunt quæ prius definieras futura.
 Scilicet, edixit Deus, non peccatum, sed finem peccati bonum. Nimirum,
 Duo quum faciunt idem, non est idem:
 Idem effectus, pendens à causis bonis & malis,
 respectu causarum bonarum bonus est,
 respectu causarum malarum malus est:
 Bonus ille effectus, per se est causæ bonæ, per accidens malæ;
 Malus ille effectus, per se est causæ malæ, per accidens bonæ.
Vide hæc fusiùs declarata, in Mellificio nostro Catech. pag. 173. 176.

2) *exëp.* Exempli gratiâ:

Simei peccavit, convitiando; Absolon, vitiando concubinas patris:
 Deus verò utebatur utroque illo peccato, ex justo suo iudicio:
 ut ita humiliaretur & castigaretur David, ob suum peccatum.
 Judas & Judæi peccabant, ille prodendo, hi accusando Christum:
 Deus verò utebatur hoc peccato, ad implendas prophetias,
 & ad promovendam salutem generis humani.
 Eadem ratio pleudoprophetarum, de quibus dicitur,
Deut. 13. 3. Tentat Jehova Deus vester vos, &c. Quo pertinet
 Exemplum Michæ, & falsorum prophetarum, *1. Reg. 22. v. 19-23.*
 Eadem ratio crudelitatis Assyriorum, qui conferuntur
Virga & Baculo, & Securi, in manu Dei, Esa. 10. v. 5. 15.

Bb

III. Porro

III. Porro putet aliquis, hanc doctrinam facere securos & profanos.

I. Obj. Si peccata serviunt ad hoc,

hyp. Ut justitia Dei declaretur, in illis puniendis;
ut misericordia ejus commendetur, in illis remittendis;
ut sapientia ejus patefiat, in illis ad bonum finem dirigendis;

thes. Utique Deus vix poterit punire peccata,
sed præmium iis potiùs, quàm pœnam, debet.

resp. Dicitur Psal. 5. v. 5. *Non est Deus, qui delectetur improbitate;
non est commoraturum apud ipsum malum.* Verissimè,

Idcirco non dimittet peccata impunita Deus. Nam,
Quòd ea ad bonum finem dirigit, id sapientiæ ejus imputandum:
An id impediret, quòd minùs justitiam exerceret,
in justè puniendis peccatis? Minimè verò.

exëp. Fratrum Josephi peccatum, Dei directione, tendebat in bonum;
Sed conscientia propria eos condemnabat,
Arguebatque occultè, eos justè puniri, Gen. 42. 21.
*Rei sumus de fratre nostro, qui videbamus angustiam animæ
ejus, quum deprecaretur nos, nec tamen auscultavimus: id-
circo angustia hæc obvenit nobis.*

Simei peccatum bono cedebat Davidi;
ipse tamen tandem propterea fuit punitus, 1. Reg. 2. 9. & c.

Absolonis peccatum bono cessit, & vindictæ justæ;
interim ipse graviter punitus interiit, 2. Sam. 18. 9. & c.

Judæ proditoris peccatum in bonum cessit;
Ipse tamen graviter fuit punitus, Matt. 27. 5. Act. 1. 28. nam,
Matt. 26. 24. *Filius quidem hominis abit, sicut scriptum est de eo:
Væ autem homini illi, per quem Filius hominis proditur.
Bonum erat homini illi, si natus non fuisset.*

Judæorum peccatum in Christum, fuit salus nostra;
At quanta desolatio illis propterea obtigit? Matt. 24. 2.

usus. Nemo ergo putabit, se impunem fore, si peccet;
siquidem peccata sua scit consequutura bonum finem.
An ideò tu impunitus maneres, si præfractè pecces? Nequaquam.
Deus quidè dirigit peccata tua, in bonū finem, ut sapiens Deus;
Idem etiam peccata tua puniet, ut justus Deus.

Vel, an hoc justitiæ Dei præjudicaret, quia sapiens est,
& potest tua peccata dirigere in bonum finem?
Minimè verò: ut sapiens est Deus, ità & justus est.

a) 2. Obj.

a) 2. *Obj.* Multi etiam ex hac doctrina colligerent,
thes. Si ita est comparatum, ut Deus occasionem sumat à peccatis,
 declarandi suam justitiam, misericordiam, sapientiam;
 Ergo facienda esse mala, ut eveniant bona.
resp. Sed & hi se deceptos ac falsos experientur,
 ut in calumnia Tertia videbimus;
 quam, Deo volente, in sequenti concione explicabimus.

C O N C L U S I O.

R. Audivistis in hac concione, Auditores,
 1. Peccatis nostris propriè & per se lædi gloriam Dei;
 Per accidens tamen fieri, ut gloria Dei illis illustretur: nimirum,
 Gloria Justitiæ, si ea puniat; Misericordiæ, si ea remittat;
 Veritatis, si per ea prophetias & promissiones impleat;
 Sapientiæ, si eadem determinet, & in bonum dirigat.
 2. Hac doctrinâ non extenuari Justitiam Dei; sed ipsum esse
 Justum, si peccata puniat, Sapientem, si in bonum dirigat, &c.
 Nec sequi hinc, Deum esse authorem peccati;
 neque sequi, illum injustè punire peccata.

C. Petrus, arrogantior, jactabat suam constantiam,
 Se non abnegaturum Christum, etsi reliqui id facerent;
 imò, etiamsi sibi cum Christo moriendum esset, *Matt. 26. 33. 35.*
 Deus igitur illum sibi permittebat, ut incideret in tristem abnegationē:
 Humilior factus, amarè flebat, *Matt. 26. 75.*
 Videte, ita Deus solet omnia in bonum finem dirigere:
 Sed an hinc sequeretur, Deum delectari peccatis? Absit.
 An hinc sequeretur, Peccatores esse excusandos? Absit.
 Sed Deus, ut odit, ita & puniet peccata:
 Si non punit, peccata nostra in Christum conjicit,
 nobis verò ea gratiosè remittit; ita tamen,
 ut potius in proprio Filio ea puniat, quam impunita sinat.

Quapropter Deus nos clementer à peccatis conservet:
 Si tamen peccemus, ea in bonum finem convertat:
 Quin eadem nobis remittat propter passionem Christi,
 quem proposuit placamentum, per fidem, in sanguine ipsius;
 qui factus est pro nobis peccatum, ut nos fieremus justitia Dei, in eo.

V. Illi sit laus, honor, & gloria, in sempiterna secula, Amen.

C O N C I O XVIII.

De Bonis ex Malo ortis, & de
Non faciendo malo, ad bonum.

Textus, Rom. III. v. 7. 8.

Etenim, si veritas Dei, per meum mendacium, exundavit in gloriam ipsius, cur amplius ego ut peccator condemnor? Ac non, (sicut de nobis malè loquuntur, & sicut quidam ajunt nos dicere,) faciamus mala, ut eveniant bona? quorum damnatio est justa.

E X O R D I U M.

Faciunt rectè Doctores, qui calumniam à sana doctrina depellunt: Fecit id quoque Paulus, initio hujus capituli tres calumnias depellens.

Prima calumnia erat, de Prærogativa Judæorum, quasi illam negaret Apostolus: quod falsum esse ostendit.

Hanc Calumniam tractavimus, concione superiori XVI.

Magnam esse Prærogativam, sed quæ non juvet peccantes.

Secunda calumnia erat, Paulum facere Deum injustum, qui puniat peccata, ex quibus tamen ipsius gloria manifestetur.

Hanc Calumniam tractavimus, concione præcedenti XVII.

Si Dei justitia peccatis illustretur, fieri id, non per se, sed per accid.

Tertia calumnia continetur, in textu modò vobis prælecto.

Sensus hujus Calumniæ est, Paulum aperire fenestram sceleribus, quia doceat, homines esse mendaces, ut Deus sit verax:

hinc sequi, Facienda esse mala, ut eveniant bona.

Respondet Paulus, Blasphemiam hanc esse, additque, Judicium facientium mala, ut eveniant bona, justum esse.

Hanc tertiam Calumniam nunc aggredimur, tractaturi ex ea

Duas quæstiones, jucundas pariter & utilissimas:

I. An fiant mala quædam, ex quibus bona eveniant?

II. An liceat facere mala, ut eveniant bona?

Deus adsit nobis suâ gratiâ, largiaturque nobis,

Ut omnes actiones nostras ad Legem Dei instituamus; & ut

Bona semper, non per mala, sed per bona media, efficiamus: Amen.

P A R S I.

P A R S I.

Primam quæstionem quod attinet,

Prop. Primo adducemus quædam exempla malorum, & peccatorum, ex quibus evenerunt bona:

Deinde hujus rei indagabimus, unde venerit, ut ex malis bona evenerint; Dei scilicet sapienti gubernatione:

Denique docebimus, Deum mala sic gubernando, & in bonum dirigendo, manere extra omnem culpam & injustitiam.

Tract. Videamus ergo ex ordine hæc tria.

I. Fieri sæpè mala, ex quibus eveniant bona:

Text. Significare id vult Paulus his verbis; Si veritas Dei, per mendacium meum, exundavit in ipsius gloriam.

Exeg. Hæc quidem erat calumnia;

thes. Quasi Paulus docuisset, Deum, mendaciis hominum, non lædi, sed potius honorari, ob bonum inde ortum.

Id quod est factum: Nam,

Principaliter, & per se, quantum in hominibus situm est, Deus mendaciis, aliisque peccatis quibuscunque læditur.

Quomodo autem Deus, pro singulari sapientia sua, mendacia, aliaque peccata, eò dirigere possit, ut, contra voluntatem ac intentionem hominum, iisdem honoretur, supra demonstratum est.

test. Audivistis enim nuper id, quod dicit Josephus fratribus,

Gen. 50. 20. Vos quidem cogitaveratis contra me malum, sed Deus cogitavit illud in bonum convertere.

Ità ut ex malis omnino bona evenire, sæpè contingat.

exëp. Habemus hujus rei complura exempla, in sacris literis:

Noachidæ peccabant, ædificaturi turrim ad cælum usque, ut sibi nomen cõpararent, Deoq; quasi insultarent, Gen. 11.

Hoc peccatum serviebat in hunc finē, ut confusis linguis, dispergerentur in totū terrarū orbē, ab iis inhabitandū.

Rebecca, cum filio suo Jacobo, peccabant, quòd Isaacum grandævum deciperent, fingentes Esavi habitum, Gen. 29.

Hinc bonum illud oriebatur, ut juxta Dei voluntatem, benedictio Jacobo contingeret, præ fratre; juxta illud Mal. 1. v. 2. 3. Jacobū dilexi, Esavū autem odio habui.

- Fratres Josephi peccabant, quòd fratrem suum Josephum,
odio habebant, insidias ei struebant, vendebant in Ægyptum.
Hinc bonum illud oriebatur, ut Josephus eveheretur,
indéque totam familiam patris sui sustentabat: *Gen. 37. &c.*
- Pharao peccabat, quòd populum Israëliticum affligebat,
eumque dimittere ad jussu Dei negabat: *Exod. 1. &c.*
Hinc veniebat, ut Deus potentiam suam mundo declararet.
Idem peccabat, obstinatè persequens Israëlitas dimissos, *Exod. 14. &c.*
Indè autem accidebat, ut propter summam suam tyrannidem,
tandem submergeretur, cum copiis suis, mari rubro: *Exod. 15.*
- Simson peccabat, alienigenarum amoribus implicitus, *Jud. 14. &c.*
Sed id eò vergebat, ut hac occasione de Philistæis, hostibus populi Dei
ultionem sumeret, eosque pessundaret, ad mortem usque suam.
- Abolon peccabat, insurgendo in patrem, vitiando ejus concubinas:
Sed id bono cedebat, ut David hoc pacto castigaretur, propter adulteri-
um ab eo commissum, occisumque Uriam: *2. Sam. 12. &c.*
- Simei peccabat, maledicens regi suo Davidi:
Id etiam bono cedebat, quia hoc pacto humiliabatur David,
qui enormiter in Deum peccaverat: *2. Sam. 16.*
- Judas Iscariotes peccabat, nefariè prodendo Christum: *Matt. 26. &c.*
Sed id quoque bono cessit, in salutem generis humani;
Ut Christus hoc pacto fieret hostia, pro peccatis nostris.
- Judæi, Pilatus, Herodes, peccabant in Deum & Christum ejus:
eum capiendo, verberando, accusando, crucifigendo:
Sed & id bono cessit similiter, in gloriam Dei scilicet,
ac salutem generis humani: *Act. 4. 27. 28.*
- Judæorum pertinaciæ ac malitiæ adscribi debet, quòd
Sepulcrum Christi in tertium diem custodiebant, muniabant:
Sed & hoc bono cessit, ut tantò clarior & illustrior fieret
Resurrectio Christi, tertio die facta: *Matt. 27. & 28.*
- Diaboli malitia singulariter patuit, in accusando & persequendo Jobo,
familiam ejus subvertendo, omniaque ejus bona dispoliando:
Sed & hoc peccatum accidit singulari bono, ut hoc pacto
patientia Jobi toti mundo innotesceret,
potentiaque ac bonitas Dei inclaresceret: *Job. 1. & 2. &c.*
- Plura talia exempla adduci possent, ex sacra historia,
ut & illud, *1. Reg. 13. 2. Reg. 23.* itèr fallorum prophetarum, *1. Reg. 22.*
itèr Assyriorum, *Esa. 10. &c.* Sed sufficiant hæc pauca.

II. *Causa hujus bonitatis, ex malis orta.*

Unde autem venit, ut ex malis quandòque bonum oriatur?

Arg. Non per se. Certè, non oritur hoc ex natura Mali: nam,

rat. Ut Malum oritur ex malo fundamento, corde maligno scil.

Ità & ex Malo, per se nil nisi malum oritur.

exēp. Fratres Josephi vendebant eum, non ut fieret Princeps,
& postea ipsos juvaret in annonæ caritate:

Sed potius, ne id fieret, ne ipse imperaret eis;

idque ex corde malo, affligentes tum ipsum, tum patrem.

Pharao detinebat populum, non bono animo, ut videret mira:

Sed ex tyrannide, ut eum vexaret, ac servitute conficeret;

Populus verò Dei hocipso miserrimè affligebatur.

Abolon vitabat Concubinas patris sui, non bono animo,

aut ut castigaretur David hoc modo, ob suum peccatum:

Sed ut foetere illum faceret coram toto Israële.

Simei maledicebat Davidi, non bono animo; sed maligno,

ut virus invidiæ propter Saulem in ipsum evomeret:

nequaquam verò, ut humiliatus David, agnosceret jus Dei.

Judas prodidit Christum, non ut consuleret saluti hominum:

Sed ut se ulcisceretur, ob reprehensionem à Christo factam.

Judæi, Pharisæi, Scribæ condemnabant Christum,

Non hoc fine, ut ità consuleretur saluti generis humani:

Caiphas quidem dicebat, *Melius esse, unum pro multis mori,*
quàm perire totam gentem, Joh. II. 50.

Sed hoc *in scius prophetavit*; ut ibidem vers. 51. 52.

Hæc verò erat vera ejus opinio, timebat, ne Romani,

excitati seditione propter eum, abolerent totam gentem:

quod tamen deinde justo Dei judicio factum est.

Iidem sepulcrum Christi obsignabant, muniebant vigilibus,

Non hoc fine, ut tantò illustrior fieret Resurrectio Christi:

Sed ex mera malitia, sperantes contrarium futurum;

prout & contra veritatem postea sparserunt.

sim. Legimus de Pheræo Jafone, cum ictu hostis servatum,

aperto ulcere, quod insanabile medicis videbatur.

An potuit gloriari hostis ille Jafonis, se medicum fuisse ei?

Non: quia hostili animo eum invasit.

Sic Judæi non possunt gloriari, se causam salutis fuisse:

hostiliter enim omnia peragebant, & maligno animo.

concl.

a) *concl.* Si igitur ex Malo quandoque bonum oritur, fit id *Non per se*: Mala enim ex malo animo procedunt, & in malum finem; Semper eò à malis directum, ut damnum inferatur:

b) *dir.* Sed per accidens. Scilicet, à sapientissima gubernatione Dei;

gen. Qui etiam mala ipsa in bonum potest dirigere:

Prout ejus directione, *Omnia in bonum cooperantur*,
iis videlicet, qui diligunt Deum, teste Paulo, Rom. 8. 28.

spec. Sicuti in præced. concione dictum est, Ex peccatis bona oriri,

1. Quum Deus peccata justo suo judicio punit ac vindicat,
thes. Atque ita occasione peccati suam Justitiam declarat.

exēp. Sodomitæ gravissimè peccabant: Nihilominus,
Flagitia eorum servierunt manifestandæ gloriæ Dei:
Ut nunc in toto mundo celebretur Justitia Dei,
turpitudine istâ igne & sulphure è cælo punitâ.

2. Quum Deus peccata, ex gratia & misericordia sua, remittit,
thes. Atque ita occasionem, declarandæ suæ Gratiæ, indè sumit.

test. Rom. 5. 20. *Ubi amplificatum est peccatum,*
| *ibi superabundavit gratia*: q. d. tantò illustrior facta.

exēp. Ninevitæ peccârunt: Nihilominus peccatum eorum eò
servivit, ut nunc in toto mundo celebretur Gratia Dei,
etiam conniventis ad humiliationem impiorum.

3. Quum Deus, per peccata impiorum hominum,
thes. Vel promissiones suas implet: ut implevit, per peccatum

Fratrum Josephi, principatum huic à se promissum;
Judæ, liberationem Electorùm, per Sang. Christi.

Vel benefacit piis: ut per manum Philistæorum
Saulen occidit, ejusque filios; qui è medio sublatis,
ut David ad regnum Israël promoteretur.

Vel castigat pios: veluti castigavit Davidem,
per incestum & perduellionem filij sui Absolonis;
per maledicentiam Simei.

conf. Atque ita Deus sæpè peccata peccatis punit.

Absolon dehonestabat patrem; hoc fuit Peccatum.

Deus hoc ipsum permittebat, atque dirigebat
in castigationem Davidis; hæc fuit Pœna peccati.

Sic unum peccatum per aliud fuit punitum,
justissimè tamen, & sinè ulla culpa aut peccato;
ut nunc porrò videbimus.

III. Deum

III. Deum sic agendo manere justum ac purum.

rep. Ut conc. præc. dictum, In unoquoque peccato quatuor consideranda:

1. Actio ipsa: quæ est bona, & à Deo; juxta

Act. 17. 28. *In ipso sumus, vivimus, & movemur.*

2. Actiõni adhærens malitia: quæ est ab homine corrupto; juxta

Gen. 6. 5. cap. 8. 21. *Omne figmentum hominis, ac cogitationes cordis ejus, tantummodò malum est, omni tempore; à pueritia ipsius.*

3. Determinatio malitiæ: quæ est à Deo; eaque, vel

Ad certum objectum, propter judicia sua ibi exercenda: ut

Sors regis Babylonix, directa à Deo, non in Ammonitas, sed in Hierosolymam, ad eam castigandam, Ezech. 21. 26.

Ad certum terminum, non ultra voluntatem Dei: ut Deus

Sennacheribo hamum posuit in naso suo & frænum ori ejus, eumque reduxit viâ, quâ venerat, *Esa. 37. 29.*

4. Directio in bonum finem: quæ etiam est, & cum primis, à Deo; ut

Fratres Josephi cogitabant malum, de Josepho: sed

Deus cogitavit illud in bonum convertere, *Gen. 50. 20.*

add. Accidit verò Malitiæ hominis, Permissio Dei: eaque,

Non nuda & otiosa, (qualis illa Gallionis, Act. 18. 17.)

sed actuosa, cui accedit Determinatio, & Directio.

De hac, *Psal. 81. 13. Dimisi eos ex sententia animi sui, &c.*

Act. 14. 16. *Sivit Gentes suis ipsarum viis incedere.*

Huic cognata est Traditio, quâ tradit Deus propriis affectibus, & cupiditatibus cordium ipsorum; de qua, *Rom. 1. v. 24. 26. 28.*

decl. Verùm enim verò, non permetteret Deus peccata,

nisi eadem dirigere posset in bonum. Prout ea permittit,

Vel ut impij mensuram peccatorum impleant,

ut postea graviùs puniantur, *Gen. 15. v. 16.*

Vel ut pios per petulantiam impiorum castiget, convertat;

vel ut per ipsos hostes piis aliis modis beneficiat: *ut sup.*

Omnibus illis modis manet Deus justus, ac purus à peccato.

Non enim facit Deus peccata, sed permittit; sine peccato: nam,

Permittit, quum impedire non obligetur; ea judicaturus:

Permittit peccata, ut ea in bonum finem dirigat:

Tradit peccatis, ut justus judex, peccata peccatis puniendo.

Nec peccat, quia naturalem motum ciet, ac conservat:

nec qui determinat, peccat; sed peccatum adstringit:

nec qui dirigit in bonum finem, peccat; sed potius bonus est.

P A R S II.

Secundam quæstionem quod attinet,

Præp. Nunquam sana doctrina est extra sortem cavillationis:

Hic mos hostium veritatis, ut calumnientur sanè dicta;
eaque in malum sensum detorqueant, consequentias inde nectant.

Quum docemus, Fide solâ nos justificari, non operibus Legis,
cavillantur, nos prohibere bona opera, zelum pietatis extinguere.

Quum docemus, Deum etiam regere mala, & in bonum vertere,
calumniantur, facere nos Deum authorem peccati.

Quum docemus, Deum quosdam elegisse, reliquos reprobasse,
clamant, facere nos Deum profopolepten, crudelem;
& ad desperationem nos homines adigere.

In summa, idem nobis accidit, quod Paulo.

Paulus docebat, Deum etiam mala itâ dirigere, pro sapientiâ,
ut inde gloria sua illustretur; ut suprâ audivimus.

Hinc statim concludebant homines maligni,

1. Deum injustè facere, si peccatores condemnet, & puniat;
deberi eis potiùs præmium, si peccatis gloria ejus illustretur.

text. Ut hîc Paulus in sua persona proponit, dicens;

*Si veritas Dei per meum mendacium exundavit in gloriâ
ipsius, cur amplius ego ut peccator condemnor?*

decl. Ad quam objectionem responsum est, in præcedd.

Peccatores nunquam cogitare bonum, sed mala facere:

Unde & Deus eos non dimittit impunitos; ut visum,
in peccato Simeï, Absolonis, Judæ, aliorum.

Bono quidem cessit ipsorum peccatû, ipsi tamen puniti.

Adeoque peccatores id minimè excusat,

si peccata ipsorum in bonum finem exeant:

id enim fit, non à suis peccatis, sed à sapientiâ Dei.

2. Si verum id est, Deum posse dirigere peccata in bonum,

text. Cur non faciamus mala, ut eveniant bona? Addit,

Sicut blasphemamur, h. e. traducimur à malignis:

Et sicut quidam ajunt nos dicere, quasi itâ sentiamus.

decl. Hinc igitur oritur quæstio illa,

An liceat facere mala, ut eveniant bona?

Quam hoc loco paulò pleniùs tractabimus.

γ) Prop.

2) Prop. Si ergo quæritur, *An sint facienda mala, ut eveniant bona?*

thes. Simpliciter respondendum est, Non esse facienda mala unquam:

Si verò bona velimus facere, faciamus ea secundum Legem Dei.
test. Ità enim Deus passim in sacris literis præcipit:

Esa. 1. v. 16. 17. *Desinite malè facere, discite bene facere.*

Psal. 34. v. 15. *Recede à malo, & fac bonum.*

Amos. 5. v. 15. *Odio habete malum, & amate bonum.*

decl. Quia autem duplex est Malum, Culpæ, & Pœnæ;

Verum hoc tantum est de Malo culpæ, seu Peccato:

Non enim unquam est peccandum, ut bonum indè veniat.

At de Malo pœnæ non perinde verum est: Nam,

Ex duabus pœnis licet eligere minimam, 2. Sam. 24. 12.

Sed ex duobus peccatis non licet eligere, vel minimum.

Imò nullum omnino peccatum est faciendum;

Etsi hoc fortè prætextu, ut indè oriatur bonum quid.

obj. Contra hæc calumniatores ità objicere potuissent;

P. Quod vergit ad Dei gloriam, id licet facere:

A. Mala, seu Peccata, vergunt ad Dei gloriam:

C. Ergo mala licet facere; ut indè eo modo bonum eveniat.

Hæc Objectio, fere totidem verbis, est in textu.

resp. Potuisset illis Apostolus respondere, limitando;

P. Quod vergit ad Dei gloriam: ità ut per se ità sit affectum,
ut gloriam Dei illustret, & promoveat;

ac non potenter per alterius vim regitur, ut,

quum directè contra gloriam Dei pugnet,

tamen eidem gloriæ inservire oporteat.

A. Atqui Peccata ità non sunt affecta, per se,

ut per illa gloria Dei illustretur; sed contra eam sunt;

à Deo verò diriguntur, in suam gloriam.

C. Ergo non sunt facienda mala, seu Peccata; nedum

cò fine, ut eveniant bona, aliunde pendentia scil.

At Apostolus hæc, ut satis perspicua, intacta linoquit;

Respondet autem duo:

1. Blasphemiam esse, quâ Doctoribus verbi id imputatur;

text. Καθ' ἡμᾶς βλασφημῶμεθα, ad verbum, *Sicut blasphemamur:*

h. e. *Sicuti traducimur, ab hominibus malis;*

Vel, *Sicut de nobis male loquuntur, (ut Beza.)*

Ut additur, *Sicut quidam ajunt, nos dicere.*

1) *decl.* Et certè blasphemum est, sentire, nedum dicere,
Mala esse facienda, ut eveniant bona. Nam,

1. Cur Deus Legem tulisset, de fugiendo malo,
si liceret ullo modo facere mala?

2. Cur Deus punivisset illos, quorum peccata ipse
in bonum finem convertisset? Respondet deinde:

2) Horum condemnationem justam esse;

text. Quorum damnatio justa est: Eorum videlicet,

qui prætexunt facere mala, ut eveniant bona.

decl. Julianus Apostata diripiebat bona Christianorum;

Prætexens, se hoc facere, ut fierent ipsi beati:

quia Christus dicat, Matt. 5. 3. *Beati pauperes.*

Fingens, se quoque facturum mala, ut bonum eveniret:

Sed calumnia hæc erat, imò blasphemia;

Quam etiam paulò post luit, justo Dei iudicio,

in summa rerum fortuna, & spe, subito occisus.

3) *Appl.* (in Doct. & Usu.)

Doct. Hinc ergo constat, & probatur, aurea illa regula;

thes. Non esse facienda mala, ut eveniant bona.

decl. Etsi enim ex bonis quandoque mala oriuntur;

tamen bona non sunt negligenda, aut omittenda:

quia Deus ea expressè commendavit & præcepit.

Etsi etiam ex malis sæpissimè bona proficiuntur;

tamen mala nunquam sunt facienda, aut admittenda:

quia Deus ea severè prohibuit, graviterque punit.

An ideò bona omitteremus, quia inde sæpè mala oriuntur?

Minimè: Novit Deus bonos conservare, ac remunerari.

Sin secùs accidat, Deo id est committendum; qui,

quod non præstat in hac vita, præstabit in futura.

An ideò mala committeremus, quia inde sæpè bona?

Minimè: Sapientiæ hoc est divinæ, non malitiæ hominis.

Ille novit omnia dirigere, in suam gloriam, & nostram salutem:

Illi non deerunt unquam media, bonum promovendi.

Nos bona faciamus, & bene; cætera cura Dei est.

Ille sicut mala novit dirigere in bonum;

sic & ipsa bona clementer fortunat, & dirigit in bonum.

Nunquam illi benefaciendi tempus & ansa deerunt:

quæque non compenlat hîc, compensabit ibi.

3) *Usus.*

7) *Ufus. (refut. varius.)* Hinc quoque simul discere possumus;

I. Quid sit censendum de Mendaciis?

thes. Simpliciter ea vetita sunt: quod & in *textu* insinuat Paulus,
| Mendaciis deberi condemnationem; quocunque prætextu.

cogn. Quid igitur censendum est,

1. De Æquivocationibus?

thes. Quum fallaci verborum æquivocatione, eluduntur homines.

ant. Jesuitæ his gaudent, easque defendere conantur;
| præsertim, si gloria Dei, salusque proximi, indè pendeat.

Anabaptistæ etiam, aliique jucundi & jocabundi.

ref. At, si mendacium vetitum est, vetantur & Æquivocationes,
| in quarum dubietate latet mendacium.

Simplex veritas, simplicissimè est proponenda;
| præsertim in judiciis, & rebus seriis.

2. De Mendaciis officiosis?

ant. Quæ licita esse nonnulli contendunt; quum scilicet
| proximus illis non læditur, sed juvatur potiùs.

ref. Sed Mendacium est mendacium: &
| Posito, nulli hominum obesse, sed alicui prodesse;
| Tamen Deus semper illo læditur, ejusque præceptum,
| *Non dices falsum testimonium.*

exëp. Exempla infirmorum patrum, quæ adducuntur, nil probant.

3. De Mendaciis, Religionis causâ effictis?

ant. Miserrimas fabulas excogitârunt Papicolæ, ut suas
| Superstitiones indè firment: ut testantur *Legenda.*

ref. Sed Veritas non opus habet his firmamentis:
| Nititur illa solido fundamento, folius S. Scripturæ.
| Superstitiones, præter eam invecæ, his opus habeant:
| Purgatorium his figmentis ardet, apparitionibus falsis;
| Aliaque multa superstitiosa sic fidem merentur,
| apud imperitum vulgus, his fallaciis excæcatum.

caut. Caveant tamen simpliciores, se ità circumveniri:
| Respiciant solum Dei verbum, quod perfectè erudit:
| Sin minùs, videant, ne sint ex eorum numero, de quibus
| 2. Thess. 2. 10. 11. 12. *Qui amorem veritatis non rece-*
| *perunt, ut salvi fierent: ideoque mittet eis Deus efficaciam*
| *erroris, ut credant mendacio; ut damnentur omnes, qui*
| *non crediderint veritati, sed acquieverint in injustitia.*

- 9) II. Quid sit censendum, de fabuloso factō S. Crispini? qui
thes. Corium suffurabatur, factosque indè calceos pauperibus dābat.
ref. Si verè factum est, quis non videt, eum peccasse? quum
 | Non sint facienda mala, ut eveniant bona.
ampl. Sed istis fabulis superstitiones suas statument Papistæ:
 Qualis etiam fabula, de S. Eligio fabro, pedes ferocium
 equorum refecantis, aptantis, postea restituentis.
 Quis non rideat has fubulas, in pia causa fictas?

C O N C L U S I O.

- R. Sed finiamus; Audivistis itaque, Auditores,
 1. Omnino fieri multa mala, ex quibus eveniant bona:
 Id autem non fieri, ex natura mali; sed ex sapientia Dei:
 Deum verò in his omnibus manere, extra omnem culpam.
 2. Quemadmodum hinc non sequitur, Deum facere injustè,
 si puniat peccata, bono fine à se permiffa & gubernata:
 Sic quoque hinc non sequi, Facienda esse mala, ut eveniant bona;
 Esse id blasphemum, sicque affectos justè judicatum iri.
- C. In summa, Homines sunt peccatrices naturâ suâ;
 Deus autem sapiens, qui peccata novit in bonum convertere:
 An nos propterea injuriosè sapientiam Dei tractaremus? Absit.
 Cur Deo hanc molestiam crearemus, ut ità loquar?
 Cur non potiùs bona faceremus, ut in iis beneplacitum habeat,
 atque per ea glorificetur Deus sinè molestia?
 Ex bono sæpè malum oritur, ut ex prædicatione Evangelii lis, &c:
 Propterea prædicatio Evangelii non est negligenda.
 Ex malo sæpè bonum oritur, idque sapienti Dei diredtione.
 Propterea non sunt facienda mala, utpote vetita à Deo.
 Christus de Proditore suo dicit, Matt. 26. 24. *Filius quidem hominis abit,*
sicut scriptum est de eo: Væ autem homini illi, per quem Filius hominis
proditur! Bonum erat homini isti, si natus non fuisset.
 Ità & nos dicere possumus; Potest Deus peccata dirigere in bonum,
 semperque ea dirigit, in suam gloriam, nostramque salutem: Sed
 Væ homini qui peccat! *Maledictus, qui non manet in omnibus, quæ*
scripta sunt in libro Legis, ut ea faciat: (Gal. 3. 10. Deut. 27. 26.)
- V. Deus nos clementer conservet à peccatis, & ab omni malo custodiat:
 Illi soli laus, & gloria, in sempiterna secula, Amen.

C O N C I O XIX.

(Habita olim in die precum.)

De Omnibus Reis peccati.

Textus, Rom. III. v. 9--19.

Quidigitur? Præcellimus? Nullo modo: nam ante criminati sumus, & Judeos, & Græcos, omnes esse sub peccato. Sicut scriptum est; Non est justus, ne unus quidem: Non est, qui intelligat, non est qui exquirat Deum. Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt omnes: non est, qui faciat quod bonum est, non est usque ad unum. Sepulcrum apertum guttur eorum, linguis suis ad dolum usi sunt; venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os diris, & amarulentia, plenum est. Veloces pedes eorum, ad effundendum sanguinem: Contritio & miseria in via eorum, & viam pacis non cognoverunt. Non est timor Dei, coram oculis eorum. Scimus autem, quæcunque Lex dicit, iis qui in Lege sunt dicere: ut omne os obstruatur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei.

E X O R D I U M.

Licet omnibus, qualescunque sint, ingrata sit Reprehensio;
Tamen Paulus id non curat, sed testatur multis modis,
Omnes homines esse peccatores, & carere justitiâ Dei.
Non, quod delectetur in vectivâ, & objurgatione mordaci;
Sed, quia eò respicit, & hoc agit, ut omnes homines
in agnitionem propriæ miseriæ adducat,
illisque hoc modo desiderium gratiæ in Christo instillet.
Ut enim nemo Medicum requirit, qui non sentit se ægrum:
Ità nemo Medicum animarum expetit, nisi sentiat
vulnus lethale Serpentis antiqui, sibi inflictum.
Cujus morsus serpentini venenum, & periculum,
Paulus hætenus satis ostendit; dum demonstravit,
Tum de Gentibus, tum de Judæis, omnes peccatores esse:
Esse, inquam, omnes homines sub peccato, nullo excepto:
Qualicunque etiam prærogativâ instructo licet.

Initi^o

Initio hujus Cap. III. quasdam Calumnias refutavit Apostolus, quas haecenus explicavimus, tribus praecedentibus concionibus: In textu praefecto, versibusque eum consequentibus, concludit totam disputationem, Omnes homines esse peccatores; atque

1. Demonstrat id ipsum, uno insuper argumento, desumpto ex Testimoniis S. Scripturae, huc adductis:
2. Concludit hinc, id quod voluit probare; Neminem posse justificari ex operibus Legis: idemque interim
3. Probat alio argumento; Quia Lex non sit data hoc fine, ut per illam justificemur, sed Peccata agnoscamus.

Ita ut tres partes sint hujus tractationis; in qua attendendum est,

1. Ad Testimonia S. Scripturae, huic probando adducta:
2. Ad aliam probationem, quia per Legem nemo justificetur, eò quòd per Legem sit cognitio peccati.
3. Ad finalem conclusionem, Operibus Legis neminem justificari.

P. Quoniam autem tempus nimis breve foret, ad tres illas partes simul explicandas;

Hac vice tantum assumemus Testimonia Scripturae, prout illa nobis in textu praefecto à Paulo proponuntur:

Et quidem hoc ordine, ut inde

- I. Probemus, *Omnes homines esse peccatores*, non solum *Gentes*, sed & (quod magis incredibile erat) *Judeos*.
- II. Discamus, *Quid ad nos Christianos haec Testimonia attineant?* quae scilicet Paulus probandae suae thesi adduxit.

V. O Deus, rege nos Verbo & Spiritu tuo, ut Scripturam testantem sentiamus, non aliis tantum, sed & nobis loqui: *Amen*.

P A R S I.

Primum quod attinet,

Prop. Res est Paulo adhuc cum Judaeis, ut probet, & hos peccatores esse:

Hi enim perpetuo gloriabantur, de Prærogativa, præ Gentibus; Proinde ægre ferebant, se in peccatis æquari Gentibus.

Idcirco novo argumento probat, Omnes pariter esse peccatores,

1. Adducto huc testimonio ipsius Scripturae:
2. Eodem Judaeis cum primis applicato.

Tract. Videamus igitur, sequuti ordinem Apostoli,

I. *Testimonia Scripturae*; II. *Eadem Judaeis applicata*.

I. *Testimonia*

I. Testimonia Scripturae quod attinet,

1. Quærit Apostolus, respondetque:

Text. Quid igitur? Præcellimus? Nullo modo.*Ex eg.* Initio hujus Cap. concesserat magnam Prærogativam Judæis:*thes.* Nunc verò dicit, nullam eos habere Prærogativam.*decl.* Non est sibi contrarius Apostolus. Etenim,

Prætulerat Judæos Gentilibus, propter insignia

Beneficia, quibus eos præ Gentibus affecerat Deus;

In primis, quòd illis concediderat Eloquia sua.

Jam verò æquat Judæos Gentibus, quoad peccata,

Quasi dicat; Ingratissimi gratiam Dei proculcârunt:

Thesaurum creditum, satis dignè non tractârunt,

nec congruenter illi vixerunt; quin contra

Se in omni generis vitiis volutârunt.

Proinde, se indignos tantâ gratiâ fecerunt,

nec ullâ parte meliores sunt Gentibus;

quinimò tantò magis inexcusabiles: *Luc. 12. 47.**Appl.* Dum autem Paulus hoc dicit,*text.* Scipsum includit, dicens; Quid igitur dicemus?

An præcellimus? seipsum itâ reliquis annumerans.

rat. Dicit autem hoc ipsum itâ Paulus,

1. Ex vera Humilitate:

Quòd se præ aliis non vult censere justum, aut excipere.

Qui mos fuit omnium sanctorum, Prophetarum, &c. Sic

David, *Psal. 106. 6. Peccavimus cum majoribus nostris,**iniquè fecimus, improbè egimus. Conf. 1. Chr. 29. 15.*Esaïas, *Esa. 64. 6. (10.) Sumus ut immundus omnes nos, &c.*Jeremias, *Thr. 3. 42. Nos defecimus, & rebellavimus.*Daniel, *Dan. 9. 5. Peccavimus, & rebellavimus, &c.**Penès te est justitia, penès nos pudor faciei.*Paulus, *1. Tim. 1. 15. Peccatores: quorum primus sum ego.*

Pariter nos quoque humiliabimus nos,

Cum Publicano, *Luc. 18. 13.*Cum Prodigio filio, *Luc. 15. v. 18. 19. 21.*

2. Ex sollicita Prudentia:

Ne nimis irascerentur Judæi; videntes,

Paulum ne seipsum quidem excludere:

Ferendum ergo, si & alios reprehenderet.

D d

*) 2. Probat

2) 2. Probat responſionem ſuam ex Scriptura:

Text. Dicens; *Nam antè criminati ſumus, & Judæos, & Gentes, omnes eſſe ſub peccato: Sicut ſcriptum eſt.*

Exeg. Quanquam Paulus hoc ſatis probaverat, præced. capp.

Omnes homines eſſe peccatores, & carere juſtitiâ Dei;

Sicut dicit, *Nam antè criminati ſumus, & Judæos, & Gentes;*

Omnes eſſe ſub peccato: hoc eſt,

Non tantùm peccatores, ſed & reos propter peccatum:

Tamen, hoc non contentus, pergit idem quoque probare,

ex S. Scriptura; veluti dicit, *Sicut ſcriptum eſt.*

Doct. Quo ipſo docet nos, ut & nos,

theſ. Quoties aliquid probandum eſt, S. Scripturam adæamus.

comp. Cui erubescunt finè lege loqui:

Sic nos erubescemus loqui finè S. Scriptura.

appl. Id perpendant Papiſtæ, qui Traditiones ſuas crepant, &

S. Scripturæ præferunt, eam verò ipſam vix tangunt.

Itèm illi, qui quidem multa dicunt, ſed pauca probant;

nedum ut S. Scripturam examinent, & producant.

Cum primis Doctores verbi, nihil dicant extra Scripturam;

ſed omnia indè haurient, adducent, & probabunt.

3) 3. Testimonia aliquot Scripturæ producit,

Text. Sex ſunt Testimonia, ab eo hinc indè collecta:

1. Testimonium adducit, ex Pſal. 14. v. 1. 2. 3. (vel Pſal. 53.)

Non eſt juſtus, ne unus quidem: non eſt qui intelligat, non eſt

qui exquirat Deum. Omnes deflexerunt, ſimul inutiles facti

ſunt omnes: non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſq; ad unum.

2. Testimonium adducit, ex Pſal. 5. v. 10.

Sepulcrum apertum eſt guttur eorum;

Linguis ſuis ad dolum uſi ſunt, dolofè blandiuntur.

3. Testimonium adducit, ex Pſal. 140. v. 4.

Venenum aſpidum eſt ſub labiis eorum.

4. Testimonium adducit, ex Pſal. 10. v. 7.

Quorum os aëris, & amarulentiâ, plenum eſt.

5. Testimonium adducit, ex Eſa. 59. v. 7. 8. (conf. Prov. 1. 16.)

Veloces pedes eorum, ad effundendum ſanguinem: Contritio

& miseria eſt in via eorum: & Viam pacis non agnoverunt.

6. Testimonium adducit, ex Pſal. 36. v. 2.

Non eſt timor Dei, coram oculis eorum.

v) Exeg.

2) *Exeg.* In quibus Testimoniis homines propter peccata arguuntur,
Omnino omnes, tam Judæi, quàm Gentes, sinè exceptione.
Loquuntur autem hæc Testimonia, Vel

¶ 1. *In genere*; de corrupta natura omnium hominum.

text. Non est justus, ne unus quidem.

decl. Desumptum hoc est, ex *Psal.* 14. 1. ubi Deus dicitur

*Prospectasse è coelis, super filios hominum; visurus,
an sit ullus, qui intelligat, qui exquirat Deum:*

*Sed corrupisse eos, abominandam actionem perpetrando;
non esse, qui faciat bonum: adeoque neminem justum esse.*

Significatur, Neminem esse, qui servet Legem Dei.

Jacobus inquit, *Jac.* 2. 10. *Et si quis servet totam Legem,
impegerit autem in uno, damnas factus est omnium.*

Tales autem justus nusquam, qui nunquam peccent:

Eccl. 7. 20. (21.) *Nemo homo justus in terra est,
qui faciat bonum, & non peccet.*

1. Reg. 8. 46. *Nam nemo est, qui non peccet.*

prol. Appellantur quidem justus, Noa, Daniel, Job, *Ezech.* 14. 14.

Dicitur etiam, *Psal.* 14. 5. *Deus adest generationi justæ.*

Sed id intelligendum est, de Justis, partim

Imputatione; quibus justitia Christi imputatur:

Incoatione; qui hinc incipiunt justè vivere, licet imperfectè.

test. Est ergo & manet verum, Non esse justum, ne unum: nam,

Gen. 6. 5. c. 8. 21. *Omne figmentum, ac cogitationes cordis
hominis, tantummodo malum est, omni tempore; à pueritia.*

¶ 2. *In specie*; de corruptione & perversitate, humanæ

1. *Mentis, seu intellectus*:

text. Non est, qui intelligat.

decl. Desumptum hoc est, ex *Psal.* 14. 2.

test. Testatur idem Paulus, alibi, *1. Cor.* 2. 14. *Animalis
homo non est capax eorum, quæ sunt Spiritus Dei:
sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere.*

2. *Voluntatis*:

text. Non est, qui exquirat Deum.

decl. Desumptum & hoc, ex *Psal.* 14. 2.

test. Atque hoc est, quod & alibi docet Paulus, *Rom.* 8. 7.

Quod sapit caro, inimicitia est adversus Deum: q. d.

Tantum abest, ut amet, ut contra odio habeat Deum.

3. Affectuum, & Virium omnium:

text. Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt omnes.

decl. Defumtum & hoc est, ex *Psal.* 14. 3.

test. Hoc est, quod & Paulus dicit, Rom. 8. 7. *Quod sapit caro, Legi Dei non subicitur: nam ne potest quidem.*

Hinc additur, *Psal.* 14. 3. *Non est qui faciat bonum; ad unum.*

4. Sermonum: qui indices sunt animi.

Quatuor modis id proponitur in *textu*:

1. *Guttur eorum est sepulcrum apertum.*

Defumtum hoc est, ex *Psal.* 5. 10, Guttur, Sepulcrum:

Ut Sepulcrum est infatiabile, *Prov.* 30. 16.

Ità maledicus non desinit maledicere.

Ut Sepulcrum tetrum odorem spirat;

Ità maledicus spirat mendacia, futilia.

2. *Lingua suâ ad dolum utuntur.*

Defumtum & hoc, ex *Psal.* 5. 10. (*Lingua dolose blandiuntur.*)

Idem dicitur, *Psal.* 12. 3. *Duplici corde loquuntur:*

h. e. Aliud ore loquuntur, aliud corde premunt.

3. *Venenum aspidum est sub labiis eorum.*

Defumtum hoc, ex *Psal.* 140. 4. Ubi maledica

Lingua comparatur aspidibus, viperis: de quib. *Plin.*

Dentes earum in gingivis latere, at verò indè, quum mordent, intolerabile virus inspergi.

Ità etiam morsus maledicorum non possunt caveri:

si putentur non habere dentes, blandiloqui,

omnium venenosissimè mordent.

4. *Ose eorum diris, & amarulentiâ, plenum est.*

Defumtum hoc est, ex *Psal.* 10. 7.

Quo significatur, linguam maledicam nocere,

non solùm hominibus, maledicendo;

sed etiam Deo, pejerando, execrando.

5. Actionum:

text. *Veloces pedes eorum, ad effundendum sanguinem:*

Contritio & miseria est in via eorum; &

Viam pacis non cognoverunt.

decl. Defumtum hoc est, ex *Esa.* 59. 7. 8. & *Prov.* 1. 16.

Quo significatur, Omnia opera hominum eò dirigi,

ut mala inferant aliis, damna, bella, angustiam, &c.

3. De fonte horum malorum omnium.

text. Non est timor Dei, coram oculis eorum.

decl. Defectum est hoc, ex *Psal.* 36. 2. Etenim,

Ubi non est timor Dei, ibi nullum frænum impietatis:

Sicut contrà timor Dei, est causa omnis pietatis.

test. *Prov.* 16. 6. Reverentiâ Jehovæ receditur à malo.

Prov. 1. 7. Timor Domini est initium sapientiæ: quinimò,

Initium est, & fons, omnis pietatis, omniumque virtutum.

exēp. Hinc Abraham, timens sibi suisque, dixit, *Gen.* 20. 11.

Fortè non est timor Dei, in loco isto, quare occident me.

Obstetrices verò Ægyptiæ abhorruerunt ab impio mandato

Pharaonis; quia timebant Deum: *Exod.* 1. 17.

concl. Ubi ergo exulat Timor Dei, & reverentia numinis;

Ibi divertit Impietas, omnisque generis vitia grassantur.

II. Applicata Judæis hæc Testimonia quod attinet,

præp. Potuissent Judæi dicere; Quorsum illa Testimonia?

Hæc ad nos non pertinent, sed ad exteros, Gentes peccantes:

Nos verò sumus populus Dei, longinqui ab idololatria.

text. Respondet Paulus; Scimus autem, quæcunque Lex dicit, iis qui

in Lege sunt dicere: ut omne os obstruatur, & obnoxius fiat

totus mundus condemnationi Dei.

decl. Quibus verbis Apostolus Paulus,

1. Manifestissimè etiam Judæis hæc applicat; quia,

quum Judæis lata esset Lex, ipsique Lege Dei gloriarentur,

ostendebant, ad se quoque has reprehensiones pertinere.

2. Finem hujus operosæ probationis attexit;

Ut omne os obstruatur, non tantùm Gentibus, sed & Judæis,

& obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei.

Scilicet hic scopus fuit Apostoli, in tota hac disputatione,

Ut ostenderet, & Gentes, & Judæos esse peccatores:

Adeoque nihil sperari posse à propriis operibus; sed,

Omnia imputanda esse gratiæ Dei Justificationi.

test. Confer, quæ dicit idem Apostolus, *Rom.* 11. 32. & *Gal.* 3. 12.

Summa, Ut ne gloriatur ulla caro in conspectu Dei, *1. Cor.* 1. 29.

usus. Ne ergo superbiamus, quasi propriis viribus valeamus quicquam.

Hinc Paulus, *Rom.* 3. 27. Ubi igitur gloriatio? Exclusa est:

Per quam Legem? Operum? Non; hæc gloriationem ponit:

Sed per Legem Fidei: Hæc enim omnia defert Gratia Dei.

P A R S II.

Secundum quod attinet,

Præp. Possit quis dicere; Hæc omnia dicuntur, de Judæis, & Gentibus:

Quid hoc ad Christianos?

Prop. Sciat ille, Hæc non tantum esse dicta, de Judæis, & Gentibus;
Verum etiam de ipsis Christianis.

Nam & illi sunt peccatrici naturæ, corruptique toti,
quantum ad eorum naturam, & proprias vires attinet.

Sunt, inquam, & illi corrupti, à pueritia sua: Sanè, & mala
omnia eorum, cogitationes, voluntates, affectus, sermones, opera;
quod attinet eorum naturam, nisi regenerentur per Sp. S.

In summa, Timor Dei rarus est, etiam apud ipsos Christianos;
& vel exulat, vel valde inconstans est & instabilis.

Comp. Comparemus, quæso, Christianos, cum Judæis, fidelibus V. T.

Prot. Si rectè attendamus, arguuntur Judæi, in citatis testimoniis,

Octo fere criminum:

1. Injustitiæ. *Non est justus, ne unus quidem:*

Non est, qui faciat quod bonum est, non est usque ad unum.

Quamvis enim multi pii essent, Dei gratiâ; tamen
ex majori parte perspiciebatur, quid ex se possent:
nec carebant suis nævis pii.

2. Cæcitatatis. *Non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum.*

Quamvis enim Judæi haberent Legem; tamen
Major pars eam non legebat, nec discere laborabat.

3. Apostasiæ. *Omnes deflexerunt, simul inutiles facti omnes.*

Quamvis enim multi ex Judæis constantes manserint;
Tamen constat, quoties idololatriâ se polluerint.

4. Vaniloquentiæ. *Vaniloqui sordent, ideò dicitur, Sepulcrum*

apertum est guttur eorum: Fraudulenti blandiuntur,
ideò dicitur, Linguâ dolos texunt, dolosè blandiuntur.

5. Maledicentiæ. *Venenum aspidum est sub labiis eorum:*

Cor eorum plenum est, diris, & amarulentiâ:

Diris, in Deum; Amarulentiâ, in homines.

6. Sævitæ. *Pedes eorum veloces, ad effundendum sanguinem:*

Contritio & miseria est in via eorum, quâ alios afficiunt.

Quod & Judæis exprobrat Christus, *Matt. 23. v. 25. &c.*

7. Turbul-

7. Turbulentiæ. *Viam pacis non cognoverunt*: Scilicet,
Turbulenti sæpè, in statu Politico, & Ecclesiastico.

8. Contemtus Dei. *Non est timor Dei, coram oculis eorum.*

Dei donum erat, si qui erant timentes Deum: nam Jeremias,
Jer. 10. 23. *Scio, o Deus, non esse penes hominem viam ipsius, non esse
penes virum ambulantiem, vel dirigere gressum suum.*

Sed, quum Deus manum suam abstraheret, æquè Judæi ac
Gentiles, propriis suis viis ambulabant; juxta illud,
Psal. 81. 13. *Dimisi eos in sententia animi sui, dicens, Abceant
cum pravis consiliis suis.* Confer, Act. 14. v. 16.

Apod. Propter eadem vitia possunt redargui Christiani.

gen. An non verum est, quod prædixit Christus? Matt. 24. 12.

Quoniam multiplicata erit iniquitas, refrigescet charitas multorum.

spec. Consideremus tempora & mores nostros:

1. Ubi est justitia? ubi pietas? ubi castitas? ubi temperantia?

Ubi est, qui faciat quod bonum est? &c.

2. Quis intelligit viam salutis? & cui illa est cordi?

Quis conatur ignorantiam exuere? quis diligenter legit, audit?

3. Quis fidus manet Deo suo? quis stabilis in religione?

Olim zelus fuit insignis, nunc ille deferbuit.

4. Quis non gloriatur ultra posse, & statum suum?

Quanta passim vaniloquentia? quantæ blanditiæ?

Quis sincerè agit cum proximo suo, & sinè dolo?

5. Quot sunt, quorum guttur est instar fœtidi sepulcri?

Quot linguis suis prolcindunt, Deum, & homines?

6. Ubi misericordia? ubi benevolentia in pauperes?

ubi conniventia circa tenuiores? &c.

7. Quantas turbas sæpè dant, in Politia, in Ecclesia,

qui tamen volunt videri Christiani, zelotæ?

Quot seditiones, bella, tumultus, inter Christianos?

8. In summa, ubi timor Domini? Exulat, proh dolor!

Evanuit, longissimè amotus est, quasi sepultus jacet.

Non dico de omnibus: Deus sibi semper reservat aliquem,

licèt exiguum, numerum piorum, seque timentium.

Deo sit gratia, quòd sicut tristari malis,

sic etiam gaudere bonis nobis contingat.

[Nota bene: Hæc specialia, pro prudentia pij Ecclesiastæ, & pro
ratione temporum ac Auditorum, extendi vel contrahi possunt.]

Uusus.

*U*sus. Quid ergo facere opus est, Auditores?

ant. Judæi quidem dixissent Paulo, nimis severum eum esse,
nimis acrem esse ipsius reprehensionem, & exprobrationem.
Ità quoque nostri putarent auditores, nimis acerba hæc esse,
paulò duriora hæc esse, & intolerabilia.

thes. Sed non semper sunt prædicanda Placentia.

Esa. 30. 10. Judæi edicebant *Videntibus, ne videatis;*
& *prudentibus, ne provideatis nobis vera:*

Loquimini nobis Blanda, & promittite illusiones. Sed,

Esa. 58. 1. Deus edicit, *Exclama gutture, ne cohibeto;*
tanquam buccina, extolle vocem tuam; &

Indica populo meo defectionem ipsorum, & domui Jacobi
peccata ipsorum. Huic potius est obtemperandum.

Ezech. 33. 8. idem dicit; *Se sanguinem peccatoris, non res-*
picientis, requisiturum à Propheta tacente, dissimulante.

2. Tim. 4. 2. jubet Paulus; *Prædica sermonem, instat tempestivè,*
intempestivè: argue, objurga, exhortare;
cum omni iræ cohibitione, (sinè affectibus,) & doctrina.

ampl. Huic nos potius obtemperabimus:

Cum primis, his malis ac periculosis temporibus,
quibus nos propter peccata nostra visitat,

Invectivas has conciones ad animum reponentes:

1. Nosque à prava natura nostra convertamus; juxta

Esa. 1. 16. 17. *Lavate vos, purificate vos, amovete mali-*
gnitatem actionum vestrarum, ex adverso oculorum
meorum: desinite malè facere, discite bene facere:
querite jus, beate oppressum, jus dicite pupillo,
suscipite causam viduæ: & c. (usque ad vers. 20.)

Amos. 6. 14. 15. *Querite bonum, & non malum, & c.*
Odio habete malum, & amate bonum, & c.

2. Deum laudabimus, quum videmus, quosdam esse pios:

Nam id certè non est à nobis ipsis, nostrarumque virium;
ut antea diximus, ex Jer. 10. v. 23.

Sed à Deo hoc est, ejusque gratia: Etenim,

Rom. 8. 14. *Quotquot Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.*

2. Cor. 3. 5. *Non idonei sumus per nos ipsos, & c.*
sed quòd idonei sumus, id ex Deo est.

Phil. 2. 13. *Deus efficit in nobis, & Velle, & Perficere.*

3. Non

3. Non offendemur, si multi impij sint inter Christianos.
 Si quis in V. T. à Judæis ad Gentes se voluisset conferre,
 quia tot & tanta vitia inter Judæos grassabantur;
 an bene fecisset? an rectè sibi consulisset?
 Ità quoque doctrinam nostram non judicabimus ex vita,
 sed semper respiciemus ad verbum Dei, quid id velit:
 Hoc enim est unica regula, ut fidei, ità & vitæ.
4. Ante omnia autem videbimus, & hoc operam dabimus,
 Ut vita nostra respondeat sanæ doctrinæ, quam profitemur:
 Ne adversariis os aperiamus, ad calumniandum;
 neve quempiam dissolutâ nostrâ vitâ offendamus.
 Tenenda est illa Christi cautio, Matt. 18. 7. *Vae mundo,*
ab offendiculis: necesse est enim, ut eveniant offendicula;
veruntamen, va homini illi, per quem offendicula eveniunt.

CONCLUSIO.

R. Hæc de Testimoniis Scripturæ, peccati reos arguentibus:

1. Quatenus Gentes & Judæos tangant?
2. Quatenus & ea ad nos Christianos pertineant?

C. Nos igitur istis non sumus meliores, nisi regeneremur per Sp. S.

Dicit Paulus, Rom. 7. 18. 19. 23. *Novi non habitare in me, id est,*
in carne mea, bonum: nam Velle adest mihi, sed ut quod
bonum est efficiam, non assequor. Non enim facio bonum,
quod volo; sed malum, quod nolo, hoc ago. Cerno aliam Legem
in membris meis, belligerantem adversus legem mentis meæ,
& captivum redentem me legi peccati, quæ est in membris meis.

Dicamus ergo, in tanta miseria constituti,

Cum Davide, Psal. 130. 3. *Si peccata observaveris Jah, Domine*
quis consistat? Psal. 143. 2. *Ne congregiaris iudicio, &c.*

Cum Paulo verò, Rom. 5. 20. *Ubi amplificatum est peccatum,*
ibi superabundavit gratia.

Lamentemur quidem cum Paulo, Rom. 7. 24. *Miser ego homo,*
quis me eripiet ex isto corpore mortis? Sed

Addamus, quod statim sequitur, Ibid. v. 25. *Gratias ago Deo,*
per Jesum Christum Dominum nostrum: Itèm, ex I. Cor. 15. 57.
Deo habetor gratia, qui dat nobis victoriam per D. N. J. Christum.

V. Illi igitur soli sit laus, honor, & gloria, in secula, Amen.

E c

CONCIO XX.

C O N C I O XX.

De. Cognitione Peccati, ex Lege.

Textus, Rom. III. v. 20.

*Propterea ex operibus Legis nullacaro justificabitur, in conspectu
Dei: Per Legem enim est cognitio peccati.*

(Ex his verbis posteriora illa hac concione explicabimus;
Per Legem enim est cognitio peccati.)

E · X · O · R · D · I · U · M.

UNum præterea argumentum attexi diximus, conc. præced.
Hactenus Paulus probavit, Neminem justificari operibus Legis,
hoc argumento; Quia omnes homines sint peccatores,
& peccent adversus Legem, tam Judæi, quam Gentes.
Jam idem probat, (In Lege scilicet non esse quærendam salutem,)
novo argumento; Quia per Legem fit cognitio peccati: nam,
Non tantum convincit hominem peccati Lex Dei;
Sed etiam damnat, eidemque pœnam denunciat,
eamque, cum temporalem, tum æternam.
Si ergo ex Lege Dei cognoscitur Peccatum, (dicere vult Paulus,)
Homo ex Lege Dei non potest expectare justitiam:
Peccatum enim, & Justitia, pugnant inter se.
Si Lex omnibus hominibus propter peccata Pœnam denunciat,
Non potest ea quempiam hominum justificare: nam
Pœnam denunciare, vel Damnare, & Justificare, pugnant.
Profectò, Apostolus Paulus non quiescit, donec probaverit,
Ex operibus Legis neminem hominum justificari: nam,
Hinc necessario sequitur, Gratis nos justificari, per fidem.
Et multum omnino in eo situm est,
Ut omne os obturetur, & totus mundus sit obnoxius Deo:
Hoc est, ne quis possit gloriari coram Deo, seque venditare;
sed ut fateatur, se propter peccata esse obnoxium damnationi:
Ut ita Deo soli tribuatur omnis gloria Misericordiæ;
finè qua nullus salvatur, nec salvari potest.

P. Confid-

P. Consideremus ergo verbà illa Pauli, ubi dicit,

Per Legem est cognitio peccati:

Ut videamus, ad eò neminem in Lege posse invenire justitiam.

Faciemus autem id ipsum hoc ordine, ut dicamus quædam,

I. In genere, *De Lege; & Quotuplex ea sit?*

II. In specie, *De Usu Legis; In quem finem ea sit lata?*

V. Deus, qui est Speculum virtutis, quique nobis reliquit

Speculum Vitiiorum, in Lege sua: det nobis,

Ut non solum peccata nostra ex Speculo Legis perspiciamus;

sed etiam, ut ea nobis sit Speculum virtutis, juxta quam

vitam nostram, piè, justè, ac temperanter, instituamus: *Amen.*

P A R S I.

Primum quod attinet, *Legem Dei in genere:*

Def. Lex nihil est aliud, quàm voluntas Dei, de rebus iis, quas Deus ab homine postulat, ut vel faciat, vel omittat; sub promiss. & commin.

Distr. Est autem Lex Dei duplex:

1. *Naturalis;* quam Deus implantavit conscientiis hominum:

thes. Ità ut unusquisque, in propria conscientia, vel accusetur, si omittat bonum, aut faciat malum; vel contra defendatur, si recta & bona faciat.

test. De hac Lege Naturæ Paulus agit, Rom. 2. v. 14. 15.

Gentes non excusari, si non habuerint legem Scriptam; nam habuisse eas opus Legis scriptum, in eordib. suis:

His verbis; *Quum Gentes, quæ Legem non habent, naturâ quæ Legis sunt faciant, isti Legem non habentes, sibi ipsis sunt Lex: Ut qui ostendant opus Legis, scriptum in cordibus suis; unâ testimonium reddente ipsorum conscientia, & cogitationibus sese mutuo accusantibus, aut etiam defendentibus.*

exëp. Et quid aliud testantur præclaræ Leges Gentium, quàm Indidisse Deum omnibus hominibus scientiam boni & mali? Qua de re etiam suprâ egimus, in Rom. II. v. 14. 15.

usus. Si Gentes, Legem non habentes, tamen bonas leges amârunt, & opera Legis justa ac honesta facere studuerunt;

Pudeat nos Christianos, qui Legem Dei scriptam habentes, tamen illi repugnamus, & omnis generis vitiis nos polluimus.

E c 2

a) 2. Scripta

α) 2. *Scripta*; quam Deus populo suo dedit, per manum Moſis, *thes.* Proprio digito in duabus Tabulis exaratam, deinde auētam; quamque Christus in N. T. explicavit, à corruptelis Phariſæorum vindicavit, & Christianis ſuis commendavit.

ſubd. Hæc Lex, per Moſen ſic lata, triplex eſt:

1. *Moralis*; Lex X. Præceptorum, quæ à nobis poſtulat, amorem Dei & Proximi: & perpetui juris eſt ac æterna.
2. *Ceremonialis*; Lex de Ceremoniis V. T. datis Iſraëlitis, Ut per illas ſepararentur à reliquis Gentibus, & de Chriſto venturo informarentur; Adeoque non perpetui juris, ſed Chriſto exhibitò abolita.
3. *Judicialis*, ſeu *Forenſis*; Lex de judiciis civilibus, Iſraëlitis lata, ut juſtitia & tranquillitas conſervaretur, in vita civili, contractibus, judiciis, ac pœnis: Hæc, quæ ſubſervit Decalogo, perpetui juris eſt; quæ ſpecialis Reip. Iſraëlitarum, eſt variabilis.

comp. Ceremonialis igitur Lex, Chriſto veniente, deſuit; juxta Col. 2. 16. 17. *Ne quis vos damnet, ob cibum vel potum, aut reſpectu feſti, aut novilunii, aut ſabbathorum: Quæ ſunt umbra rerum futurarum; at corpus eſt Chriſti.*

β
2 Heb. 10. 1. *Lex umbram obtinebat futurorum bonorum, non ipſam expreſſam formam rerum. Adde verſ. 9.*

Aufert prius, ut poſterius ſtatuat. Confer Heb. 8. 13.

Judicialis, quoad peculiarem politiam Iſraëlitis ſolis datam, nos non ampliùs obligat in N. T. Ceremoniali ſimilis eſt. At quoad pœnas delictorum, Decalogo prohibitorum, manet, ut & ipſe Decalogus, legis moralis ſumma: Niſi pateat, diverſam rationem ſubefſe in N. T.

veruntamen æquitas earum perpetua eſt, & manet.

Moralis verò Lex, quia eſt perpetua regula morum, & officiorũ, Deo ac Proximo debitorum, perpetua eſt, & æterna: ut, Matt. 5. 17. *Ne exiſtimate, me veniſſe, ut diſſolvam Legem; non veni, ut eam diſſolvam, ſed ut eam impleam.*

Rom. 3. 31. *Legem per Fidem non reddimus inutilem, ſed eam per Fidem ſtabilimus.*

Jac. 1. 25. *At is, qui introſpexerit in perfectam Legem libertatis, & permanserit in ea, &c.*

De hac igitur Lege Morali deinceps agemus.

β) part.

β) part. Dividitur Lex (Moralis scil.) in duas Tabulas.

- I. *Tabula* præcipit dilectionem Dei; quæ in eo consistit,
 Ut illum solum habeamus, pro Deo vero ac unico, præc. I.
 Ne eum colamus per imagines, aut extra præscriptum, præc. II.
 Ut nomen Dei reverenter habeamus, non temeremus, præc. III.
 Ne cultum Dei publicum, & cœtus sacros negligamus, præc. IV.
 II. *Tabula* præcipit dilectionem Proximi; quæ in hoc consistit,
 Ut parentibus & præpositis honorem præstemus, præc. V.
 Ne quempiam oderimus, aut lædamus, VI.
 Ut castè vivamus, & sinè adulterio, &c. præc. VII.
 Ne bonis Proximi noceamus, furto, rapinis, &c. præc. VIII.
 Ut famam Proximi tueamur, sinè mendaciis, &c. præc. IX.
 Ne vel minimùm malè concupiscamus, præc. X.

γ) sum. Comprehenditur Summa hujus Legis Moralis, à Christo,
 Matt. 22. v. 37-40. Marc. 12. 30. 31. Lev. 10. 27.

*Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota
 anima tua, & ex tota cogitatione tua, & ex totis viribus tuis,
 Istud est Primum & maximum mandatum: At verò,
 Secundum est simile huic, Diliges Proximum ut teipsum.
 Ab istis duobus Mandatis, tota Lex & Prophetæ pendent:
 h. e. quicquid in illis continetur, huc refertur.*

Desumpta hæc sunt, ex V. T. ubi duæ hæc leges continentur,
 Deut. 6. v. 5. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo,
 & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis.*

Lev. 19. v. 18. *Diliges Proximum tuum, sicut teipsum.*

δ) Appl. Hæc de Lege Dei in genere, dicta sufficiant.

thes. Quæ quum audimus, Dei justitiam, bonitatem, sapientiam;
 | laudare ac celebrare debemus: idque

test. Cum Davide, Psal. 19. 8-12. *Lex Jehovæ integra est, restituens
 animã: Testimonium Jehovæ verax, sapientiam asserens imperito:
 Mandata Jehovæ sunt recta, letificantia animum, Præceptum Je-
 hovæ purum, illustrans oculos: Reverentia Jehovæ munda, con-
 sistens in sempiternum: Judicia Jehovæ sunt ipsa veritas, justa
 sunt pariter: Desideratissima sunt, & desiderabilia auro, &
 quidem auro purgatissimo quàm plurimo; ac dulciora melle, &
 quidem melle defecato.*

Cum Paulo, Rom. 7. 12. *Lex ipsa quidem sancta, & iusta;
 & præceptum ipsum sanctum, ac justum, & bonum. &c.*

P A R S II.

Secundum quod attinet, *In quem finem Lex Dei sit lata?*

Præp. Hic considerandus est homo, in statu Ante & Post lapsum.

1. *Ante lapsum*, Lex est lata; ut per illam homo salvus maneret.

Quamvis enim omnes Creaturæ, Deo Creatori suo,
Debeant obedientiam, ita ut eâ nihil mereri queant; juxta illud
Christi, Luc. 17. 10. *Si omnia feceritis, quæ edita sunt vobis,*
dicite, Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.

Tamen hanc conditionem Deus homini obtulerat,
Si servaret mandatum Dei, fore ut in æternum maneret,
in illa felicitate, in qua creatus erat.

Non dico, ut felicitatem illam mereretur;

sed ut maneret in felicitate, sibi jam à Deo data:

Ut & Christus nihil sibi meruit, sed retinuit quod habuit.

Sin minùs servaret, fore ut mulctaretur istâ felicitate, &
moreretur, morte non temporali modò, sed & æternâ.

Quia ergo homo peccavit, & miserrimè lapsus est,
non solum se, cum posteris, privavit originali felicitate;
sed etiam reum se fecit, pœnarum temp. & æternarum.

2. *Post lapsum*, Lex lata est homini,

prol. Hac quidem conditione, ut, si posset servare Legem,
per eam salvaretur; juxta *Lev. 18. 5. Luc. 10. 28. Rom. 2. 13.*

thes. Sed quia impossibile est homini post lapsum, servare Legem,
(quod ante lapsum ei impossibile non erat, si voluisset;)

Lex nunc quidem data est, præcipuè duplici fine,

1. Ut inde agnosceremus peccata nostra, & consequenter
pœnam, quam peccatis nostris promeremur.

2. Quia Deus nos à miseria nostra, per Filium liberavit,
ut haberemus certam Regulam, juxta quam
nos gratos declaremus, pro ista liberatione.

ant. Ità ut post lapsum Lex sit data homini,

Non, ut salvaretur, quia erat ei Lex impossibilis;

Imò etsi præstaret eam, reus tamen esset peccati Orig.

Et quicquid facit, debet, ut nihil eo mereri queat:

Sed tantùm hoc fine, ut peccata sua inde agnosceret,
indeque liberatus disceret veram gratitudinem.

s) obi.

*)obj. 1. At *Ezech. 33. 16.* dicitur, Posteriores justitiam obtecuram
præcedentem injustitiam, præcedentia peccata omnia.

Resp. Ex gratuita Dei promissione, non ex debito.

2. At *Lev. 18. 5.* dicitur, *Qui fecerit ea, vivet in eis.* Sic *Rom. 2. 13.*

Resp. Si fecerit, vivet, non ex merito suo, quod nullum;

Sed ex hypothese gratiosæ Dei promissionis: ut *Exod. 20. 4.*

Exercens gratiam, in eos qui observant mandata mea.

*)*Tract.* Duplex ergo præcipue est usus Legis, à Deo latæ:

Prop. De primo usu Legis agitur, in *parte I. Catech.* de Miseria hominis;

De secundo, in *parte III. Catech.* de Gratitudine.

De primo usu Legis Paulus agit, in textu prælecto:

de quo nos etiam inde, hac vice tantummodò agemus.

Text. Dicit ergo Paulus; *Per Legem est cognitio peccati.*

Exeg. Quomodo autem cognoscitur Peccatum, ex Lege?

gen. Id fit, comparatione vitæ nostræ, cum Lege Dei.

1. *Ex Lege Naturæ* quidem etiam peccatū cognoscitur: nam,

Mala Conscientia nihil aliud est, quàm exercitatio

Legis naturæ, quâ homines convincuntur peccati:

Unde sequitur Metus & Trepidatio in peccantibus;

juxta *Rom. 2. 15.* de quo supra egimus.

Sed quia Lex naturæ à malitia hominis obliteratur,

Ideò propior agnitio requiritur ex Lege scripta.

2. *Ex Lege Ceremoniali* quoque cognoscitur peccatum;

sed per accidens: Nam per eam simul significabatur,

Ut multâ ablutione & purgatione opus fuit;

Itâ homines multis peccatis inquinatos esse:

Ut multis sacrificiis, hostiis, & oblationibus opus fuit;

Itâ dignos fuisse ipsos homines, qui mactarentur,

sicuti pro ipsis mactabantur pecudes:

Unde Paulus Ceremonias vocat, *Chirographū quod erat*

Contrarium nobis, & adversum nos, Col. 2. 14: item,

In hostiis anniversariis fuisse repetitam mentionem

peccatorum, quotannis, Heb. 10. 3.

3. *Ex Lege Judiciali* etiam poterat cognosci peccatum,

Præsertim, quâ famulabatur Decalogo;

quia præscribentur pœnas flagitiorum contra illum:

Qui ergo secundum Legem judicabatur à Magistratu,

is poterat intelligere, se graviter peccasse.

*) 2. *Speci-*

n) *Spec.* Cum primis verò, ac propriè Peccatum cognoscitur ex Lege Morali: de qua cognoscendi ratione etiam propriè in textu nostro agitur.

Mod. Quomodo autem id fiat, insinuatur, 1. Joh. 3. v. 4.

Peccatum est àropia: h. e. quicquid deviat à Lege Dei.

Videamus ergo, quid à nobis postulet Lex Dei?

Quicquid enim ab illa deviat, peccatum est.

Lex Dei à nobis postulat in genere, ac summatim,

Dilectionem Dei & Proximi; ut supra, ex *Matt.* 22.

Postulat, inquam, à nobis Lex Dei,

1. Innatam ac originalem puritatem.

Quia enim in illa Deus hominem primitus creavit,

meritò illam ab homine requirit, ac repetit.

An illam Puritatem nos habemus? Minimè:

Psal. 51. 7. *En in iniquitate natus sum,*

& in peccato concepit me mater mea.

Videmus ergo ex Lege Dei, Peccatum Originale omnino

esse peccatum; quia deviat à Lege Dei, *Non concupisces.*

2. Rectitudinem,

Intellectus; ut intelligamus ea quæ Dei sunt.

Quia enim Deus hominem condidit, sapientem, &c.

meritò ab eo requirit, ut ipsum rectè cognoscat.

An habemus nos illam Sapientiam? Minimè:

1. *Cor.* 2. 14. *Animalis homo non est capax eorum,*

quæ sunt Spiritus Dei; sunt enim ei stultitia,

nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur.

Videmus igitur, ex Lege Dei cognosci, Cæcitatem in rebus divinis, ac salutem spectantibus, peccatum esse.

Voluntatis; ut cupiamus facere voluntatem Dei.

Quia enim Deus hominem rectum ac justum creavit,

ut posset præstare eam; (ut Augustinus ait,

Dedit posse si vellet, si non velle quod posset;)

meritò idem ab homine in Lege sua reposcit.

An hanc Rectitudinem voluntatis habemus? Minimè:

Rom. 8. 7. *Quod sapit caro, inimicitia est adversus*

Deum, Legi enim Dei non subjicitur: nam

ne potest quidem; quod tamen antea poterat.

Videmus ergo, & cognoscimus ex Lege Dei, *Voluntatem* nostram inordinatam & pravam peccatum esse.

9) *Omniium*

3) *Omniium Affectuum ac inclinationum*; ut subdantur Legi.

Dederat Deus homini Liberum Arbitrium, ut posset bonum eligere ac facere, malum rejicere ac fugere: meritò ergo illius vires à nobis requirit Deus, in Lege sua.

An habemus nos hanc rectitudinem Affectuum? Minimè:

Gen. 6. 5. cap. 8. 21. *Omne figmentum, & cogitationes cordis hominis, tantummodò malum est, omni tempore; à pueritia.*

Cognoscimus ergo ex Lege Dei, Affectus inordinatos, omnesque Inclinationes nostras malas, peccatum esse.

4) *Omniium Actionum nostrarum*; ut scilicet Bona meditemur, consultemus, loquamur, faciamus; mala omittamus.

Hæc enim omnia Deus in Lege sua à nobis requirit; nec immeritò, quia creaverat nos in tali statu, ut omnes actiones, cogitata, dicta, facta, gestus, possemus rectificare.

An hoc facimus nos? an actiones nostræ rectæ? Minimè:

Etiam sanctissimi quique hîc defecerunt læpè; ut queritur Paulus, Rom. 7. 19. *Non enim facio bonum, quod volo; sed malum, quod nolo, hoc ago.*

David, Psal. 130. 3. *Si peccata observabis Fab, Domine, quis consistat? Sic Psal. 143. 2.*

Et sinè intermissione peccamus variè, pravis actionibus, malis cogitationibus, proposito, sermone, gestu.

Cognoscimus ergo ex Lege Dei, omnia peccata actualia:

Nec solùm mala facimus, quæ Lex prohibet; sed etiam multa bona omittimus, quæ Lex præcipit.

Adeòque ex Lege Dei cognoscimus omnia peccata, non tantùm commissionis, sed etiam omissionis.

*) *Test.* Atque hoc est, quod Apostolus Paulus *in textu dicit*;

Per Legem est cognitio peccati.

Id quod & alibi manifestè testatur, Rom. 7. v. 7.

Imò, peccatum non cognovi, nisi per Legem: nam, ipsam quoque Concupiscentiam non nossem esse peccatum, nisi Lex dixisset, Non concupisces.

Idem significatur ab eodem Apostolo,

Rom. 4. 11. *Lex iram efficit: ubi enim non est Lex, ibi nec transgressio est: h. e. non ità cognoscitur.*

Rom. 5. 20. *Lex præterea introiit, ut amplificaretur offensa: h. e. ut magis patefceret, nobisque innotefceret.*

Ff

*) *Sim.*

λ) *Sim.* Hinc Lex Dei eleganter assimilatur Speculo :

test. Jac. I. v. 23. 24. 25. *Si quis est auditor sermonis, & non effector, is similis est viro, consideranti faciem suam nativam in Speculo. Nam simulatque consideravit se ipsum, abit, & statim oblitus est, qualis esset. At is, qui introspexerit in perfectam illam Legem libertatis, & permanserit in ea, quia non fuerit auditor obliviosus, sed actor operis; is inquam, beator erit in suo opere.*

decl. Quemadmodum maculae faciei ex Speculo cognoscuntur, Ita maculae peccatorum nostrorum cognoscuntur ex Lege. Multi quidem existimant, se formosos esse, sine macula; At in Speculo vident deformitatem, & maculas suas: Ita Lex nobis ostendit deformitatem nostram spiritualem.

appl. Multi quidem putant, exiguum ipsis nocere non posse:

Sed quum adeunt Speculum Legis, intelligunt noxam.

Multi putant, Dubitare de Deo exiguum esse;

at ex præc. I. cognoscunt, quàm deformis sit Dubitatio.

Multi putant, exiguum esse, cum Papistis ire post Cruces, &c.

at ex præc. II. cognoscunt, & hoc peccatum esse.

Multi tam facile abutuntur nomine Jesu, Dei, &c.

at ex præc. III. cognoscunt, & hoc peccatum esse.

Multi putant, parum referre, si quis semel negligat sacros cœtus,

at ex præc. IV. intelligunt, id quoque peccatum esse.

Multi putant, non tam præcisè honorandos esse superiores;

at ex præc. V. cognoscunt, grave id esse peccatum.

Multi putant, Irasci levius esse, & indulgere Odio;

at ex præc. VI. discunt, id quoque homicidium esse:

ut docet Christus, *Matt. 5. 22.* Item 1. *Joh. 3. 15.*

Multi putant, Amicabilem esse mulierculis, tolerabile esse;

at ex præc. VII. discunt, id quoque adulterio accensendum.

Multi putant, Inebriari leviculum esse, Saltare, &c.

at idem præc. docet contrarium: *Eph. 5. 18. Matt. 5. 28.*

Multi putant, Lucrari vetitum non esse, quocunque modo;

at ex præc. VIII. discunt, id quoque furto accenseri.

Multi putant, exiguum esse, iudicium suum ferre de proximo.

at ex præc. IX. discunt, reticenda esse peccata proximi.

Multi putant, Volatilem cupiditatem excusari posse;

at ex præc. X. intelligunt, peccari sic etiam: teste Paulo, *Rom. 7. 7.*

Concupiscentiam non nossem, nisi Lex dixisset, non concupisces.

μ) Doct.

μ) Doct. (generalis, duplex.)

1. Videmus ergo, verum esse, quod hinc dicit in *textu* Paulus;

Thes. Per Legem est cognitio peccati: & Legem Dei
| Speculum esse, nativæ & actualis nostræ deformitatis.

Conf. Hinc verò jam consequitur Conclusio illa Pauli,

thes. Neminem ex operibus Legis justificari.

text. Id quod subindicat particula illa, *Enim.*

decl. Quia scilicet ex Lege est cognitio peccati;

Contraria enim sunt, Justificari, & Argui de peccatis:

Quia non Peccatum modò, sed & Pœna, ex Lege cognoscitur;

Contraria enim sunt, Justificari, & Puniri.

Atqui Lex non tantùm dicit, *Hoc fac, & vives;*

Sed etiam, *Maledictus omnis, qui non fecerit.*

concl. Si ergo Lex nos arguit peccati, & condemnat ob peccata,
quomodo ex Lege possemus justificari?

2. Discimus hinc quoque differentiam Legis & Euangelii.

Thes. Lex monstrat peccata, condemnat ob peccata:

Euangelium docet, quomodo tegantur, & remittantur peccata.

Lex petit satisfactionem propriam, si velimus salvari per eam:

Euangelium ostendit satisfactionem alienam, Christi,

eamque nostro loco præstitam, *Rom. 3. 25. cap. 5. 19.*

Usus. Idcirco semper à Lege appellabimus, ad Euangelium: dicentes ex

test. *Gal. 3. v. 10—13. Lex non est ex fide; sed*

Quisquis fecerit ea, vivet in eis: ut Lev. 18. 5. itèm,

*Maledictus omnis, qui non manserit in omnibus, quæ scripta
sunt in libro Legis, ut ea faciat: ut Deut. 27. 6.*

At Christus nos redemit à maledictione Legis, dum

pro nobis factus est maledictio: Scriptum est enim,

Maledictus, quisquis pendet in ligno: ut Deut. 21. 23.

2. *Cor. 3. v. 6—9. Litera occidit, Spiritus autem vivificat.*

Quòd si mortis ministerium fuit gloriosum, i. e. Lex;

qui non potiùs ministerium Spiritus erit gloriosum?

Si ministerium condemnationis fuit gloriosum, Lex sc.

multo magis ministerium iustitiæ exundat gloriâ, Euangeliũ.

caut. Absit tamen, Legem negligamus, aut culpemus.

Utilis enim est nobis, ut indè cognoscamus peccata.

Rom. 3. 31. An Legem inutilem reddimus, per Fidem?

Absit: imò Legem stabilimus.

C O N C L U S I O.

R. Audivistis ità Auditores,

1. In genere aliquid, de Lege Dei; Quid sit? &
Quotuplex ea sit? Naturalis, & Scripta:
Et hæc, Moralis, Ceremonialis, Judicialis.

2. In specie, Quis sit usus Legis, post lapsum?

Non ut inde justificetur homo;

Sed ut inde sit cognitio peccati, ejusque pœnæ.

Quomodo sit norma vitæ Christianæ, & gratitudinis nostræ,

Id in tertia parte Catecheseos nostræ explicatur.

C. Sensus Apostoli, ac summa totius concionis, comprehenditur illo

Rhythmo Pauli Sperati, in ode illa, *Es ist das heil ons kommen her;*

In qua sic canitur, strophe tertiâ:

Es war ein falscher wahn dabei,

Godt hett sein gsetz drum geben,

Als ob wir mochten selber frei

Nach seinem willen leben:

So ist es nur ein Spiegel zart,

Der uns anzeigt die sundig art,

In vnserm fleisch verborgen.

Reliqua, quæ ibi canuntur, egregia sunt.

Notandum quoque, quod Paulus de Lege Dei disputat, Rom. 7. 13. 14.

Ergo, quod bonum est, (Lex scilicet,) mihi factum est mors?

Absit: imò, peccatum mihi factum est mors; ut manifestum fiat, quòd peccatum mihi, per id quod bonum est, efficiat malum: id est, ut peccatum fieret admodum peccans, (h. e. ut quotidie magis magisque doceret de gravitate peccatorum meorum,) per illud præceptum. Scimus enim Legem spiritualesse: at ego carnalis sum, venditus ut subicerer peccato.

V. Deus igitur det, ut Lex nobis inserviat cognitioni Peccati;

Cognitio verò peccati nobis inserviat, cogitationi Pœnæ;

Cogitatio verò pœnæ inserviat, quærendæ Gratia in Christo,

ut in illo possimus habere salutem & vitam æternam:

Quam nobis tandem aliquando ex gratia concedat Deus,

Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, unus ille verus Deus,

benedictus in secula, Amen.

CONCIO XXI.

C O N C I O XXI.

De Significatione vocum, *Opera, Legis, Caro,*
Justificari, in Conspectu Dei.

Textus, *Rom. III. v. 20.*

Propterea ex Operibus Legis nulla Caro Justificabitur,
in Conspectu ejus, Dei scil.

E X O R D I U M.

Operibus Legis neminem justificari, sed Fide in Christum;
Hæc est propositio illa, de qua sæpiùs hæctenus diximus,
Apostolum initio hujus Epistolæ hoc agere, ut eam probet.
Ità ut duæ Quæstiones, in doctrina Justificationis, à Paulo agitentur:
Prima, An homo justificetur Operibus Legis?
Secunda, An homo justificetur tantum Fide in Christum?
Primam quæstionem hæctenus agitavit, in *Capp. I. II. III.* atque
Probavit, Hominem non justificari Operibus, duobus argumentis;
1. Quia omnes homines sint peccatores, tam Judæi, quàm Gentes:
Neque tantùm vulgares inter Gentes, sed & præcipuos;
neque tantùm simplices inter Judæos, sed & doctores.
Gentes ideò, quia contra legem Naturæ sint impii & injusti:
Judæos ideò, quia legem Scriptam habentes, eam violârint;
præcidens illis omnes prætextus, & prærogativas.
2. Quia ex Lege sit cognitio peccati: siquidem data sit Lex,
non quasi quis illam servare, perque eam servari possit;
sed ut inde peccata nostra cognoscere disceremus.
Secundam quæstionem nunc mox ordietur Paulus; atque probabit,
Hominem tantùm justificari Fide in Christum.
Priusquàm illam quoque disputationem, ex Apostolo, incoëmus,
Considerabimus Conclusionem *primæ quæstionis*:
Quæ hoc prælecto *versu 20.* proponitur, his verbis; *Propterea:*
Ex operibus Legis nulla caro justificabitur, in conspectu Dei.
Quæ necessariò sequitur, ex hæctenus dictis: nam,
Si Lege convincuntur & damnantur homines peccati;
certè, nemo illâ justificatur.
Hanc ob causam dicit Paulus; *Propterea.*

Ff 3

P. Ut

P. Ut autem fundamentum hujus Conclusionis rectè intelligamus,
Singula ejus verba considerabimus; & quidem, quid intelligatur,

I. Per Opera Legis?

II. Per ipsam Legem?

III. Per Carnem?

IV. Per Justificari?

V. Per verba illa, *In Conspectu Dei?*

V. Deus nobis, ad hæc consideranda, largiatur gratiam & benedictionem:
Detque, ut respiciamus, non ad merita nostra, quæ nulla;
Sed ad ipsum solum, qui justus est, & justificat eum, qui est
ex fide Jesu Christi: *Amen.*

P A R S I.

Per Opera Legis, intelligitur

Thef. Obedientia, quæ Legi præstatur; & quidem,

In statu hominis Corrupto, sive ante, sive post Regenerationem.

De statu enim hominis Corrupto, hîc potissimum disquiritur.

Quamvis enim in statu Integro, eadem fere sit ratio; tamen,
quia in statu Corrupto versamur, de eo potissimum agimus.

Præterea, non simpliciter Opera hîc consideramus, sed simul digredimur ad Merita eorum; An opera Legis aliquid mereantur.

Exeg. Paulus autem simpliciter derogat Justificationem operibus Legis.

prol. Ante lapsum quidem homo justificatus fuisset, operibus Legis.

Post lapsum Lex præscribit perfectam obedientiam:

Quæ si à quoquam perfectè præstaretur, (ut factum est à Christo;) certè is justificaretur: ut Paulus ait, Rom. 2. 13. *Non qui audiunt, sed qui præstant Legem, justificabuntur.*

Veruntamen factum fuisset, & fieret hoc, non aliter, quàm

Ex conditione gratuita: nimirum,

Ex hypothese promissionis divinæ, factæ ex gratia.

test. Ut hoc tantò meliùs intelligatis, perpendite mecum illud Christi,

Luc. 17. 10. *Si omnia feceritis, quæ edicta sunt vobis, dicite;*

Servi inutiles sumus, quæ debuimus facere, fecimus.

decl. Ex quibus verbis patet, hominem, propriè loquendo,

1. Neque ante lapsum justificatum fuisse Operibus;

2. Neque post lapsum justificari posse operibus Legis.

Vide pag. seqq. 1. 2.)

1. Neque

I. *Neque ante lapsum justificatus fuisset Operibus*: Nam,

rat. Ante lapsum habebat homo vitam æternam in paradiso terrestri;
ergo non opus erat ei, ut illam promeretur.

Id quidem verum est, Si lapsurus esset, amissurum eum vitam;
Sed si constans permansisset, mansisset in illa beatitudine,
non quam promeritus esset, sed quæ ei ab initio data erat.
Quin & debuisset illam obedientiam Creatori, qui ipsum,
non solum creaverat, sed & illâ beatitudine donaverat.

sim. Princeps, si cuiquam feudum concedat, ex mera gratia;
Si subditus ille se bene gerat, ex præscripta conditione,
non potest dicere, Se mereri illud feudum, suis beneficiis:
Sin malè se gerat, amittit quidem feudum: At,
Bene se gerens non potest dicere, se meruisse feudum,
imò, ne meretur quidem, ut maneat in feudo:
Quia conditione gratuitâ id à domino feudi est promissum;
qui tamen, quoad feudum obtinet, debet subjectionem, &c.

Ità etiam se res habet, cum Homine ante lapsum.

Deus dederat illi æternam beatitudinem paradisi, eâ conditione,
Si non bene se gereret, fore ut eam amitteret;
Si se bene gereret, fore ut in ea permaneret.

Non, quòd meritus illam fuisset hoc modo; erat enim gratis data:
Sed mansisset gratis data, quoad mansisset in debito officio.
Neque obedientiâ suâ meritus fuisset mansionem in beatitudine;
Erat enim data hoc fine, ut homo obediret Deo.

exëp. Exemplum habemus in Christo, concepto & nato sinè pecc. orig.
Ille mansit in perfectione, in qua fuit creatus, quoad hum. nat.
Nec tamen potest dici, ipsum meruisse sibi aliquid:
nam omnia habuit; & quâ re illi opus erat?

Fecit tamen, quod debebat, quâ creatura, qua Sermo Dei,
qui Servi formam assumserat, *Phil. 2. 7.*

Omniaque quæ fecit, nostro bono fecit, non suo:
unde & Deus *Gratificatus* ei dicitur nomen, &c. *Ibid. v. 9.*

concl. Quamvis ergo, si debitum spectes, homo nil meruisset ante lapsum;
Nihilominus dicitur ante lapsum justificandus fuisse,
ex operibus Legis, ipsi à Deo commendatæ:
Propter hanc causam, quia hæc conditio gratuita
addita fuerat à Deo gratioso, fore scilicet, ut
Si obediret, maneret quoque in beatitudine, gratis data.

a) 2. *Neque*

a) 2. *Neque post lapsum potest justificari Operibus Legis*: Nam,

1. Homo non potest servare Legem, post lapsum;
ut hactenus probavit Paulus, Omnes esse peccatores:
Neminem esse, qui faciat bonum, omnes defecisse,
& Judæos & Gentes sub peccato esse, &c.

2. Adhæc, Omnia debet homo; quid ergo mereretur?

Si perfectè præstaret Legem, tamen nihil eo mereretur:

Quia debet homo obedientiam Legi, etiam post lapsum.

Ante lapsum obligabatur ad obedientiam:

Post lapsum obligatur, & ad obedientiam, & ad pœnam.

Deus quidem dicit, Lev. 18. 5. *Qui fecerit ea, vivet in eis*:

Sed hæc tantùm est gratuita conditio. Unde Paulus,

1. Cor. 4. 4. *Nullius rei mihi conscius sum;*

sed non per hoc justificatus sum: item,

Ibid. v. 7. *Quid habes, quod non acceperis?*

Quòd si etiam accepisti, quid gloriaris?

Quanquam contraria conditio sit ex debito, Deut. 27. 26.

Maledictus omnis, qui non præstiterit verba Legis.

Si imperfectè præstat Legem (ut faciunt omnes fideles,)

Deus remuneratur quidem illam obedientiam;

Veruntamen, non ex debito, sed ex gratia: juxta

Exod. 20. 6. *Exercens gratiam, in observantes mandata.*

Luc. 17. 10. *Servi inutiles &c. Confer, Rom. 11. v. 6. item v. 36.*

Adde, imperfectum nihil mereri, arg. Matt. 22. 37.

b) *concl.* Ut igitur concludamus *part. I.* quid intelligatur per *Opera*;

Constat, Paulum loqui de *Operibus Legis*, & quidem,

Prout illa ab homine præstantur, post lapsum, idque vel

Ante regenerationem; in statu Corrupto, nulla sunt bona opera:

quia absque fide fiunt. Atqui, juxta Heb. 11. 6.

Impossibile est, absque fide Deo placere quempiam.

Post regenerationem; in statu Gratia, opera nihil merentur:

Quia imperfecta sunt omnia, etsi præclara; juxta

Esa. 64. 6. (10.) *Omnes justitiæ nostræ sunt, sicut*

panniculus sordidissimus, abjectissimusque.

Quia fiunt ab illis, qui jam sunt justificati; (ut Augustinus,

Non præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum:

ut tantò magis obstricti sint, facere bona opera,

quia non creati modi, sed & redempti, justificati.

v) *Doct.*

2) Doct. (ref.) His præsuppositis, atque ex Scriptura declaratis,

1. Discimus, quid sit sentiendum de Exceptione Pontificiorum:

err. Qui dicunt, hinc intelligi tantum Opera Irregenitorum;

| Regenitorum verò opera, ex Fide facta, apud Deum mereri.

ref. Paulus autem meritum removet, ab Operibus,

non tantum Irregenitorum, ut Gentium;

sed etiam Regenitorum, ut Judæorum.

2. Discimus hinc quoque quàm consistent Pontificij Operibus suis;

err. Quibus dicunt justificari hominem, meritorie & proprie;

quum fide tantum justificetur, antecedenter & incoative:

unde illis nata, Justificatio Prima & Secunda.

ref. At verò, qui non est regenitus, Deo placere non potest, carens fide;

Qui regenitus bona opera facit, imperfectè facit:

Adhæc homo debet, quodcunque bonum facit;

Quid mereretur quis, solvendo debitum?

Denique, Opera Papistarum pleraque sunt hominum Traditiones;

Confiteri in aurem, Nudipedem incedere in processionibus, &c.

Peregrinari ad hunc illumve Sanctum, Imaginem, &c.

Preces Deo adnumerare in Rosario, ut vocant,

Aliaque ludicra & inepta quàm plurima.

Hæcine essent bona opera? hæcine mererentur aliquid?

O miserrimum meritum!

Quid quæso sibi imaginantur miseri illi homines?

Quid verò dicit Deus, de his similibusque operibus?

Esa. 1. 12. *Quis quæsit hoc à manu vestra?*

Esa. 29. 13. indeque Christus, Matt. 15. 9. *Frustra me colunt, docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum.*

prol. Veruntamen, non prohibemus bona opera, nec spernimus ea, quod per calumniam nobis imputant Pontificij:

Sed omnino facienda ea, illisque seriò studendum, præcipimus;

Attamen illis non esse confidendum, meritumque tribuendū,

nedum effingenda pro lubitu nostro, humanoque instituto.

Esi enim non sunt *Causa salutis* bona opera,

Tamen *Via* sunt ad salutem; quæ preparavit Deus, ut in iis ambulemus, Eph. 2. 10. Conf. Matt. 5. 20. cap. 7. 21.

Si quis cui thesaurum donet, in arce munita clausum,

hac conditione, ut in viam se conferat, indeque capiat;

num *Via* illa causa thesauri impetrati dici posset?

Gg

P A R S II.

P A R S II.

Per Legem intelligitur

Thes. Cum Lex Naturalis, omnium hominum cordibus inscripta;

Tum Lex Scripta, olim Judæis data, eaque

Non solum Ceremonialis, nec non Judicialis;

Sed etiam & cum primis *Moralis*, à Christo repetita, suisq; commendata.

Proinde, qualia opera studebant facere,

Gentes, juxta Legem Naturæ;

Judæi etiam, & Christiani nunc quoque debent facere:

juxta summariam descriptionem Decalogi.

Doct. (refutatoria.) Errant igitur Pontificij,

err. Quibus quum à nobis proponitur locus expressus Pauli,

Ex operibus Legis nulla caro justificabitur;

Excipiunt etiam hoc, intelligi hinc,

Non Legem Moralem, aut Decalogum;

Sed Legem Ceremonialem: dicentes,

Non potuisse Judæos Ceremoniis Legis justificari;

Posse autem justificari, observatione Legis *Moralis*:

Et sic reverà justificari omnes Christianos.

ref. Sed intelligi hinc cum primis legem Moralem, inde patet:

1. Paulus dicit; *Per Legem est cognitio peccati.*

Id verum est magis de Lege Morali, quam Ceremoniali;

ut dictum est in concione præcedenti. Etenim,

Rom. 7. 7. dicit Paulus; *Non cognovissem, Concupiscentiam esse peccatum, nisi Lex dixisset, Non concupisces:*

Uade patet, Paulum loqui de Lege Morali:

nam hæc dicit, præcepto X. *Non concupisces.*

2. Paulus contra omnes concludit, tam Gentes, quam Judæos:

Atqui Gentes non habebant Legem Ceremonialem;

Sed Moralem, naturalem, scriptam in cordibus suis.

3. Paulus Justitiam fidei, opponit operibus Legis, *Moralis* etiam:

Ut patebit ex seqq. verl. 28. *Colligimus igitur, Fide justificari hominem, absque Operibus Legis.* Atquis

loquutus fuerat Paulus hæctenus, de Morali Lege cum primis.

Sed hæc ulterius patebunt, ubi ad explicationem sequentium

versuum, cum Deo, veniemus. Nunc ad tertium pergamus.

P A R S III.

P A R S III.

Per *Carnem* intelligimus,

Thef. Omnes omnino Homines; quando dicitur,

Ex operibus Legis *nulla Caro* justificabitur: Nam,

Ant. Frivolum est, quòd Origines hæc restringit ad homines Carnales.

Paulus enim hæctenus disputavit, contra omnes homines,

Non solùm carnales, carnis cupiditatibus indulgentes;

de quibus intelligendi loci, *Joh. 3. 6. Rom. 8. 6. 7. & c.*

Sed in universum Omnes, tùm Gentes, tùm Judæos,

cujuscunque statûs; etsi essent inter hos & regeneriti.

Deinde reclamât David, ex quo hæc verba depromsit Paulus,

Psal. 143. 2. Ne congregiaris Judicio cum servo tuo,

nam non esset justus coram te ullus vivens.

David non erat ex iis, qui Carni indulgebant, hoc est,

in quo regnabat peccatum; sed erat ex regeneritis per Sp. S.

Nihilominùs dicit, *Non est justus coram te ullus vivens:*

id est, *ulla caro*, ut hîc loquitur Paulus.

Neque loquitur hîc Paulus de Carne pecorum, aut brutorum;

ut intelligitur vox Carnis, *Gen. 6. 17. Perdam omnem Carnem, in*

qua est spiritus vitalis, sub cælo, (diluvio sc.) Sed loquitur

Decl. De Hominibus: qui juxta proprietatem linguæ hebrææ, vocantur

thes. Caro; propter fragilem & corruptibilem naturam: ut patet, ex

test. *Jer. 17. 5. Maledictus vir ille, qui fiduciam habet in homine, &*

statuit Carnem brachium suum; à Jehova verò recedit cor ejus.

Gen. 6. 12. Corrupta erat terra; quia corruerat omnis Caro viam

suam, super terram: h. e. omnes homines, Noâ excepto.

Esa. 40. 6. Omnis Caro est gramen, etiam omnis benignitas ejus simi-

lis est flori agri. Confer, Psal. 103. v. 15.

Joh. 1. 14. Verbum factum est Caro: hoc est Filius Dei

assumit Carnem, i. e. naturam humanam.

concl. Itaque Omnis Caro Paulo idem est, quod suprâ dixerat, *vers. 19.*

Omne os obturabitur, & obnoxius fit

Totus mundus condemnationi Dei.

Quasi dicat; *Ex operibus Legis non justificabitur ullus Homo.*

Similiter loquitur, *Gal. 2. 16. Propterea, quòd non justificabitur*

ex operibus Legis ulla Caro: h. e. ullus Homo.

Gg 2

P A R S IV.

P A R S IV.

Quid intelligatur per vocem *Justificari*?

Prop. Magna disputatio est, inter Pontificios, & nostros doctores,

An *Justificare* significet, ex injusto justum facere, ita,
ut ex injusto justus fiat, per justitiæ infusionem; vel

An *Justificare* significet, pro justo habere & reputare,
adeoque justum pronunciare, & Absolvere?

Illud Pontificii sustinent; atque ita non distinguunt, inter
Sanctificationem, & Justificationem: quæ tamen sunt distincta.

Hoc autem nos dicimus & docemus; idque ex sacris literis. Nam,

Prob. Multis argumentis hæc significatio probatur:

1. *probatio* est, Ex Nomine ipso Justificationis, in præcipuis linguis.

Hebræa vox *Hitzdik*, in V. T. nunquam significat *Justum facere*;

Sed *Justum reputare* & pronunciare, hoc est, *Absolvere*.

Nisi quòd, Dan. 12. 3. *Matzdikim*, *Justificantes* multos;
ibi dicuntur illi, qui ad justitiam alios erudiunt.

Opponiturque ei vox *Hirschiah*, quæ significat, (ut inf. videbitur,)
non *Malum facere*, sed *Malum pronunciare*, hoc est, *Condemmare*.

Græca vox *δικαιοδαι*, non accipitur aliter, in N. T.

Quàm eodem modo, *Justum pronunciari*, *Absolvi*.

Nisi quòd dicitur, Apoc. 22. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc*;

Hoc est, Qui justus est ex fide in Christum, justificetur adhuc;

Id est, permaneat in fide, ut continuetur ei justificatio.

Sicut additur, *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc*.

h. e. exerceat se in sanctitate, & justitia inhærens;

ne relabatur ad sordes suas, & injustitiam nativam.

Opponiturque ei vox *κατακρινδαι*, h. e. *Condemnari*.

Latina vox *Justifico*, à veteribus Latinis non est usurpata;

Sed assumpta à Theologis, ut idem significaret, quod Græca:

Pontificij quidē urgent, *Justificare* esse idem, quod *Justum facere*;

sicut *Sanctificare* est idem, quod *Sanctum facere*.

Sed non considerant, quo fine hæc vox sit assumpta à Latina Eccles.

Adhæc, *Sanctificare* non semper significat, *Sanctum facere*;

Sed etiam *Sanctum prædicare*: ut nos sanctificamus Deum,
non faciendo, sed prædicando sanctum; ut & Maria ait,

Luc. 1. 46. *Magnificat anima mea Dominum*; i. e. magnum
celebrat.

German-

1) Germanica vox *Rechtfertigen*, quæ pariter
 Non significat *Gerecht machen*, ex injusto justum facere;
 Sed, *Gerecht sprechen*, *Losz erkennen*, hoc est,
 injustum pro justo censere, & pronunciare.
 Cujus contrarium est, *Verdammen*; belg. *Verdoemen*.

2) *probatio*, Ex usu ipsius S. Scripturæ.

hyp. Hæc probè tenenda sunt, contra Pontificios: quòd *Justificare*,
 Non significet, *Justum facere*, per justitiæ infusionem;
 id enim pertinet ad hominis Sanctificationem:
 Sed, vel *justum habere*, vel *pronunciare*. Id quod
 Fit in Conscientiis hominum, in hac vita:
 ubi Tribunal suum erexit Deus, homines
 vel *Condemnando*, vel *Absolvendo*; ut *Rom. 2. 15.*
 Fiet etiam tandem, in fine mundi; ubi
 Quos nunc in conscientia sua certos facit, de sui justif.
 publicè & solenni judicio justos pronunciabit:
 Quos contrà in conscientia sua hîc prædamnat,
 publicè coram omnibus condemnabit.

thes. Nec usquam hæc vox in S. Scriptura significat, *Justum facere.*
test. De Deo dicitur, *Rom. 3. v. 4.* (ex *Psal. 51. v. 6.*)

Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas quando tu judicas.
 Hîc sanè *Justificari* non significat, *Justum effici*;
 sed *Justum declarari*, & *celebrari*.

De Hominibus dicitur,

Prov. 17. v. 15. *Qui justificat impium, & condemnat justum,*
abominationi Jehovæ sunt æquè ambo.

Esa. 5. v. 23. *Væ justificantibus impium, propter munus;*
& justitiam justi abjudicantibus.

Hîc sanè significatio illa Papistica locum habere nequit: nam,
 Bonum opus esset, non malum, ex injusto facere justum.

Spiritus Sanctus, ex gratia Regenerationis,
 Homines impios sanctificat, & ex injustis efficit justos:
 Quis dicat Spiritum Sanctum malè facere?

Sicut etiam ad justitiam erudientes homines pravos,
 præmium à Deo accipient, in futura vita æterna,
 & splendebunt instar expansi, & sicut stellæ, *Dan. 12. 3.*

Justificare ergo impium, ibi non significat, *Justum facere*;
 sed tanquam justum, contra justitiam, *Absolvere*.

Gg 3

§3 prob-

2)3. probatio, Ex explicatione Scripturæ: ex qua manifestum est,
thes. *Justificari* non esse aliud, quàm *Absolvi* à peccatis, aut
Remissionem peccatorum consequi.

test. Rom. 3. v. 24. 25. *Ut qui justificentur gratis, ejus gratiâ scil.*
per redemptionem factam in Jesu Christo: Quem præstituit Deus,
ut esset placamentum, per fidem, in sanguine ipsius,
ad demonstrationem justitiæ suæ, propter dissimulationem
peccatorum, qua antecesserunt, Deo illa tolerante.

Hic *Justificari*, & *Remitti peccata*, est unum idemque.
 Rom. 4. v. 1. & seqq. *Justificari*, & *Imputari justitiâ*,
 & *Remitti peccata*, pro uno eodemque sumuntur.

Et quomodo aliter intelligendus esset locus sequens?

Act. 13. v. 38. 39. *Notum sit vobis fratres, inquit Paulus,*
annunciari vobis remissionem peccatorum, per Christum:
Et ab omnibus, à quibus non potuistis justificari, per Le-
gem Mosis, per hunc credentem quemvis justificari.

Nonne & hic *Justificari*, & *Remitti peccata*, æquipollent,
 ut unum pro altero capiatur?

Quis hæc de infusione justitiæ intelligeret?

2)4. probatio, Ex oppposito Justificationis, Condemnatione.

thes. *Condemnare*, non significat *Malum facere*;
 sed *Pronunciare malum & injustum.*

Ergo, nec *Justificare* significat, *Justum facere*;
 sed, *Pronunciare justum, & Absolvere.*

test. Manifesta autem est oppositio hæc,

Rom. 8. 33. 34. *Quis est, qui condemnet? Deus est, qui justificat.*

Confer, *Deut.* 25. 1. *Prov.* 17. 15. *Matt.* 12. 27.

concl. Si ergo per *Justificationem* intelligeretur *Justifictio*,
 opponenda illi esset *Injustifictio*, seu *Malefictio*.

Quis autem diceret, Maleficari istum, qui condemnatur?

2)5. probatio, Ex differentia Justificationis, & Sanctificationis.

thes. Distinguendum est, inter *Sanctificationem*, quâ quis justus efficitur;
 & inter *Justificationem*, quum quis justus pronuncietur.

test. Sic Scriptura inter hæc duo manifeste distinguit, |

1. Cor. 1. 30. *Christus factus nobis Justitia, & Sanctificatio.*

1. Cor. 6. 11. *Sed sanctificati estis, sed justificati estis.*

Apoc. 22. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc;*

& *sanctus, sanctificetur adhuc.*

P A R S V.

Quid sibi volunt verba illa, *In Conspectu Dei*? ubi dicitur,

Text. Non justificabitur ex operibus Legis ulla caro, *in Conspectu Dei.*

Exeg. Opponit Paulus, his verbis, *Judicium* *Judicio*; nempe,

thes. *Judicium Dei & Conscientiæ, Judicio hominum & Fori.*

comp. *Coram hominibus justii censentur, qui foris Legem observant.*

Homines enim internâ non respiciunt: ut est in illo Dei,

1. Sam. 16. 7. Homo spectat, quod est ob oculos.

Sic Paulus Abrahamo concedit justitiam operum, & gloriationem apud homines; at non apud Deum: Rom. 4. v. 2.

Sic & Jacobus concedit, eum ex operibus justificatum fuisse,

h. e. talem comprobatum, coram hominibus: Jac. 2. v. 19. 21.

Coram Deo nulla caro justificatur ex operibus, ne sanctissimi quique:

1. Quia Deus est ignis consumens: Heb. 12. 29. ex Deut. 4. 24.

Unde & Seraphim tegunt faciẽ & pedes, corâ Deo: Esa. 6. 2.

Imò, nec cæli, aut cœlites, sunt puri coram eo; ne quidem san-

ctis Angelis crediturus esset firmitatem: quanto magis abo-

minabilis & fœtidus vir, imbibens, ut aquam, iniquitatem?

ut dicitur in libro Jobi, cap. 15. v. 15. 16. & cap. 4. v. 18. 19.

2. Quia Deus interna respicit, & quod in intimo cordis latet: ut

1. Sam. 16. 7. Deus respicit, quod est in corde, in animo.

Quia Lex est spiritualis, Rom. 7. v. 14.

Damnans etiam in minimo delinquentes; juxta illud,

Maledictus omnis, qui non manserit in omnibus, Gal. 3. 10.

Dicitque Jacobus, Jac. 2. 10. Qui totam Legem servaverit,

impegerit autem in uno, damnas factus est omnium.

Christus verò dicit, etiam de quocunque verbo otioso homines

reddituros rationem, in die judicij, Matt. 12. v. 36.

Usus. Considera hoc, ô homo,

thes. Si lateas coram hominibus, coram Deo latere non potes: Nam;

test. Heb. 4. 23. *Non est ulla res crata, non manifestain Conspectu ejus:*

imo omnia sunt nudâ, & intimè patentia oculis ejus,

quicum nobis est negotium.

conf. Caveamus ergo peccare, in conspectu Dei; *ὅτι θεὸς ἰνδύει τὰ κρυπτά:*

Adspiremus ad justitiam veram, quæ valeat in conspectu Dei;

Qualis est Justitia fidei, in Christo: de qua deinceps agetur.

CONCL^s

CONCLUSIO.

R. Atque hæc dicta sint, de Conclusionem illam Apostoli Pauli, quid per unumquodque verbum in ea intelligatur: quod est fundamentum totius disputationis, de Justificatione hominis coram Deo, deinceps sequutura.

Itaque audivistis Auditores in Christo dilecti,

1. Per *Opera* intelligi, non irrogenitorum modo, sed & regenitorum; & *Opera* proprie in nullo statu mereri aliquid, apud Deum, quia vel nulla, vel imperfecta, vel debita.
2. Per *Legem* intelligi, non solum Ceremonialem, Judicialem, sed & cumprimis Moralem; quæ est, vel scripta in cordibus Gentium, vel data Israëlitis per Mosen.
3. Per *Carnem* intelligi, non Carnales homines; sed omnes omnino homines, non bestias, &c.
4. Per *Justificari* intelligi, non Justitiam infundi; sed Justitiam imputari, Absolvi, Remitti peccata.
5. Per verba illa, *In Conspectu Dei*, intelligi, in Judicio Dei, quod ipse erigit in Conscientiis nostris, tandemque in fine mundi solenniter pronuntiabit.

C. Si hæc benè observaverimus, facile cavebimus fallacias Papistarum, qui hanc doctrinam falsis suis glossis vitiant.

Deus nobis concedat hanc gratiam, ut cognoscamus,

Quam nihil possimus, sine Christo, *Joh. 15. v. 5.*

Quamvis omnia faciamus, quæ edicta sunt nobis, tamen dicendum nobis esse; *Servi inutiles sumus, quicquid debuimus facere, fecimus*: ut monet Christus, *Luc. 17. v. 10.*

In summa, ut omnia in gratia, & à gratia Dei, quæramus.

Ut ita nos, qui nunc fide persuasi sumus, in conscientiis nostris, nos à Deo justificatos esse, in fine mundi etiam gratiosam illam sententiam lætemur,

Matt. 25. v. 34. Venite, benedicti Patris mei, possidete Regnum, paratum vobis, à jacto mundi fundamento.

V. Quod faxit Deus benignissimus, ex mera gratia & misericordia sua, Pater, qui nobis ex gratia misit Filium, Redemptorem; Filius, qui nos merito sanguinis sui sanctissimo redemit; Spiritus Sanctus, qui nos de hac gratia confirmat, & solatur: unus ille verus Deus, benedictus in secula, Amen.

CONCIO XXII.

C O N C I O XXII.

De Justitia Fidei.

Textus, Rom. III. v. 21. 22. 23.

Nunc verò absque Lege Justitia Dei manifesta facta est, comprobata testimonio Legis & Prophetarum. Justitia, inquam, Dei, per Fidem Jesu Christi, in omnes, & super omnes, qui credunt: non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt, ac deficiuntur gloria Dei.

E X O R D I U M.

Justificatione Operum negatâ & exclusâ, *versu præced. 20.* Paulus nunc descendit ad Justificationem Fidei, *in textu prælecto;* eamque deinceps variis modis declarat, illustrat, & probat.

Eleganti methodo utitur Paulus, in hac Epistola, ut initiò diximus:

Agit enim in illa, de tribus partibus Religionis Christianæ,
De Miseria hominis, Liberatione, & Gratitudine.

Hactenus occupati fuimus in explicatione *partis I.* de Miseria:

Ubi Paulus *Cap. I. II. & III.* usque ad textum præsentem, docuit,

1. Omnes homines, & Judæos, & Gentes, esse sub peccato, & damn.
2. Nec posse eos, ex propriis operibus, salvari, justificari ex Lege.

Jam sequitur *pars II.* de Liberatione hominis, *Cap. III—XI.*

Ubi Paulus docet, salutem nostram in sola Dei gratia sitam esse:

1. De Justificatione; tantùm gratis nos justificari, per fidem:
2. De Sanctificatione; gratiâ Sp. S. nos excitari ad piâ vitam:
3. De Prædestinatione; nihil boni nos habere, quin à Deo oriatur.

Denique claudit Epistolam, in Gratitudine, *Cap. XII—XVI.*

In *parte II.* igitur, primò agit de Justif. hominis, quam nunc aggredimur;

Ad illam per ea, quæ hactenus docuit, viam sibi sternit.

Postquàm enim docuerat, Neminem justificari operibus Legis;

Indè probat, Justificari nos gratis, per fidem in Christum.

Ità enim vulè concludere Paulus: Justificamur, aut operibus, aut fide;

justitiâ propriâ, aut alienâ; inhærente, aut imputatâ; Leg. aut Euang.

Atqui non justificamur operibus, justitiâ propriâ, inhærente, Legali:

Ergo justificamur fide, justitiâ alienâ Christi: imputatâ, Evangelicâ.

H h

P. Idipsum

P. Idipsum jam deinceps docebit, in hoc, & duob. seqq. capp.

Facit autem initium, à verbis prælectis textûs nostri;

Ex quibus hæc vice considerabimus hæc tria:

I. *Qualis Justitia Dei hic intelligatur?*

II. *Quomodo nobis hæc Justitia sit revelata?*

III. *Quibus hæc Justitia contingat?*

V. Deus largiatur nobis Spiritum Sanctum: & det,

quia non possumus habere propriam justitiam, ex operibus Legis, ut alienam quæramus, in gratia Dei, & satisfactione Christi,

qui factus est nobis sapientia à Deo, justitia, sanctificatio, & redemptio, dummodò verâ fide illum apprehendamus;

quoad tandem quoque fructum Justificationis nanciscamur,

nempe, Glorificationem nostri, & vitam æternam: Amen.

P A R S I.

Principiò observandum est, Paulum Justitiam illam, de qua agit, vocare

I. *Justitiam Dei.*

Text. Quamvis Lutherus, secundùm sensû vertit, *Justitiam corâ Deo valentem*; tamen in græco textu simpliciter est, *Justitia Dei.*

Exeg. Intelligitur autem, per Justitiam Dei, in sacris literis,

I. *Justitia Dei, quæ est in ipso Deo, eique essentialis.* Per quâ intelligitur, *thes.* Virtus illa Dei, quâ suum cuique tribuit.

test. De qua exstant Scripturæ dicta quàm plurima: ut,

Gen. 18. 25. *An Judex totius terræ non exerceret ius?*

quod Paulus allegat, Rom. 3. 5. *Num injustus est Deus? Absit:*

Alioquin, quomodo Judex erit Deus mundi?

Pfal. 11. 7. *Justus est Jehova, quæ justa sunt diligit; justum aspicit vultus ejus.*

Pfal. 119. 137. *Justus est Jehova, & iusta judicia ejus.*

spec. Quamvis autem unica sit Dei Justitia, imò ipsa Justitia; tamen in s. literis variis ejusdem virtutibus accommodatur.

Per Justitiam enim Dei intelligitur sæpè, in S. Scriptura,

1. Sanctitas, & innocentia Dei: juxta Psal. 92. 16.

Rectus est Jehova, neque est ulla iniquitas in eo. Confer,

Esa. 6. 3. *Sanctus, sanctus, sanctus est Jehova exercituum.*

2. Justû judiciû Dei: de quo, 2. Thess. 1. 5. 6. *Quæ res est indicium justû judicij Dei; & quidem justû est apud eum, &c.*

3. Veritas

3. Veritas Dei: ut 1. Joh. 1. 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus, & justus, (h. e. verax,) ut nobis remittat peccata.*
 Hinc Justitia, & Fides, conjunguntur, *Psal. 36. 6. 7. Psal. 26. 13. Judicabit orbem per justitiam, & populos per fidem suam.*
 Hinc Paulus, quum dixisset, *Rom. 3. v. 3. 4. An infidelitas Judaeorum fidem Dei inanem reddet?* respondet, *Absit: imò, est Deus verax, & omnis homo mendax; atque hoc ipsum probat, ex Psal. 51. 6. Sicut scriptum est, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, (h. e. justus & purus sis,) quando tu iudicas.*
4. Misericordia Dei: ut 1. Sam. 12. 7. (9.) *Contendam vobiscum, de omnibus justis factis Jehovæ, (h. e. misericordiae operibus,) quæ præstitit vobis, & majoribus vestris, & c.*
 Unde & *dixit quovis* exponitur, de Eleemosyna, *Matt. 6. 1. 2. Confer, Dan. 4. 24. (27.) Peccata tua justitiâ abrumpe, & iniquitates tuas gratiâ erga afflictos.*

a) *appr.* Hac significatione Justitia Dei hîc non sumitur, à Paulo; sed in significatione sequenti: Significatur enim per eam,

- b) 2. Justitia, quam Deus imputat homini, gratis, per Christum.
ant. Papistæ intelligunt hîc Justitiam, quam Deus homini infundit, & per Spiritum S. regenerando in nobis efficit.
 Sed talis Justitia consideratur in Sanctificatione.
 In Sanctificatione homo justus efficitur, virtute Spiritûs S.
 In Justificatione justus censetur & pronunciat, merito Christi.
thes. Ideò vocatur hæc Justitia imputativa, à Deo imputata. [sti.
 Lutherus non vertit, *Justitia Dei*, ut est in græco textu; Sed juxta sensum, (ut sup.) *Justitia quæ coram Deo valet:* quia hac solâ possumus coram Deo consistere, non nostrâ, non aliâ quâcunque, sed Christi merito partâ.

v) *Appl.* Adspiremus ergo ad hanc Justitiam Dei:

- thes.* Abnegemus autem propriam Justitiam, quæ nulla est; Soli Justitiæ, à Deo in Christo donandæ, acquiescamus.
test. Idq; cum Paulo, *Phil. 3. 8. 9. Propter Christum omnibus istis me multavi, eaq; duco pro stercore; ut Christum lucrifaciam: & compariar in eo, non habens meam justitiam, quæ est ex Lege; sed eam, quæ est per fidem Christi, id est, Justitiam, quæ est ex Deo, per fidem.*
 Egregia est admonitio illa, *Esa. 55. 1. 2. Heus quisquis sitit, venite ad istas aquas, & cui nulla est pecunia: venite, comparate, & comedite & c. absque pecunia & pretio vinum & lac. Cur expenditis pecuniam pro nullo cibo? & c.* Hh 2 II. Justitia

II. *Justitiam per Fidem Jesu Christi.*

Exeg. Hic duo veniunt consideranda:

1. Dicitur *Justitia Fidei*, seu, *Per Fidem*.

hom. Hic videndum, quid per *Fidem* intelligatur?

Variè enim accipitur vox *Fidei*, in S. Scriptura. Significat enim,

1. Fidelitatem, & veritatem: ut,

Rom. 3. 3. *An Judæorum infidelitas fidem Dei inanem reddet?*

Pfal. 145. 18. *Propinquus est Deus, omnibus invocantibus eum, omnibus qui invocant ipsum fide.* Confer, Joh. 4. 24.

2. Doctrinam Christianæ fidei: ut,

Act. 6. v. 7. *Multa turba Sacerdotum auscultabant fidei;*

h. e. doctrinæ fidei. Sic, 1. Tim. 1. 19. &c.

3. Notitiam nudam doctrinæ alicujus; quæ dicitur *Historica*: ut,

Rom. 14. 22. *Tu fidem habes; apud te ipsum habe:*

i. e. notitiam, de usu licito adiaphororum.

Jac. 2. 19. *Tu credis, Deum unum esse; bene facis:*

Dæmonia quoque istud credunt, & horrescunt.

4. Professionem externam fidei; ut,

Jac. 2. 24. *Videtis igitur, hominem justificari operibus,*

& non ex fide tantum: h. e. ex nuda professione fidei.

5. Fiduciam, quâ promissionibus Dei de sua gratia acquiescitur: ut,

Hab. 2. 4. *Justus ex fide sua vivet: indeque Paulus,*

Rom. 1. 17. &c. De tali fide loquitur Christus,

Matt. 8. 10. *Ne in Israël quidem talem fidem inveni,*

qualem scilicet in illo peregrino, Centurione.

Hæc alibi vocatur *πληροφορία* fidei, Heb. 10. 22. *Acceda-*

mus igitur per certioratam fidem: πιστοδυσία, &c.

6. Res creditas, seu impletionem promissionum: ut,

Gal. 3. 23. 25. *Antequam veniret fides, sub Legis presidio*

custodiebamur, (tanquam sub pedagogo, v. 24.) At, post-

quam venit fides, (i. e. quod credebamus futurum,) non

amplius sub pedagogo sumus.

7. Donum miraculorum: ut, 1. Cor. 13. 2. *Etiamsi habeam tot-*

am fidem, adeo ut montes transferam.

appr. Hic, in doctrina Justificationis, accipitur in illa significatione,

quâ accipitur pro Fiducia. Nam, intelligit hic Paulus,

Non simpliciter notitiam & professionem Christi;

Sed fiducialem cognitionem Christi: ut patebit, ex seq.

δ) Cur

2. Cur addatur, *Jesu Christi?*

text. Per fidem Jesu Christi.

decl. Appellatur igitur etiam Justitia hæc, Justitia Christi:

Non *active* illa, quam Christus habuit, vel habet;

Sed *passive* illa, per quam Christus apprehenditur.

Non Fides, quâ Christus credidit;

Sed, quâ in Christum creditur: juxta

test. Joh. 3. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum, illum unigenitum dederit, ut quisquis Credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Sic vers. 15. 18. 36. &c.

3. *Appl. (in Doct. duplici, & Usu.)*

1. *Doct.* Videmus hinc, & clarè intelligimus,

thes. Fidem salvificam nobis Justitiam asserre.

decl. Non *effective* & *materialiter*;

sed *objective* & *instrumentaliter*. Hoc est,

Non operatur in nobis Justitiam, quæ in nobis inhabitet;

neque est illud ipsum, per quod justii censetur:

Sed Christus est nostra Justitia, quam Fides respicit; &

Fides est veluti manus, quâ meritum Christi apprehendimus.

ampl. Hoc semel ante omnia est observandum: nam,

Quum quæritur, An solâ fide justificetur homo?

Non est quæstio, An fide absque gratia Dei justificemur;

sed est quæstio, An fides solâ sit illud, per quod gratia

Dei, in Christo nobis facta, nobis applicetur?

Atque ita vocabulum SOLA excludit,

non Gratiam Dei, non Meritum Christi;

sed alia media, quibus gratiam Dei apprehendere vult homo,

nempe, Legem, opera Legis, & si quæ alia.

sim. Sit aliquis Mendicus; qui petat à Divite eleemosynam:

Dives ille, misertus hominis, largâ manu ipsum beat;

Ita tamen: ut mendicus manum suam promptè extendat,

atque eleemosynam illam apprehendat, & ad se recipiat.

An Mendicus illam eleemosynam posset adscribere manui suæ?

Minimè: sed eleemosyna data erat, ex liberalitate divitis;

Suâ verò manu nihil meretur, sed datum recipit.

Pariter Deus nobis offert Gratiam suam, in Christo factam:

Fides est manus, per quam Gratiam apprehendimus,

illam nostram facimus, nihil tamen ea meremur.

Hh 3

2. *Doct.*

2. Doct. Videmus etiam hinc,

thes. Unde fit, quòd hæc Justitia, imputata nobis, tam varia sortitur nomina, dicta, modò Dei, modò Christi, modò Fidei.

decl. Quia Deus illam nobis imputat, appellatur

Justitia Dei; ut *in textu*, & Rom. 1. 17.

Justitia ex Deo; ut *Phil.* 3. 9.

Justitia à Deo imputata; ut *Rom.* 4. v. 6. 10. 11.

Quia Christus illam nobis promeruit, appellatur

Justitia per fidem Jesu Christi; ut *in textu*, & *Phil.* 3. 9.

Justitia per redemptionem factam à Jesu; ut *Rom.* 3. 24.

Justitia in sanguine Christi; ut *Rom.* 5. 9.

Justitia per obedientiam Christi; *Rom.* 5. 19.

Quia per Fidem apprehenditur, appellatur

Justitia per fidem; ut *in textu*, & *Phil.* 3. 9.

Justitia in fide; ut *ibid.* *Phil.* 3. 9.

Justitia ex fide; ut *Rom.* 5. 1. *Rom.* 10. 5.

Justitia fidei; ut *Rom.* 4. 11. 13.

opp. Atque huic Justitiæ opponitur, Justitia

Ex operibus Legis, *Rom.* 3. 20. *Gal.* 2. 16.

Ex operibus, *Rom.* 4. 2. Porro, Justitia

Legis, *Rom.* 2. 26.

Ex Lege, *Rom.* 10. 5.

Per Legem, *Gal.* 3. 11.

Propria, *Rom.* 10. 3. Nostra, (mea,) *Phil.* 3. 9.

Usus. Ex quibus apparet error Papistarum; qui

Justitiam Fidei, & Operum, confundunt:

Fidei vix initium Justitiæ tribuunt, dicentes,

Per fidem nos justificari, incoativè, præparatoriè,
per modum dispositionis ad justitiam;

Per opera verò, consummative, & meritoriè,

per modum habitûs, quibus perficiatur Justitia tandem.

Illam appellant Justificationem Primam, incompletam;

hanc verò Justificationem Secundam, & completam.

Justificationem, & Sanctificationem, confundunt;

Quæ tamen manifestè in sacris literis distinguuntur:

Ut supra vidimus, *conc. preced. parte IV.*

Illam ex merito Christi, hæc ex regeneratione Sp. S. orta:

Illam in Remissione, hæc in Expurgatione peccati, consistens.

PARS II.

P A R S II.

Sequitur, *Quomodo nobis hæc Justitia sit revelata?*

Præp. Quum quid novi contingit, solent rogare homines, unde veniat?
ut Judæi, audientes Apostolos variis linguis loqui, dicebant;
Nonne hi omnes Galilæi sunt? quomodo igitur? Act. 2. 8.

Ità meritò quæritur, postquam propria Justitia,
quæ est ex operibus Legis, prostrata est & annihilata,
ubi illa vera Justitia, quæ coram Deo valet, reveletur?

Text. Paulus dicit, Revelatam esse, non ex Lege, sed Euangelio, his verbis;
*Nunc verò absque Lege Justitia Dei manifesta facta est,
Comprobata testimonio Legis & Prophetarum.*

Exeg. Attendite ad hæc, Aud. Revelata est hæc Justitia,

1. *Non ex Lege.*

text. Nunc verò absque Lege Justitia Dei manifesta facta est.

decl. Hoc est, Sinè opera Legis; ut Luth. *Ohne zuthun des gesetzes:*

vel, Sinè operibus Legis; ut infra, *vers.* 27.

Intelligitur autem hîc Lex, & Naturalis, & Scripta:
nam neque illa, neque hæc, docet hanc Justitiam.

rat. Lex enim, quæ Lex est,

Nihil docet, de Liberatione hominis per Christum; seu,
Nihil docet de Justitia fidei:

Sed urget tantummodò Justitiam operum; juxta

Lev. 18. 5. *Homo, qui fecerit ea, vivet in eis.*

Luc. 10. 38. *Fac hoc, & vives.* Sic, Gal. 3. 12:

Porro, quia nemo potest perfectè præstare Legem,

Omnes convincit peccati: *Ex Lege est agnitio pecc.* Rô. 3. 20.

Maledictionem annunciat, Gal. 3. 10. ex Deut. 27. 26.

*Maledictus omnis, qui non manserit in omnibus,
quæ scripta sunt in libro Legis, ut ea faciat.*

Ergo ex Lege non potuit hæc Justitia revelari:

2. *Sed ex Euangelio.*

Thes. Suprà dixerat, Rom. 1. 17. *Justitia Dei per Euangelium revelatur,
ex fide, in fidem; sicut scriptum est, Justus ex fide vivet.*

Euangelium enim est, quod concionatur de hac Justitia:

ut videre est, ex concione illa Euangelica Pauli, Act. 13. 38. 39.

Notum sit vobis, fratres, annunciari vobis rem. pecc. per istum, & c.

¶ *Prolog.*

3) *Prol.* Ne autem quis hanc, ut novam doctrinam, traduceret, dicit Paulus;
text. Esse eam *Comprobatam testimonio Legis, & Prophetarum.*

decl. Etenim, Antiquissima doctrina sine dubio est optima;

| si veram Antiquitatem ostendere & probare queamus.

test. Idcirco Paulus, coram rege Agrippa, & praeside Festo, provocat
 ad Antiquitatem doctrinae Christianae, Act. 26. 22.

Auxilium à Deo nactus, perstiti in hunc usque diem, (inquit,) testificans ista, tum parvis, tum magnis; nec quicquam dicens extra ea, quae Prophetae & Moses futura praedixerunt.

obj. Inquiat aliquis; An non pugnant illa, quae Paulus hic dicit,
 Legem ignorare Justitiam illam; & tamen
 Legem suo testimonio comprobare illam Justitiam?

resp. Non pugnant, haec sic dicta à Paulo: Nam,

Etsi Lex de hac Evangelica Justitia nihil doceat;

Tamen veluti tacite nos ad illam Justitiam manuducit. Etenim,
 Legem Moralem quod attinet: quia illa plus à nobis exigit,
 quam praestare possumus, corrupti scilicet ex nobis ipsi;
 Satis innuit, alibi salutem quaerendam, quam in Lege:

Unde & Lex appellatur *Padagogus ad Christum*, Gal. 3. 24.
 quia instigat homines, ad quaerendum Christum: (Rom. 8. 3.)

Hinc & *Finis Legis* dicitur *Christus, ad justitiã, &c.* Rō. 10. 4.

Legem Ceremonialem quod attinet: illa fuit

Umbra rerum futurarum, at Corpus est Christi, Col. 2. 17.

Umbra obtinebat futurorum bonorum, &c. Heb. 10. 1.

vat. Passim etiã in Lege & Prophetis insperguntur promissiones Euang. ut

Gen. 3. 15. de *Semine mulieris contrituro caput Serpentis.*

Gen. 15. 6. de *Fide, Abrahamo imputata ad justitiam.*

Gen. 22. 18. de *Benedictione omnium gentium, in Semine Abrahami.*

Deut. 18. 15. 18. de *Magno propheta, excitando ex fratribus.*

Esa. 53. 11. de *Justitia, ex cognitione Messiae oritura.*

Jer. 23. 6. de *Germine justo, Jehovahã justitiã nostrã dicto.*

Hof. 2. 19. 20. de *Desponsatione Ecclesiae, cum Deo, in justitia, in misericordia, in fide, ut agnoscat Jehovahã.*

Pfal. 22. 17. 18. de *Christo crucifigendo, dividendis ejus vestib. &c.*

Pfal. 69. 22. de *Felle & aceto propinando eidem, &c.*

Pfal. 16. 9. 10. de *eadem Sepeliendo, & Resuscitando, &c.*

Pfal. 110. 1. de *eadem Sessuro ad dextram Dei, &c.*

Et quis haec omnia, quae complura sunt, recenseret?

n) in st.

inst. Excipiat aliquis; Si Justitia Dei revelatur, non ex Lege,
 | sed ex Euangelio: quomodo justificati sunt veteres, fideles V. T?
resp. Certum est, illos non aliâ ratione justificados fuisse, ac fideles N. T.

Act. 13. 11. Petrus ait; *Per gratiam Domini nostri Jesu Christi, credimus, nos servatum iri, quemadmodum & illos. Sic v. 9.*

Heb. 13. 8. *Jesús Christus, heri, & hodie, idem est, & in secula. Heri, i. e. in V. T. Hodie, i. e. in N. T.*

Confer, *Heb. 11. v. 39. 40.*

Apoc. 13. 8. *Agnus ille Dei, mactatus jam inde, dicitur, à jacto mundi fundamento: scil. decreto Dei, & fide veterum.*

repl. An ergo fideles V. T. etiam habuerunt Euangelium? *Resp.*

Non quidem habuerunt Euangelium, prout nos; nimirum, annunciatum toti mundo, exhibito jam Christo:

Sed tamen habuerunt *Promissiones* Euangelicas; ut supra: unde Paulus dicit, Rom. 1. v. 1. 2. *Euangelium Dei promissum fuisse, per Prophetas suos, in Scripturis sanctis.*

3) *Doct. (duplex.)* Discimus hinc,

1. *Doctrinam, de Justitia Fidei, minimè novam esse:*

Ut calumniantur Pontificij, quando docemus ex Paulo,
Justificari nos fide, absque operibus Legis.

Nec nova hæc est in N. T. nec inaudita in V. T.

Semper & ubique illam Justitiam fidei urget S. Scriptura.

2. Discimus hinc quoque,

thes. Duplicem esse Justitiam, *Legalem, & Evangelicam:*

| *Legalem, homini impossibilem; Evangelicam, salutarem.*

ant. Nusquam verò in S. Scriptura invenitur distinctio Papistica, Justificationis, in Primam, & Secundam; quarum *Primâ* justificemur, incoativè, incompletè, dispositivè, per Fidem, cæterasque ei virtutes cognatas:

Secundâ verò justificemur, planè, ac meritoriè, habitualiter, per Bona opera; ita ut per Bona opera justii efficiamur, & quidem inhæsiivè, non imputativè:

quo pacto confunditur Justificatio cum Sanctificatione; de quo & supra diximus.

concl. Deo autem benignissimo ac misericordii habetor gratia, qui nos in salutarem hanc de Justificatione doctrinam, ex tenebris & confusione Papatûs extractos deduxit, in claram & antiquam lucem Scripturæ V. & N. T.

P A R S III.

Postremò videndum, *Quibus hac Justitia contingat?*

Tract. Hoc quod attinet, Duo dicit Apostolus;

I. *Omnibus in universum eam expectant esse, qui Credunt.*

Text. In omnes, & super omnes, qui credunt: non enim est distinctio.

* *Exeg.* Primò dicit; In omnes, & Super omnes:

Ne quis fidelium existimaret, se exclusum.

Sunt enim promissiones Euangelij universales; juxta illud Christi, Joh. 3. 16. *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum illum unigenitum daret; ut Omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam.*

Idem patet ex eo, quod dicit Paulus infra,

Rom. 3. 29. *An Judaorū Deus est solus? annon & Gentium? Certe & gentium: Siquidem Deus unus est, qui justificat Circumcisionem ex fide, & Preputium per fidem.*

Id quod & dixerat supra, Rom. 1. 10. *Euangelium est potentia Dei, ad salutem, cuiusvis credenti; Judæo primùm, tum etiam Græco, seu Gentili.*

Deinde dicit; *Qui credunt:*

Ne hypocritæ & infideles hanc ad se raperent.

Fideles etiam hinc opponuntur *Justitiariis*; iis videlicet, quis suis operibus volunt justificari, fidem supprimentes.

Denique dicit; *Non enim est distinctio.* Id quod addit,

1. Ad consolationem Gentilium, crediturorum:

Ne illi putarent, se exclusos à promissionibus V. T.

2. Ad doctrinam omnium:

Ne quis existimaret, Justificari partem hominum, ex hac Justitia imputata; partem verò, ex operibus Legis, Justitia propria scil.

Una enim est ratio, & via ad salutem;

Et omnes homines in pari sunt conditione:

Nulla enim est distinctio, inquit Paulus.

Quod ut probet, repetit, quod supra dixerat, v. 9.

Omnes esse sub peccato, & peccatores: inquit,

Omnes enim peccaverunt, ac deficiuntur gloriâ Dei.

Quibus verbis simul insinuat, quod sequitur;

II. *Omnibus*

II. Omnibus esse necessariam hanc Justitiam fidei.

Text. His verbis; *Omnes enim peccaverunt, ac deficiuntur gloriâ Dei.*

Exeg. In quibus verbis duo dicit;

1. *Omnes peccaverunt*: hoc est, Omnes sunt peccatores.

Quod supra probaverat, *vers. 9. & seqq.*

Et Judæos, & Gentes, omnes esse sub peccato.

Itè, *vers. 19.* Ubi concludit; *Ut omne os obstruatur, & Obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei.*

Atqui, Ubi peccatum est, ibi non juvat Lex;

sed Fides, quæ Justitiam alienam apprehendit.

2. *Omnes deficiuntur gloriâ Dei.*

Lutherus vertit, *Deficiuntur gloriâ illâ, quam apud Deum habere debebant,* quam scilicet Legis observatione consequuturi erant.

Textus græcus simpliciter habet, *Deficiuntur gloriâ Dei,*

& quidem propter peccata sua, quibus scitent;

& propter impotentiam præstandi Legem: (pari sensu.)

Id enim propriè significat vox græca, *ὕστερον*,

quum quis post relinquitur, ubi curritur ad metam.

Perinde nos omnes non pervenimus ad metam Gloriæ Dei,

quam promisit Deus, & paravit præstantibus Legem:

Sed longè post principia relinquimur, *ὕστερον*,

in cursu scilicet perfectæ obedientiæ, à Lege requisitæ.

Arripienda ergo est Justitia aliena, Christi videlicet,

quam sola potest arripere, & sibi appropriare Fides.

* *Appl. (in Doct. & Usu.)*

Doct. Discimus igitur hinc,

thes. Omnes homines in pari esse damnatione: itè,

Non esse distinctionem populorum, dummodò credant: deniq;

Omnes unâ eademque viâ salvari; nempe,

test. Per Christum: Nam, *Ipse est Via, Veritas, ac Vita;*

nemo venit ad Patrem, nisi per ipsum, Joh. 14. 6.

Act. 4. 12. *Nec est in alio quoquam Salus: neque enim aliud no-*

men est sub cælo, quod datum sit inter homines, per quod oportet nos salvari; quàm nomen illud Jesu Christi.

Usus. Crede ergo solummodò, & non exclusus eris, *Joh. 6. 37.*

Marc. 5. 36. *Solummodò crede.*

Gal. 2. 16. *Non justificatur homo ex operibus Legis, NISI per Fidẽ:*

καὶ μὴ, Nisi, h. e. Solummodò per fidem: ut Luc. 4. 26. 27.

CONCLUSIO.

R. Audivistis ità, Auditores,

1. Quid per Justitiam Dei intelligatur? nempe,
Non propria ac essentialis Dei ipsius Justitia;
Sed ea, quam nobis ipse ex gratia imputat:
Ubi simul dictum est, Cur hæc Justitia appelletur;
Justitia Christi, & Justitia Fidei.
2. Quomodo reveletur hæc Justitia? nempe,
Per Euangelium: ità tamen, ut etiam confirmetur;
Per testimonium Legis & Prophetarum.
3. Quibus hæc Justitia contingat? nempe,
Omnibus in universum Credentibus:
Quibus omnibus eadem & summè est necessaria;
quia extra eam peccatores sunt omnes,
ac deficiuntur gloriâ Dei, quam exoptant.

C. Optârim, hæc omnia probè considerare Pontificios,
qui omnem lapidem movent, ut Merita operum adstruant,
excutiantque nobis illud, Solâ fide hominem justificari;
h. e. solâ Gratiâ Dei, & Merito Christi unico,
quod Fides sola sibi applicat & appropriat.

Utinam considerarent, quod hîc dicit Apostolus Paulus,
Omnes peccaverant, ac deficiuntur gloriâ Dei.

Utinam considerarent, quod suprâ dixerat, *vers. 9.*

Omnes esse sub peccato, nemine excepto: & vers. 19. [Dei.
Ut omne os obstruatur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi
Conclufit omnes sub peccato, ut omnium miseretur, Rom. II. 32.

Utinam considerarent illud Pauli, *I. Cor. I. v. 30.*

*Christus factus est nobis Sapientia à Deo,
& Justitia, & Sanctificatio, & Redemptio.*

Sic sanè Salutem non quærerent in seipsis,

Non in ludicris, & excogitatis suâ opinione bonis Operibus;
Sed in sola gratia & misericordia Dei, & in solo Christo,

In quo sunt omnes thesauri sapientie & notitie absconditi, Col. 2. 3.

V. Illi soli misericordie Deo, & mitissimo Salvatori Jesu Christo, cū Spiritu S.
uni illi vero Deo, sit laus, honor, benedictio, & gloria,
in omnia secula seculorum, Amen.

CONCIO XXIII.

C O N C I O XXIII.

De Causis Justificationis, &
De Redemptione.

Textus, Rom. III. v. 24. 25. 26.

Ut qui justificentur gratis, id est, ejus Gratiâ, per Redemptionem factam in Jesu Christo: Quem præstituit, ut esset Placamentum, per Fidem, in Sanguine ipsius; ad demonstrationem justitiæ suæ, propter dissimulationem peccatorum, quæ antecesserunt, Deo illa tolerante: &c.

E X O R D I U M.

Υ *ποτύπωσις ὀγκεινόντων λόγων*, Discipulo suo commendat Paulus,

2. Tim. I. 13. *Expressam formam teneto sanctorum verborum, quos à me audivisti, cum fide & charitate, quæ est in Christo Jesu.*

Sanè, in textu prælecto proponit Apostolus, hypotyposin sanæ doctrinæ, de Justificatione hominis coram Deo; à nobis probè excutiendam.

In præcedenti concione, ex verbis proximè antecedentibus, audivimus,

1. De Justitiâ Dei, non sua illa essentiali; sed quam Deus homini imputat, quæ etiam appellatur, Justitiâ Fidei, & Christi:

Fidei, quia verâ fide apprehenditur, & fit nostra;

Christi, quia Christus illam nobis promeruit.

2. Hanc Justitiam revelatam esse, non in Lege, sed Evangelio: itâ tamen, ut testimonio Legis & Prophetarum confirmetur.

3. Quibus hæc Justitiâ contingat? Omnibus Credentibus: & Omnes salvandos oportere habere hanc Justitiam;

Quia omnes sint peccatores, & deficiantur gloriâ Dei.

Mirandum, Apostolum adeò nihil præterire eorum, quæ pertinent ad doctrinam fundamentalem, de Justificatione hominis coram Deo.

Nunc pergite, atque illam Justitiam declarat, à Causis suis; unde oriatur? nempe, à Gratiâ Dei, & Redemptione Christi.

Deinde, assumit Redemptionem factam in Jesu Christo, illamque uberiùs declarat, variis modis.

Quæ omnia si diligenter cum Paulo, & ex Paulo, consideremus, non parùm in doctrina salutari Justificationis proficiemus, & errores circa illam facillè declinabimus.

P. Consideremus ergo hæc verba prælecta : in quibus,

I. Causæ Justificationis proponuntur ; prima, *Gratia Dei*, huicque subserviens, *Redemptio facta in Jesu Christo*.

II. Redemptio illa declaratur, ab ejus Origine, *Præstituto Dei*, Instrumento *Fidei*, Modo *Sanguine Christi*, & Fine?

V. Deus adsit nobis gratiâ Spiritus Sancti, atque concedat, Ut Justificationem Dei, & Redemptionem Christi, non discamus modò, Sed & impetremus, ad lætam fruitionem vitæ æternæ: *Amen*.

P A R S I.

Causa Justificationis primæ ac præcipuæ, proponuntur his verbis;

Text. Ut qui justificentur gratis, id est, ejus *Gratiâ*,

| *Per Redemptionem factam in Jesu Christo*.

Part. In quibus verbis Apostolus Paulus,

I. *Aperit Fontem Justificationis, ex quo illa promanas.*

Text. Dum dicit; *Justificantur gratis, ejus Gratiâ*.

Exeg. Ubi dicit, Fontem Justificationis esse ipsum Deum: & quidem,

1. Primò dicit; *Justificantur ex Gratia Dei*.

| *Per Gratiâ Dei* intelligit hîc Paulus,

ægr. Non, doctrinam Legis & Evangelii, eamque gratuito homini revelatam:

| Nec, Habitum infusum, gratiam à Deo infusam, effectum externum Dei in hominibus; ut Papistæ.

dis. Sed Misericordiam & benignitatem Dei, gratuitam;

| unde, tanquam à primo fonte, fluit,

| Venia peccatorum, Justitia Imputata, Vita æterna.

rat. Probatur hæc interpretatio, ex eo,

1. Quia hæc Gratia opponitur Debito;

Rom. 4. 4. *Ei qui operatur, merces imputatur, non ex gratia, sed ex debito.*

Rom. 11. 6. *Quod si per gratiam, non jam ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia:*

| *Sin ex operibus, jam non est gratia,*

| *alioquin opus jam non est opus.*

2. Quia appellatur, Benignitas & *φιλανθρωπία* Dei.

Tit. 3. v. 4. *Postquam Benignitas, & erga homines Amor, apparuit Servatoris nostri Dei.*

α) 2. Porro

a) 2. Porro dicit; *Justificantur gratis.*

text. Græcè, δωρεάν: h. e. *Gratis*, sine merito.

decl. Quo ipso significat, Quid Deū intus moverit, ad hanc Gratia:

Non Opera nostra, quasi illa præviderit;

nec Fides nostra, quam & ipse præviderit:

Sed Bonitas ac Benignitas sua, & mera Liberalitas;

quod nobis Christum, Filium suum, liberaliter dedit,

qui nobis hanc Justitiam, corā Deo valentē mereretur.

b) *Doct.* Videmus igitur hinc,

thes. Quænam sit fundamentalis Causa nostræ Salutis?

nempe, Gratia & Misericordia Dei.

test. 1. Joh. 4. 10. *Non, quod nos dilexerimus Deum;*

sed, quod ipse dilexerit nos, & miserit Filium suum,

ut esset propitiatio pro peccatis nostris.

Usus. (refutationis.)

err. (cum ref.) Errant proinde,

Papistæ; qui dicunt, Deum prævidisse bona Opera, &

propter illa ipsum hanc gratiam nobis fecisse.

Atqui dicitur ea præparasse, ut in iis ambulemus, Eph. 2. 10.

Si præparavit ea Deus, quomodo eadem in nobis invenit?

Alij; qui dicunt, Deum prævidisse Fidem nostram, &

propter illam ipsum hanc gratiam nobis fecisse.

Atqui dicitur, Phil. 1. 29. *Gratis datum est vobis, in Christi ne-*

gotio, non solum in eum credere, sed etiam pro eo pati.

Si Fides est donum Dei, ut & dicitur Eph. 2. 8.

quomodo eam in nobis, ut causam suæ Gratiæ prævidit?

Altiùs ergo ascendendum est, quàm ad Fidem prævisam;

Fides enim dependet à Gratia Dei, eamq; consequitur;

Ergo, non potest eam antecedere, nedū ejus esse causa.

test. In summa, tenendum est illud fundamentum

Christi, Joh. 3. 16. *Sic Deus dilexit Mundum:*

non dicit, *Sic mundus dilexit Deum.*

Apostoli, 1. Joh. 4. 10. *Non, quod nos dilexerimus Deum;*

sed, quod Deus dilexerit nos: ut supra.

concl. Caveamus igitur alium fontem Justificationis indagare;

Fons Salutis nostræ unicus patet, Misericordia Dei.

Dicamus verò, cū Petro, 1. Pet. 1. 3. *Benedictus esto Deus, P. D. N.*

J. C. qui ex multa Misericordia sua, nos regenuit, & c.

II. *Aperit*

II. *Aperit Canalem, per quem hæc Gratia promanat.*

Præp. Quia enim Deus ita est Misericors, ut etiam sit Justus; ita ut non velit Misericordiam suam exercere, nisi prius Justitiæ ipsius satisfiat: ut est in *Quest. Cat. XI. XII.* Pergit Paulus, & aperit Canalem, per quem hæc Gratia fluit; docetque, Quis Justitiæ Dei satisfecerit, nobisque hanc gratiam Justificationis promeruerit.

Text. Dum dicit; *Per Redemptionem, factam in Jesu Christo.*

Exeg. Quibus verbis vult significare Paulus, *thes.* Deum quidem esse Fontem, hujus gratiæ & misericordiæ; sed Christum esse Canalem, per quem hic fons ad nos fluit: siquidem ille fecerit *Redemptionem*, per quam *Gratiâ Dei* potimur. *hom.* Per *Redemptionem* intelligitur *ἀπολύτρωσις*: hoc est,

1. Vel simplex *Liberatio*, ex malo aut periculo aliquo; ut *Exod. 15. 13. Deduxisti benignitate tua populum, quem redemisti*: h. e. liberasti, ex servitute *Ægyptiaca*.
2. Vel *Persolutio λύτρωσις*, pro captivo, aut obærato; eumque hoc pacto liberare: quæ propriè *ἀπολύτρωσις* dicitur.

appr. In hac postrema significatione hic accipitur, quando dicit Paulus; *Per Redemptionem, factam in J. Christo.*

decl. Quod ut intelligatur, paulò penitiùs inquirendum est.

1. Nos eramus Captivi, & Obæрати, spiritualiter:
 - Captivi*; juxta *Matt. 5. 25. 26. Et in Carcerem conjiciaris, &c.*
 - Partim, sub ira justissimi Dei; de qua testatur Paulus, *Eph. 2. 3. Naturâ filii ira.* *Rom. 5. 9. Ab ira illa.*
 - Partim, sub Hostibus spiritualibus; putà, Peccato, Morte, Diabolo, Inferno: *arg. loc.*
 - Luc. 1. 74. Ut è manu Inimicorum nostrorum liberati*: h. e. Peccati, & Mortis, quæ debetur peccato, *Rom. 6. 23. Diaboli, qui potestatem mortis accepit, Heb. 2. 14. Zach. 9. 11. Sanguine federis emisi vinctos tuos, è cisterna, in qua nulla aquæ*: h. e. ex Inferno, *1. Cor. 15. 55.*

Obæрати; propter Debitum peccatorum nostrorum:

Ut patet ex *Orat. Dom. Remitte nobis debita nostra.*

Id quod Christus declarat, parabolâ illâ, *Matt. 18. 23. &c. de debitore decies mille talentorum, &c.*

Itè illâ, *Matt. 5. 25. 26. Non exhibis illinc, usquedum reddideris extremum quadrantem.*

2) *Christus,*

2) 2. Christus is est, qui λύτρον perfolvit.

Matt. 20. 28. *Filius hominis non venit, ut sibi ministretur; sed ut ministret, detque animam suam, (h. e. vitam,) in redemptionis pretium, pro multis: λύτρον ἀντι πολλῶν.*

1. Tim. 2. 6. *Christus sese ipse dedit, redemptionis pretium pro omnibus, (credentibus scil.) ἀντιλύτρον ὑπὲρ πάντων.*

3. Redemptionis pretium, seu λύτρον est, Sanguis Christi:

De quo, Zach. 9. 11. *Sanguine federis emisit vinetos tuos, &c.*

1. Joh. 1. 7. *Sanguis 7. Christi, F. D. purgat nos ab omni peccato.*

Quod est pretiosissimum λύτρον, teste Petro, & Paulo,

1. Pet. 1. 18. 19. *Redempti estis, non argento vel auro, &c. sed pretioso sanguine Christi, Agni inculpatis & incontaminatis.*

1. Cor. 6. 20. *Emti estis pretio: eoque satis pretioso, utpote oblatione corporis sui, Heb. 10. v. 10.*

4. Perfolvit autem hoc λύτρον Christus,

Non Satanæ: Nam is quidem detinebat hominem captivum; sed non erat Dominus, nec competens Judex, sed Minister.

Sed Deo: Cui soli peccaverat homo, ut *Psal. 51. 6.*

quique justo judicio peccatorem tradiderat Diabolo;

eò quòd huic magis, quàm Deo, obtemperaverat homo.

Confer, *Heb. 2. 14. 15. 2. Tim. 2. 26. Matt. 5. 25.*

5. Deus etiam hoc λύτρον Filij sui acceptavit: nam,

Matt. 3. 17. *Hic est Filius meus Dilectus, in quo acquiesco.*

3) *Doct.* Hæc verè Gratia est, supra Gratiam; ut dicitur,

test. Joh. 1. 14. Ex plenitudine ipsius (Christi sc.) omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Etenim,

decl. Ex gratia Deus misertus est nostri, quum essemus miserrimi;

Nihil eum ad hoc ipsum movit, quàm intima sua Bonitas:

Ex gratia nobis, quum non aliter posset satisfieri Justitiæ suæ,

misit Filium suum unigenitum è cælo, ut pro nobis satisfaceret.

Usus. Cur non hanc Gratiam gratâ mente recoleremus? hunc Amorem?

thes. Cur non vicissim Deum diligeremus, ex toto corde, &c? *Matt. 22.*

Cur non offerremus nos ipsi hostiam vivâ, sanctam, &c? *Rom. 12.*

Ei scilicet, qui seipsum obtulit sacrificium, pro peccatis nostris?

test. Cur non caneremus, cum Davide, *Psal. 103. v. 1. & seqq.*

Benedic anima mea Domino, &c. Ne obliviscaris ullius, &c.

Qui condonat iniquitates tuas, medetur omnibus morbis tuis, &c.

Misericors & graciosus est Jehova, &c. &c.

P A R S II.

Redemptionem per Christum factam ulterius describit Paulus, *Text.* His verbis; *Quem praestituit Deus, ut esset Placamentum, per Fidem, in Sanguine ipsius: ad demonstrationem justitiae suae, propter dissimulationem peccatorum, quae antecesserunt, Deo illa tolerante; ad demonstrationem justitiae suae, praesenti tempore: ut sit ipse justus, & justificans eum qui est ex fide Jesu.*

Prop. Nimirum, ne quis diu multumque inquireret, *Qualis sit illa Redemptio?* Describit illam Apostolus, paucis sed dignissimis verbis:

In quibus complectitur omnia, de Redemtionem scitu necessaria;

1. A prima ejus origine, *Præstituto Dei:*
2. Ab instrumento, quo Redemptio apprehenditur, *Fide:*
3. A forma, seu modo, quo Redemptio est facta, *Sanguine ipsius:*
4. A Fine, *Ad demonstrationem justitiae, & Remiss. peccatorum.*

Tract. Videamus singula, ex ordine.

I. De prima Redemptianis Origine, sic ait Paulus;

Text. *Quem praestituit Deus, ut esset placamentum.*

Exeg. Duo dicit Apostolus Paulus,

Primò dicit, quòd Deus eum Præstituerit.

text. *Quem praestituit Deus: (ὃν προϋπέτατο. conf. Rom. 8.28.c. 9.11.)*

decl. Quomodo Deus praestituit Christum? Hoc vult dicere,

1. Deus Christum ab aeterno praordinavit, ad hanc Redemtionem:

Ut non solum esset Redemptor mundi;

sed etiam hoc, quo factum est, modo redimeret.

Sic 1. Pet. 1. 20. Christus dicitur *Præcognitus, prædecretus, ante jacta mundi fundamenta.*

2. Deinde Christum justo tempore exhibuit Deus:

Ut ibidem, 1. Pet. 1. 20. *Factus autem manifestus, ultimis temporibus, ad nos redimendos scil.*

Sic Gal. 4. v. 4. *Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex Muliere, &c.*

3. Denique dicitur praestituere Christum, quia ad hunc invitat:

Esa. 55. 1. 2. *Heus quis quis sitit, venite ad istas aquas, &c.*

Confer Matt. 22. v. 1. - 4.

Matt. 17. 5. *Hic est Filius ille meus, dilectus ille, in quo acquiesco; ipsum audite.*

;) Deinde

1) Deinde dicit, *Ad quid eum præstituerit?*

text. Ut esset *Placamentum*, seu Propitiatorium:

| græc. *ἱλαστήριον*, hebr. *Capporeth*, Expiatorium.

decl. Respicit Paulus, ad Operculum Arcæ federis impositum;

quod vocabatur *ἱλαστήριον*: Heb. 9. 5. ex Exod. 25. 17.

Vult igitur docere Paulus,

Christum per illud Operculum fuisse figuratum;

Adeoque Placamentum, olim in figura promissum,
in Christo verè fuisse adimpletum.

typ. Egregia verò est similitudo, inter Christum, & illud Propitiatoriū.

1. Propitiatorium tegebat Arcam, in qua erat Lex, Heb. 9. 4.

Christus tegit *Maledictionem* Legis, dum pro nobis
factus est maledictio, Gal. 3. 13.

2. Ad Propitiatorium dabantur responsa, consulentibus Deum:

Per Christum dantur responsa gratiæ; juxta

Joh. 1. 18. *Unigenitus ille Filius*, exposuit nobis.

3. In Propitiatorio erant Cherubim impositi,

qui versus Arcam, quasi mirabundi, spectabant;

Cherubim autem sunt Angeli sancti Dei.

Sic quoque Angeli cupiunt introspicere mysteria Euangelii;

ut testatur Petrus Apostolus, 1. Pet. 1. 12.

Angelis etiam nota est facta, per Ecclesiam,

multiformis illa sapientia Dei, Eph. 3. 10.

2) *Doct.* Discimus igitur hinc

thes. Apud quem, & per quem, hæc tanta Gratia accipiatur?

| nempe, Apud Christum, Propitiatorem nostrum.

test. Prout dicitur, 1. Joh. 2. 2. *Et ipse est Propitiatio*, *ἱλασμός*, pro
peccatis nostris; nec pro nostris modo, sed & totius mundi.

Hinc Heb. 4. 16. *Accedamus igitur, cum fiducia, ad Thronum gra-*

tia, (ad Propitiatorium hoc, à Deo nobis præstitutū,) ut consequamur
misericordiam, & gratiā inveniamus, ad opportunū auxiliū.

Matt. 11. 28. 29. *Venite ad me*, & invenietis requiē animabus vestris.

Usus. Discant etiam compescere curiositatem suam, qui quærunt,

An non potuerit Deus aliā ratione redimere mundum?

Sufficiat nobis, Deum sic præstituisse, sic ei placuisse:

Col. 1. 19. *Libuit Patri, ut omnis plenitudo in eo inhabitaret.* Confer,

1. Cor. 1. 21. *Libuit Deo, sic servare credentes.* Itē,

Matt. 11. 26. *Etiam Pater, quia sic placuit tibi.*

II. De Medio, quo hac Redemptio apprehenditur,

Text. Sic Paulus ait; Quem præstituit Deus placamentum, *Per Fidem.*

Exeg. Quo ipso vult docere Paulus duo:

1. Fidem esse conditionem, sub qua Christus nobis est præstitutus in Placamentum, seu Propitiationem. Testatur id ipse Christus; Joh. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat V. Æ.*
2. Fidem esse organum, quo solo arripimus Propitiationem Christi. Id sequitur ex eo, quod Paulus infra ait, Rom. 3. v. 28. *Colligimus igitur, Fide iustificari hominem, Absque operibus Legis.* Christus enim solus nobis meruit nostri Justificationem: Bona nostra opera nihil merentur, ut imperfecta, debita. Fides sola est, quæ meritum illud Christi sibi applicat: Bona opera non sunt id medium applicationis; quanquam de Fide testantur, eam veram esse.

Appl. (in triplici Doct. & Usu, mixtim.) Videmus hinc, Auditores,

1. Non rectè sentire eos, qui dicunt, Omnes esse electos.

Paulus hinc dicit expressè, Christum esse à Deo præstitutum Placamentum, *per Fidem.* Atqui,

Fides non est omnium, 2. Thesi. 3. 2.

Sic suprà dixerat Paulus, Rom. 3. 22. *Justitia Dei per Fidem Jesu Christi, in omnes, & super omnes, qui Credunt.*

Quanquam enim Fides non sit causa Electionis;

tamen, quia Fides est infallibilis effectus Electionis, sequitur, si non omnes credant, nec omnes electos esse.

2. Consolationi verò singulari hoc esse omnibus Credentibus: nam, Etiam si hæc Gratia non est communis omnium hominum; Tamen est omnium Credentium, in universo mundo, sine distinctione: ut & suprà ibidem dictum est, *vi. 22.*

3. Denique, errare illos vehementer,

Qui aliis mediis, quàm solâ Fide, hanc Gratiam exambiunt:

Ut faciunt Papistæ, qui *Meritum* asuunt Gratia.

Atqui vocabulum *Meriti* pugnat,

non tantùm cum unico Merito Christi,

sed etiam cum unico Organo Fidei, Christum apprehendentis.

Hinc Opera promiscuè opponuntur, in hac Epist. ad Rom.

tùm Fidei, tum Gratia Dei, tum Merito Christi:

ut deinceps, cum Deo, in sequenti tractatione patebit.

III. De Modo

III. De Modo, quo hac Redemptio facta est,

Text. Ità Paulus ait; *In Sanguine ipsius, Christi scil.*

Exeg. Quibus verbis docet Apostolus,

¶ Non solùm, Quodnam sit illud, quo redempti sumus?

thes. Nempe, Sanguine Christi.

test. Idque, juxta complura alia dicta Scripturæ:

1. Joh. 1. v. 7. *Sanguis Jesu Christi, Filii Dei, purgat nos ab omni peccato.*

Rom. 5. 9. *Justificati igitur ejus Sanguine.*

1. Pet. 1. 18. *Redempti sumus pretioso Sanguine Christi, utpote Agni inculpato, & incontaminati.* *Causa attextitur,*

Heb. 9. 22. *Omnia fere secundum Legem sanguine purificantur, & absque sanguinis effusione non fit Remissio.*

nom. Porro, hic Sanguis appellatur, *Sanguis Dei:*

Act. 20. 28. *Deus acquisivit sibi Ecclesiam, proprio suo Sang.*

Sic. 1. Joh. 1. 7. *Sanguis Jesu Christi, FILII DEI.* *Confer,*

Heb. 9. 14. *Sanguis Jesu Christi, qui per Spiritum eternum, (h. e. Deitatem suam,) seipsum obtulit inculpatum Deo.*

sens. Intelligitur autem, per Sanguinem Christi,

Ejus Passio, & Mors; vel,

Sacrificium, quod fecit Redemptor pro nobis;

ut pro peccatis nostris Deo satisfaceret,

nosque à potestate Diaboli, & damnatione, liberaret.

¶ Sed etiam, Quodnam sit illud, quod Fide amplecti debemus?

thes. Nempe, Sanguis Christi; qui credendus est nobis. Nam,

decl. Quamvis, in negotio Justificationis, Fides nostra amplectitur

Totum Christum, cum omnibus suis beneficiis;

Tamen terminatur propriè in ejus Sanguine & Morte,

ut proxima & propria causa Remissionis peccatorum.

test. Heb. 2. 14. *Particeps factus est carnis & sanguinis, ut per mortem aboleret, penes quem potestas Mortis, h. e. Diabolū.*

Rom. 4. 25. *Traditus morti, propter offensas nostras; & suscitatus, ad nostri justificationem, confirmandam scil.*

Rom. 5. 6. 8. *Quñ essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus.*

1. Pet. 3. 18. *Christus semel pro peccatis mortuus fuit, justus pro injustis, mortificatus carne, vivificatus Spiritu.*

Matt. 26. 28. *Hoc est enim Sanguis meus, Novi federis, qui pro multis effunditur, in remissionem peccatorum.*

n) Doct. Discimus hinc,

thes. Hominem justificari, non dignitate ipsius Fidei;
| sed per Sanguinem Christi, Fide apprehensum.

decl. Ut & præcedenti concione diximus, Fide nos justificari;
Non materialiter, & effectivè;

Sed instrumentaliter, & objectivè. Suprà, pag. 245.

us. (ref.) Perſpicimus simul hinc, quàm impii sint, (Sociniani,)

err. Qui docent, Christum nihil nobis promeruisse: sed,
Propitiationem & Redemtionem Christi, in eo consistere,
Quòd nos docuit viam salutis, miraculis confirmavit,
Exemplum patientiæ nobis in seipso proposuit,
Tandemque judicaturus mundum, &c.

ref. An non hoc est contra expressum Dei verbum? ubi dicitur,
Deus præstituisse Christum, ut esset Placamentum,
per fidem, in Sanguine ipsius, ad demonstr. justitiæ:
Christus venisse, ut det animam, seu vitam suam,
ἡ λύτρωσις ἀντιπολλῶν, Matt. 20. 28.

Christus sese ipsum dedisse, redemtionis pretium, pro
omnibus credentibus, *ἀντίλυτρωσις ὑπὲρ πάντων*, 1. Tim. 2. 6.

trans. Sed de hoc ipso & suprà diximus: Sequitur nunc,

IV. De Fine, in quem hæc Redemptio facta est.

Text. De illo Paulus, sub finem textus; *Ad demonstrationem justitiæ
sue, propter dissimulationem peccatorum, &c. &c.*

Exeg. Quibus verbis duplex finis Redemtionis proponitur;

1. Ut Justitiæ Dei hoc pacto satisfaceret:

2. Ut fideles Remissionem peccatorum acciperent.

Sed quia tempus est elapsum, differemus ista in seq. concionem.

C O N C L U S I O.

R. Nunc audivistis, 1. 2.

C. Summa horum omnium comprehenditur, in illo 1. Cor. 1. 30.

Christus factus est nobis à Deo, Sapientia, Justitia, Sanctificatio, Redemptio.

Omnia habemus in Christo, sed omnia ea à Patre nobis sunt data;

& habemus horum omnium testimonium in cordibus nostris, Spiritū S.

V. Unde meritò cum Paulo concludimus, (ex 2. Cor. 13. v. 13.)

Gratia Domini nostri Jesu Christi, & Caritas Dei Patris, &

Communicatio Spiritus Sancti, sit cum omnibus nobis. Amen.

CONCIO XXIV.

CONCIO XXIV.

De Fine Redemptionis.

Textus, reliq. Rom. III. v. 25. 26.

Ad demonstrationem Justitiæ suæ, propter dissimulationem peccatorum, quæ antecesserunt, Deo illa tolerante: Ad demonstrationem Justitiæ suæ, præsentis tempore; ut sit ipse justus, & justificans eum qui est ex fide Jesu.

E X O R D I U M.

Proximè præcedenti concione hunc textum cœpimus explicare, reservatâ hac particulâ, de Fine Justificationis, nunc explicandâ.

Diximus autem, ex verbis textum hunc præcedentibus,

I. De Justificatione; esse illam originaliter à Dei gratia, Christum verò illam suâ Redemptione nobis promeruisse.

II. De Redemptione autem illa, per Christum facta, diximus;

1. Illam originem suam duxisse, à Præstituto Dei:

Qui Christum ab æterno ordinavit, non Redemptorem modò; sed etiam, quâ ratione nos deberet redimere:

Qui in tempore misit Filium, factum ex muliere, Gal. 4. 4. eumque adhuc curat proponi, in Verbo & Sacramentis suis.

2. Fidem solam esse conditionē, sub qua Redemptio nobis promittitur; unicumq; medium, quo illâ apprehendimus, nobisq; applicamus.

3. Sanguinem Jesu Christi esse id, per quod nos redemit; quodque verâ fide apprehendi debet, ad nostri justificationem.

Jam porrò nobis dicendum erit, Quo fine hæc Redemptio sit facta?

Idipsum enim Apostolus quoque docet, in verbis prælectis, dum ait;

Factum hoc esse, *Ad demonstrationem Justitiæ Dei,*

Propter dissimulationem peccatorum, Deo illa tolerante, &c.

Intelligitur autem hæc Justitia Dei,

Non solùm ea, quâ peccata hominis non dimittit impunita;

Sed etiam Justitia Gratiæ, i. e. promissio misericordiæ suæ.

Ita ut duplici fine Redemptionem procurârit, ut ita manifestaret,

1. Gratiam suam, in peccatis nostris per Christum remittendis;

2. Justitiam suam, in peccatis nostris in Christo punitis.

P. Uterque

P. Uterque finis in verbis prælectis urgetur, *vers. 25. 26.*

Primus, dictus *Finis* $\bar{\sigma}$, Quibus, quorumque bono Redemptio facta sit;
Alter, dictus *Finis* $\bar{\tau}$, Cujus rei gratiâ eadem sit facta.

Utrumque finem comprehendit Paulus, in verbis prælectis posterioribus;
Ut sit ipse justus & justificans eum qui est ex fide Jesu.

Utrumque igitur finem hac concione declarabimus, dicturi

I. *Quomodo nostro bono facta sit Redemptio?*

II. *Quomodo ad gloriam Dei eadem sit facta?*

V. Deus adit nobis gratiâ suâ, regatque nos Spiritu suo Sancto,
Ut ex corde lætemur, Christum nostro bono venisse,
Ut Deum glorificemus, propter hanc gratiam Justitiæ: *Amen.*

P A R S I.

Primus finis, in *Nostrum bonum*, proponitur his verbis;

*Text. Ad demonstrationem Justitiæ suæ, propter dissimulationem
peccatorum, quæ antecesserunt, Deo illa tolerante.*

Exeg. In genere hoc vult dicere Paulus, Christum à Deo

*Gen. Præstitutum esse, Placamentum, per fidem, in Sanguine ejus,
Ut nos miseròs peccatores, ob peccata damnationi subjectos,
gratuitâ remissione peccatorum justificaret:*

*Prout & in fine subjicit hæc verba; Ut sit ipse Justus, &
Justificans eum qui est ex fide Jesu.*

Spec. Consideremus hæc verba particulariùs. Dicit igitur, (duo,)

I. *Propter dissimulationem peccatorum.*

Decl. Intelligit Remissionem peccatorum; $\kappa\alpha\iota\ \sigma\epsilon\sigma\iota\tau\ \iota\ \epsilon\ \alpha\phi\epsilon\sigma\iota\tau$:
quæ habet sibi connexam Imputationem justitiæ.
Propter quam, & liberamur à damnatione æterna,
& efficimur heredes vitæ æternæ.

Doct. Unde discimus, Quid sit Justificatio hominis?

thes. Nempe, nihil aliud, quàm Remissio peccatorum.

test. Probatum hoc variis S. Scripturæ testimoniis:

β Luc. 1. 77. Zacharias, pater Joh. B. dicit de ipso;
*Daturum eum cognitionem salutis populo Dei,
Per remissionem peccatorum ipsorum.*

2. Cor. 5. 19. Paulus dicit; *Deum sibi reconciliasse mundum,
in Christo: qua in re? Non imputando eis offensas eo-
rum: h. e. remitterdo eis peccata, causas iræ.*

α) *test.*

*a) test. Marc. 1. 4. Johannes baptizabat, & predicabat Baptismum res-
piscencie, in Remissionem peccatorum.*

Scilicet, hic finis totius prædicationis Euangelij, *Remissio pecc.*

*Act. 13. 38. ut & Paulus; Notum sit vobis, fratres, annunciari vobis
Remissionem peccatorum, per istum, Christum sc.*

*Psal. 32. 1. 2. David prædicat Beatum hominem, cuius sublata de-
fectio, tectum peccatum, cui non imputetur iniquitas.*

Quod exinde repetit Paulus, *Rom. 4. v. 6. 7. 8. indè probans
iustitiæ Imputationem, absque operibus.*

*Esa. 1. 18. Propheta consolaturus populum, consolatur Remissione
peccatorum; Si fuerint peccata vestra, velut dibapha, tanq. nix
exalbescent: Si rubra ut coccineum, similia lana.*

*Luc. 18. 14. Christus de Publicano dicit; Descendisse eum justifica-
tum in domum suam, præ Phariseo superbo. Atqui,
Nil petierat Publicanus, præterquam Remissionem peccatorum;
v. 13. O Deus, propitius esto mihi peccatori.*

*Matt. 9. 2. Christus consolaturus Paralyticum, dicit ei;
Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua.*

*β) Usus. Hac ergo solâ consolatione te, ô pie, erige,
thes. Remissa tibi esse peccata tua: quo posito,
| Justus es coram Deo, & heres vitæ æternæ.*

ant. Papistæ urgent propriam iustitiam:

*Sed tu dic; Sufficit mihi, me justum censerî à Deo,
& Remissa mihi esse peccata mea.*

*Diabolus sæpè has cogitationes movet, ac instillat,
Impurum non ingredietur in regnum cælorum, Apoc. 21. 27.*

*Sed tu dic; Impurus quidem sum, sed hæc mea consolatio,
quòd pro puro reputor à Deo,
quòd omnis impuritas mea merito Christi est sublata.*

*concl. In summa, Hoc ipso te consolare,
Dissimulari à Deo peccata tua, hoc est,
Remissa esse tibi peccata tua: nam, Cognata &
Synonyma sunt, ἀφίσις & παράσις τῶν ἀμαρτιῶν.*

*Hoc, inquam, solo te consolare, Remissa tibi esse peccata:
Nam indè dependet tota Salus hominis.*

*Unde & in Symbolo Apostolico, seu Articulis fidei,
post articulum, de Remissione peccatorum,
statim sequitur articulus, de Vita æterna.*

II. *Quæ antecesserunt, Deo illa tolerante.*

Text. In græco textu est, προγεννητότων ἀμαρτημάτων; hoc est,
Peccatorum, *quæ antecesserunt*, quæ antea facta sunt.

Additur, ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ; hoc est,

Ex tolerantia Dei, *Deo illa tolerante.*

Decl. Intelliguntur autem hic, per id quod dicitur,

1. *Quæ antecesserunt, προγεννητότων,*

Non *Homines*, qui fuissent in Limbo patrum, ante adventum Christi in carnem, ut Papistarum est opinio:

Sed *Peccata*, quæ antecesserunt; & quidem,

¶ Non, quæ antecesserunt Baptismum, & Justificationem:

Quasi peccata, quæ sequuntur postea,

Planè non remitterentur; ut docuere Novatiani:

Non expientur Sanguine Christi, ut antecedentia;

ut docent Pontificij, Sequentia Baptismum peccata propriâ pœnitentiâ & satisfactione esse expianda:

ut & Anabaptistarum nonnulli sentiunt, Christum mortuum tantum esse, pro peccato Adami.

Quod si verum esset, cur diceret Apostolus Johannes?

1. Joh. 1. 7. *Sanguis Jesu Christi, Filij Dei, purgat nos ab OMNI peccato.* Cur diceret, *Omni*?

1. Joh. 2. v. 1. 2. *Ne peccetis: Quod si quis peccarit, habemus Advocatum apud Patrem, Jesum Christum iustum.*

Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris;

nec pro nostris solum, sed & pro totius mundi peccatis:

quamdiu is stabit, eruntque qui peccent, & credant.

¶ Sed, quæ in Veteri Testamento erant admissa:

test. Ut & Paulus docet, Heb. 9. 15. *Itaque ob id novi patti Mediator est, ut morte, ad redemptionem earum transgressionum intercedente, quæ fuerant sub prioro pacto, qui vocati erant, promissam aeternam beatitudinem acciperent.*

prol. Non autem vult docere his verbis Apostolus,

Tantummodò peccata V. T. esse expiata per Christum;

Quasi peccata, sub N. T. admissa, non sic expientur:

Sed ita loquitur Apostolus, certâ ratione,

etiam peccata antecedentia fuisse expiata,

non aliter, quàm per Christum: (ut in seq. v)

v) fir:

2) *fin.* Addit autem hæc verba, *Quæ antecesserunt*, Paulus,

1. Ut innuat impotentiam Ceremoniarum V. T.

quæ non potuere expiare peccata: juxta

Act. 13. 39. *Ab omnibus, à quibus non potuistis per Legem Mo-
sis justificari, per hunc (Christum sc.) credentem quemvis ju-
stificari.*

Heb. 10. 4. *Non potest sanguis taurorum & hircorum peccata
auferre: (nisi sacramentaliter, Heb. 9. 13. 14.)*

2. Ut vim Redemptionis Christi ostendat;

quæ sufficit, non tantum ad peccata N. T.
sed etiam ad peccata V. T. expianda.

3. Ne dubitemus, peccata nostra in N. T. expiata esse;

In quo scilicet Christus est exhibitus, olim promissus:

siquidem idem & expiaverit peccata V. T.

Unde Paulus ait, Heb. 13. 8. *Jesus Christus heri & hodie
idem est, & in secula. (Conf. Heb. 11. 40.)*

Item Spiritus, Apoc. 13. 8. *Christum esse Agnum illum ma-
tatum, jam inde à jactò mundi fundamento:*

hoc est, Omnia peccata, jam inde ab initio mundi admissa,
non expiari aliter, quàm per Redemptionem Christi.

3) 2. *Deo illa tolerante.*

thes. Addit hoc Paulus, ut significet, Deum in V. T. non aliter
remisisse peccata, quàm per Meritum Christi.

rat. Nam, etsi Christus in V. T. nondum satisfecerat, ut *nunc*;

tamen Deus patientiam habebat: quia futurum erat,
ut tandem re ipsa satisfaceret Christus; *ἐν τῷ ἰὺν κριεῖν,*

sim. Quemadmodum Creditor acquiescit, si Debitor non sit solvendo,

Dummodò alius veniat, ac spondeat, se soluturum pro eo:
Etsi terminum solutionis paulò diutiùs extendat.

Ità quoque Deus patienter toleravit peccata V. T.

Quia Sponsor Christus semetipsum obtulerat,
se satisfacturum pro debitis antegressis omnibus:

Ut Apostolus, ex *Psal.* 40. 7. 8. 9. docet, Heb. 10. 5-10.

*Tum dixi, Ecce adsum, in capite libri scriptum est de me,
ut faciam, Deus, voluntatem tuam.*

*Quà voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis
Jesu Christi, semel factam. Semel factam ait, nempe,
in plenitudine temporis, Christo exhibitò, Gal. 4. 4.*

P A R S II.

Trans. Ità audivistis, Audd. Ut humani generis bono sit facta Redemptio.
Sicut autem Gloria Dei summus est finis, ad quem omnia fiunt;
Sic quoque hæc Redemptio procurata fuit à Deo, ad *Suam Gloriam*,
& quidem, ut *Justitia Dei* indè manifestaretur.

Text. Prout dicit in textu Paulus;

Ad demonstrationem Justitiæ suæ: quod paulò post repetit;

Ad demonstrationem Justitiæ suæ, presenti tempore:

Ut ipse sit Justus, & Justificans eum qui est ex fide Jesu.

Exeg. Intelligitur hìc per *Justitiam Dei*,

hyp. Ut & suprà diximus, (pag. 242. 243.)

1. Integritas, sanctitas, perfectio, & bonitas Dei; ut,
Psal. 11. 7. *Justus est Jehova, qua justa sunt diligit.*
Esa. 6. 3. *Sanctus, sanctus, sanctus, Jehova Zebaoth.*
Matt. 5. 48. *Estote perfecti, ut Pater ille vester cælestis perfectus est.*
Matt. 19. 17. *Nemo est bonus, nisi solus Deus. &c.*

2. Veritas Dei, & Fidelitas ac constantia in promissionibus: ut,
1. Joh. 1. 9. *Si confiteamur peccata, ipse fidelis & justus est, &c.*
Rom. 3. 4. *Esto Deus verax, sicut scriptum est; Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas (purus, justus sis,) quando tu judicas.*

3. Misericordia, & gratia Dei: ut,
1. Sam. 12. 7. (9.) *Contendam vobiscum, de omnib. justis factis Dei, que fecit vobiscum, & cum majorib. vestris: i. e. factis misericord-*
Sic Matt. 6. v. 1. 2. *Justitia significat Eleemosynam.* [dic.
Pariter, Dan. 4. 24. (27.) *Justitia, i. e. gratia erga afflictos.*

4. Judicia justa Dei, quæ est Justitia vindicativa: ut,
2. Thes. 1. 6. *Justum est apud Deum, vicissim reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem. V. 5. Indicium justii judicii Dei.*
Psal. 119. 75. 137. *Justus es Jehova, & justa judicia tua.*

thes. Omnibus his modis Justitiam suam declaravit Deus, in Redemtionem.

1. Rectitudinem & integritatem Dei quod attinet,
Illa effulsit, in toto opere Redemtionis: nimirum,
Sapientia; Rom. 11. 33. 1. Cor. 1. 19. 20.
Potentia; 1. Cor. 1. 24. Rom. 1. 16. cap. 9. 22.
Libertas voluntatis justa; Matt. 20. 13. 14. 15. Rom. 9. 14. 15.
Bonitas, Sanctitas, Perfectio, &c. ut patebit ex sequentibus.

2. Verit-

2. Veritatem Dei, in promissionibus, quod attinet,
thes. Illa etiam effulgit in opere Redemptionis: nam impleta omnia,
 non solum, quæ Comminatus fuerat;
 sed etiam, quæ Promiserat.
- test.* Comminationes Dei quod attinet,
 Minatus fuerat Deus,
 Gen. 2. 17. *Quo die comederis, Morte morieris.*
 Deut. 27. 26. *Maledictus, qui non prestiterit verba Legis.*
 Impletum hoc est, in negotio Redemptionis: nam Christus,
 Mortuus est, justus pro injustis, 1. Pet. 3. 18.
 Maledictio factus est, pro nobis, Gal. 3. 13.
- Promissiones Dei quod attinet,
 Promiserat Deus,
 Gen. 3. 15. *Semen Mulieris conteret caput Serpentis.*
 Gen. 22. 18. *Benedictæ erunt in Semine tuo omnes gentes.*
 Jer. 23. 6. *Vocabitur, Jehova justitia nostra.*
 Zach. 13. 1. *Die illo erit fons apertus, domui Davidis, &
 habitatoribus Hierosolymæ, pro peccato & immunditia.*
 Esa. 53. 5. *Dolore afficitur à defectiombus nostris, atteritur
 ab iniquitatibus nostris, tumice ejus fit curatio nobis.*
 Sic vers. 6. v. 7. v. 8. & v. 11.
- Impleta hæc omnia & singula sunt in Redemptione:
 Gal. 4. 4. *Postquam venit plenum tempus, misit Deus Filium
 suum, natum ex Muliere, factum Legi subjectum, & c.*
 Gal. 3. 16. *Abrahamo dictæ sunt promissiones, & semini ejus:
 Non dicit, Et Seminibus, ut de multis; sed, Et Semini
 tuo, qui est Christus.*
 Eph. 1. 3. *Benedictus esto Deus, & Pater D. N. J. C.
 qui benedixit nobis omni benedictione, in Christo.*
 1. Cor. 1. 30. *Christus factus est nobis Sapientia à Deo,
 & Justitia, & Sanctificatio, & Redemptio.*
 1. Joh. 1. 7. *Sanguis Jesu Christi, Filii Dei, purgat nos
 ab omni peccato. Hic Fons apertus ille.*
 Col. 2. 14. 15. *Deleto, quod adversum nos erat, rituum chi-
 rographo, nobis subcontrario; ipse verò cruci affixum è me-
 dio sustulit, & c. 1. Pet. 2. 24. & c.*
- Hinc illud, *Sicut loquutus est patrib. nostris; per os Prophetarum,
 Mariæ, Luc. 1. 55. Zachariæ, Luc. 1. 68. 69. 70.*
- L 1 3
- §) 3. Misericord-

23. Misericordiam Dei quod attinet,

ibid. Illa quoque singulariter effulset, in opere Redemptionis:

| Summus enim Amor hinc patuit, Patris, & Filii.

test. P A T R I S: Annon fuit summus ille Dei amor? quòd,

Rom. 8. 32. *Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, in mortem scilicet.* Unde alibi dicit,

Rom. 5. 8. *Commendat suam erga nos charitatem Deus, eò quòd, quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est.* V. 10. *Quum inimici essemus, &c.* Hinc Christus,

Joh. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum, illum unigenitum dederit, ut quis quis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam.* Eandem charitatem celebrat Johannes,

1. Joh. 4. 9. 10. *Per hoc manifesta facta est charitas Dei in nos, quòd Filium suum unigenitum misit in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & miserit Filium suum, ut esset propitiatio pro peccatis nostris.* Hinc Paulus,

Act. 20. 28. *Deus acquisivit sibi Ecclesiam, suo illo proprio Sanguine: nempe Sanguine Filii sui, Jesu Christi.*

Hujus loci sunt dicta, quæ prædicant Paternum Dei amorem:

Psal. 103. 13. *Ut miseretur pater liberorum, sic Deus &c.*

Esa. 49. 15. *An oblivisci potest mulier fætus sui, ut non misereatur filii uteri sui? Etiam hæc &c.*

Jer. 31. 20. *Perstrepunt viscera mea, omnino miserebor filii, &c.*

F I L I I: Qualis sit hujus amor, declarat ipse Filius,

Joh. 15. 13. *Majorem charitatem nullus habet, quàm istam, ut quispiam animam suam deponat pro amicis.* Indè Paulus,

Gal. 2. 20. *Vivo ego, per fidem illam Filii Dei, qui dilexit me, & semetipsum tradidit pro me.* Itèra alibi,

Eph. 5. 25. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea.* Porro,

Rom. 5. 6. 7. *Christus, quum nullis adhuc viribus essemus, prestituto tempore pro impiis mortuus est. Enimverò, vix pro justo quispiam moriatur, nam pro viro bono forsitan aliquis mori sustineat. Quantus ergo amor Christi, qui pro impiis, peccatoribus, mortuus est? Sic,*

2. Cor. 8. 9. *codem exemplo excitat charitatem & beneficentiam Corinthiorum: Nostis beneficentiam D. N. J. C. qui &c.*

2)4. Justum

4) Justum Dei iudicium, in peccatis puniendis, quod attinet, *thes.* Illud etiam effulsit ex opere Redemptionis Christi.

Hæc enim erat Justitia Dei, ut peccata punirentur:

Imò, ut potius in Filio suo, Sponsore nostro, ea puniret, quàm ut ea impunita dimitteret.

test. De hac Justitia, vindicativa Dei, agitur simul in illo,

Exod. 34. 6. 7. ubi dicens, *Jehova, Jehova, Deus misericors & graciosus, longanimis & multus benignitate ac fide, custodiens benignitatem millibus, condonans iniquitatem & defectionem & peccatum:* subjicit tandem, *Et qui ullo pacto non absolvit fontem.*

Scilicet, sic Deus est misericors, ut etiam sit justus, velitque satisfieri justitiæ suæ, (ut Catech. quæst. 11.)

typ. Ea de causa ordinavit Deus Sacrificia in V. T.

Ut ostenderet, se nolle reconciliari peccatoribus aliter, quàm effusione Sanguinis; ut dicitur, Heb. 9. 22.

Absque Sanguinis effusione non fit remissio.

Dum enim mactabantur Sacrificia, eo ipso significabatur, Sacrificantes ea dignos esse, pariter mactari.

decl. Quum igitur peccata non possent expiari Sanguine taurorum & hircorum; ut dicitur, Heb. 10. 3.

Misit Deus Filium suum, ut is profunderet Sanguinem suum, nosque ita reconciliaret Deo, atque redimeret: juxta

Heb. 9. 11. *Christus, Pontifex futurorum bonorum, adveniens, Non per Sanguinem vitulorum & hircorum; sed per proprium Sanguinem ingressus est semel in Sacrarium, aeternam redemptionem nactus. Sic quoque*

Heb. 10. 10. *Quâ voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Jesu Christi, semel factam. Vers. 12. Hic verò, unâ pro peccato oblata in perpetuum hostiâ, consedit ad dextram Dei. Vers. 14. unicâ oblatione consummavit & c.*

Confer, Heb. 7. v. 26. 27. & c.

3) *concl.* Hoc igitur est, quod Paulus in textu ait;

Deum præstituisse Christum, ut esset Placamentum, per Fidem, in Sanguine ipsius; hoc scilicet fine præcipuè,

Ad demonstrationem Justitiæ suæ, hoc est, tum Sanctitatis, tum Veritatis, tum Misericordiæ, tum Justi judicij sui:

Ut sit ipse Justus, & Justificans eum qui est ex fide Jesu.

*) *Usus.*

- *) *U*sus. Quòd si igitur Gloria Dei summus est finis Redemptionis,
hyp. Ut demonstraretur Justitia Dei:
thes. Conveniens est, ut & nos glorificemus Deum, & celebremus
 Lucentem in Redemptionis negotio, Dei Sanctitatem,
 Sapientiam, Veritatem, Misericordiam, Justitiam.
test. Cum Angelis dicentes, Luc. 2. 14. *Gloria Deo in excelsis,*
in terra Pax, in homines Benevolentia.
 Cum Zacharia, Sacerdote, patre Joh. Baptistæ, Luc. 1. 68.
Recordatus est Dominus Deus Israël, quòd inviserit
& redemerit populum suum.
 Cum Cœlitibus, Agno accinentibus, Apoc. 5. v. 9.
Dignus es, qui accipias librum, & aperias sigilla ejus:
Quoniam mactatus es, & redemisti nos per Sanguinem tuum,
ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.

C O N C L U S I O.

- R. Audivistis ità, Auditores, Redemptionem per Christum, factam esse,
 1. Nostro bono; ut nos liberaremur & justificaremur à peccato:
 2. In gloriam Dei; ut ità declararetur Justitia sua; & quidem,
 Justitia sanctitatis, veritatis, gratiæ, justique judicij.
 C. Deprehendimus in opere Redemptionis, per Christum factæ,
 insigne Temperamentum Justitiæ & Misericordiæ Dei.
Misericordiæ: quia impossibile erat, nos servari ex nobis ipsis,
 Misertus est nostri Deus, pro multa misericordia sua,
 Misitque nobis Sponsorem, Christum, qui posset nos servare.
Justitiæ: quia misereri non conveniebat, nisi prius satisfaceret Justitiæ,
 Quum nec ipsi nos, nec ulla alia creatura satisfacere posset,
 Misit nobis Filium suum, qui carne assumptâ frater noster factus,
 perfectissimè pro nobis satisfecit.
 Si quis ergo cum Apostolo Paulo lamentetur & queratur,
 Rom. 7. 24. *Miser ego & ærumnosus homo, quis me liberabit*
ex isto corpore mortis?
 Ille quoque cum eodem dicat, ex sequenti Vers. 25.
Gratias ago Deo, per Jesum Christum Dominum nostrum.
 V. Gratia sit Deo Patri, qui pro misericordia sua nobis misit Filium,
 Gratia sit Filio, qui redemit, Spiritui Sancto, qui confirmat,
 Nunc, & in omnia secula, Amen.

C O N C I O XXV.

C O N C I O XXV.

De Summaria doctrina Justificationis.

Textus, integer repetitus, Rom. III. v. 24. 25. 26.

Ut qui justificentur gratis, id est, ejus gratiâ, per redemptionem factam in Jesu Christo: Quem praestituit Deus, ut esset placamentum, per fidem, in sanguine ipsius; ad demonstrationem justitiae suae, propter dissimulationem peccatorum, quae antecesserunt, Deo illa tolerante. Ad demonstrationem justitiae suae, presenti tempore: ut sit ipse justus, & justificans eum qui est ex fide Jesu.

E X O R D I U M.

Xenodochia, & Nosocomia, habent suas cellulas & apothecas:

In Cellulis inveniuntur aegri, variis morbis afflicti;

In Apothecis inveniuntur, reposita ac asservata, varia

Remedia, pro morbis omnis generis,

Præservativa, ne sanati recidivam patiantur.

Sacra Scriptura, cum primis hæc Epistola ad Romanos, egregium est

Xenodochium, & Nosocomium: utpote in qua,

Non inquilini tantum, Judæi; sed & peregrini, Gentes, comparent, ac docentur omnes esse miseri, sub peccato & damnatione.

Remedia etiam varia continentur, pro morbo spirituali peccati;

Justificatio, quâ absolvuntur à peccatis, justitia imputatur:

Sanctificatio, quâ purgantur à peccatis, & sanctitati restituntur:

Prædestinatio, quâ omnis gratiæ fons aperitur, & monstratur.

Præservativa etiam præscribuntur, ne recidivam patiantur,

sed in bonis operibus, Christianos decentibus, se exercent.

Haftenus verba prælecta particulatim declaravimus, & diximus,

1. De Justitia Dei, quam hominibus gratis imputat; esse eam, Originaliter à Deo Patre, Mediatoriè à Christo.

2. De Redemptione, facta per Christum: ejusque, tum Origine, Proposito Dei; Medio applicationis, Fide; Medio acquisitionis, Sanguine Christi; Fine duplici, Remissione peccatorum, Gloria justitiae Dei.

M m

In his

In his omnibus pressimus vestigia Pauli, ejusque ordinem sequuti, de verbo ad verbum singula explicavimus.

Quia verò in iisdem verbis nobis proponitur tota doctrina Justificationis, consistemus hic paulisper, atque ex integro illo textu, nunc prælecto, P. Doctrinam, de Justificatione hominis coram Deo, summarie proponemus,

I. *Quis hominem justificet, & Quare motus?* (Efficiens.)

II. *In qua re consistat Justificatio hominis?* (Forma.)

III. *Quo fine Justificatio hominis sit facta?* (Finis.)

IV. *Quinam, quo medio, à Deo justificentur?* (Objectum, instr.)

V. Deus, qui justificat illum, qui est ex fide Jesu Christi,

Det nobis veram fidem, quâ hanc suam gratiam apprehendamus;

Regatque nos suo Spiritu, ut puram de Justificatione doctrinam

purè proponamus, rectamque viam ad salutem discamus: Amen.

P A R S I.

Primum quod attinet, *Quis justificet?*

Præp. Non est opus, ut declarem, quid significet *Justificare*:

Præstitimus id supra, quòd sit, non *Justum facere*, sed *censere*.

Nec opus est, ut repetamus, quid intelligatur per *Justitiam Dei*:

Id enim præcedentibus concionibus explicatum est, intelligi hic, Non justitiam essentialem Dei, quæ est in ipso Deo;

Sed quam hominibus imputat, vocata *Justitia Fidei, Christi*:

Non ea, quæ est ex operibus Legis, sed ex Evangelio. (*Materia.*)

Prop. Progrediemur ad ipsam Justificationem, dicturi, hac parte, Duo:

I. *Quis ille sit, qui hominem justificat?*

thes. Nempe, Deus supremus, Dominus omnium.

test. Qui est Judex totius mundi, *Gen. 18. 25. Rom. 3. 6.*

proinde solus potest justificare, & condemnare.

Cui soli peccatur, in omnibus peccatis; fatente Davide, *Psal. 51. 6.*

Tibi, tibi soli peccavi, & quod malum est in oculis Tuis, feci.

Qui solus potest remittere peccata; juxta

Marc. 2. 7. Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?

Esa. 43. 25. (vel 12.) Ego, ego ipse deleo delictiones tuas,

propter me, & peccatorum tuorum non recordor. Sic,

Rom. 8. 33. Deus est, qui justificat.

Rom. 4. 6. David declarat beatum eum, cui Deus imputat

justitiam, absque operibus. &c.

**) decl.*

a) *decl.* Intelligitur autem nomine Dei, tota SS. Trinitas,
 Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: etenim,
 Opera ad Extra tribus personis Deitatis sunt communia.
 Singulariter tamen Justificatio tribuitur,
 Patri; quia ille merâ gratiâ motus misit Filium suum,
 per quem, cujusve meritum, nos justificat:
 Filio; quia ille nobis idipsum est promeritus,
 quod nobis pro justitia imputatur,
 nempe, Remissionem peccatorum, Justitiam æternam.

II. Quid Deum moveat, ad nos justificandos?

1. Internè: Gratia Dei liberrima.

Text. Ut ait Paulus; *Gratis justificantur, Dei Gratiâ.*

Test. Idem dicit, Rom. 4. 16. *Propterea ex fide est hereditas, ut sit per Gratiâ.*

Itè, Eph. 2. 8. *Gratiâ servati estis, per fidem.*

Itidem, 2. Tim. 1. 9. 10. *Qui servavit nos, & vocavit vocatio-
 ne sanctâ, non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & Gra-
 tia: quæ data nobis est in Christo Jesu, ante tempora seculo-
 rum; sed facta nunc est manifesta, & c.*

Decl. Per Gratiâ autem hanc intelligitur,

Non, Qualitas nobis infusa à Deo; ut Papistæ volunt:
 Sed, Benevolus ejus affectus, qui in Deo est & manet;
 Quâ nobis Filium suum ordinavit Mediatorem,
 omniaque ejus beneficia nobis donat.

De qua gratiosa voluntate Dei agit Paulus, Eph. 1. 5. 6. 7.
*Qui prædestinavit nos, quos adoptaret in filios, per J.
 Christum, in sese, pro Benevolæ affectu voluntatis suæ:
 Ad laudem gloriosæ suæ Gratiæ, quâ nos Gratis sibi ac-
 ceptos fecit, in illo dilecto:*

*In quo habemus redemptionem, per sanguinem ipsius, re-
 missionem lapsuum, ex divite ipsius Gratiâ.*

*Sic ibid. v. 9. Postquam notum fecit nobis mysterium Vo-
 luntatis suæ, secundum Gratuitam suam Benevolentiam,
 quam præstituerat in sese.*

Nom. Hæc Gratia aliâs dicitur,

Dilectio Dei; *Job. 3. 16. Sic Deus dilexit mundum.*

Charitas Dei; *Rom. 5. 8. 1. Joh. 4. 9. 10.*

Benignitas, & *φιλανθρωπία* Dei; *Tit. 3. v. 4.*

β) *Ufus.* (ref.) Conferte jam hanc doctrinam, cum doctrina Papistica, Quæ è diametro contradicit huic doctrinæ Paulinæ.

Docent enim Papistæ, Hominem coram Deo justificari, Ex operibus, & ex proprio merito.

Atquæ Paulus dicit, Rom. II. 6. *Quod si per Gratiam, non jam ex operibus: alioquin Gratia jam non est Gratia.*

Sin ex Operibus, non jam ex gratia: alioquin Opus jam non est Opus.

Sed de his & infra dicemus, ad vers. 28.

γ) 2. *Externè: Satisfactio Christi.*

Text. Ut Paulus; *Per redemptionem factam in Jesu Christo.*

Exeg. Deus ita est misericors, (inquit Catech.) ut etiam sit justus.

thes. Quapropter Misereri quidem vult nostri Deus, sed ita, ut & Justitiæ ejus satisfiat.

1. *hyp.* Hæc autem est Justitia Dei;

Gen 2. 17. *Quo die comederis, Morte morieris.*

Deut. 27. 26. *Maledictus, qui non præstiterit Legem.*

Hoc est Jus illud Dei, inquit Paulus, Rom. 1. 31.

Eos qui talia faciunt, dignos esse Morte. Itè, Rom. 6. 23. Stipendium peccati est Mors.

impl. Huic Justitiæ Christus satisfecit; dum

test. *Factus est obediens, usque ad Mortem, Phil. 2. 8.*

h. e. omnia passus, tandemque mortem crucis.

Factus est pro nobis Maledictio, Gal. 3. 13.

mortem maledictam Crucis passus, ut ibid.

Factus est pro nobis Peccatum, 2. Cor. 5. 21.

h. e. Sacrificium pro peccato.

Factus est pro nobis victima pro peccatis, Heb. 10. 12.

per oblationem corporis proprii, Ibid. v. 10.

text. Hoc est, quod dicitur in textu; *Justificatos nos esse per Redemptionem factam in Jesu Christo: quem præstituit Deus, Placamentum, in Sanguine ipsius.*

2. *hyp.* Hæc est Justitia Dei; *ne quid impuri intret, in regnum cælorum, in cælestem Hierosolymam: ut est in Apoc. 21. 27.*

impl. Huic Justitiæ satisfecit Christus; dum

Sanguine suo nos purgat ab omni peccato, 1. Joh. 1. 7.

Obedientiâ unius illius hominis, Christi, justi constituuntur multi, Rom. 5. 19.

δ) *Ufus.*

δ) *Ufus.* (ref.) Huic doctrinæ, de unico Merito Christi,
Repugnat doctrina Papistarum; qui asuunt illi,
Merita Sanctorum, Monachorum, Supererogatoria:
Merita propria, eaque in operibus humanæ traditionis.
De quibus & infra dicemus fusiùs, ad *Vers.* 28.

P A R S II.

Secundum quod attinet, *In qua re consistat Justificatio hominis?*

Text. Id docet Paulus his verbis; *Ad demonstrationem Justitiæ suæ*, hoc est,
Justitiæ Dei, quæ coram Deo valeat, (ut Luth.) *propter dissimulatio-*
nem, seu remissionē, peccatorū, quæ antecesserunt, Deo illa tolerante.

Exeg. Ex quibus verbis patet; Justificationem hominis consistere,
thes. In Remissione peccatorum, & Imputatione justitiæ.

decl. Remissio peccatorum hoc præstat, ut simus Innocentes,
hoc est indamnabiles, à pœna omni liberi.

Imputatio justitiæ præstat, ut simus ac habeamur Justi,
hoc est, haberi nos pro heredibus vitæ æternæ.

Utraque nobis contingit, propter Satisfactionem Christi:
Remissio peccatorum, per meritum Sanguinis & Mortis;
Imputatio justitiæ, per perfectam Obedientiam Legis.

conv. Utramque si inspicias, non multum differunt inter se:

Ubi enim Remissio peccatorum, ibi Imputatio justitiæ;

Ubi Imputatio justitiæ, ibi Remissio peccatorum.

Unde etiam Paulus unam ex altera probat, & concludit,

Rom. 4. v. 6. 7. 8. ex Psal. 32. v. 1. 2.

Sicut etiam David declarat beatum eum hominem, cui Deus im-
putat justitiam, absq; operibus: Hæc de Imputatione justitiæ.

Dicens; Beati, quorum remissa sunt iniquitates, quorum obtecta
sunt peccata; Beatus vir, cui Dominus non imputat peccatum:

Hæc de Remissione peccatorum.

dub. Exigua hîc est controversia, inter Doctores orthodoxos:

Quidam dicunt, Satisfactionem Christi consistere tantummodò,
in Passione & Morte Christi, quâ meritis sit, & Remissionem
peccatorum, & Imputationem justitiæ; quæ æquipolleant.

Alii docent, ut hîc, Satisfactionem Christi duplicem esse:

Mortis & Passionis, quâ meritis sit Remissionem peccatorum;

Vitæ sanctæ, quâ meritis sit Imputationem justitiæ.

*) *concl.* Nos verò hac controversiâ non offendemur; sed
 Totum Justificationis negotium adscribemus Satisfactioni Christi,
 qualiscunque illa demum sit: contenti his Scripturæ dictis,
 1. Joh. 1.7. *Sanguis 7. Christi, F. D. purgat nos ab omni peccato.*
 Rom. 5.19. *Sicut per inobedientiâ unius hominis peccatores con-*
stituti sunt multi, ita per unius obed. justi constituentur multi.
 Tum Imputationem justitiæ, & Remiss. peccati promiscuè accipi-
 Ut Paulus d. l. *Beatus, cui Deus imputat justitiam;* [amus,
Beatus, cui remissa sunt & obteſta peccata.

Si non æquipollent hæ phrasæ, saltèm cognatæ & connexæ sunt,
 ut una ex altera sequatur & concludatur: Sanè,
 ut utriusque, ita singularum est insignis consolatio.

§) *Uſus.* Huic doctrinæ, de Remissione peccatorum, & Imputatione justitiæ,
err. Repugnat, quicquid garrunt Papistæ, de propria Satisfactione;
 Sive ea fiat in hac vita, per ejusmodi opera, de quibus Deus,
 Eſa. 1. 12. *Quis quaesivit hæc è manu vestra?*
 Sive ea fiat in Purgatorio, quod effinxere contra Scripturam,
 vel per pœnas Animarum, hinc decedentium;
 vel per suffragia vivorum, intercessiones, Missas.

decl. Hæc scilicet est doctrina Papistica,
 Per Baptismum tolli peccatum Originale,
 & quæcunque peccata Baptismum antecesserunt:
 Huc inservire Sanguinem Christi, qui primam gratiam mereatur.
 Peccata, post Baptismum commissa, expiari
 Confessione, Absolutione, Missâ, &c.
 In Purgatorio expiari peccata reliqua, de quibus in hac vita non
 sit acta pœnitentia, facta Confessio, Absolutio.
 Denique hominem justificari bonis operibus, dum illis studet,
 usque quò tandem planè justus & perfectus reddatur;
 atque ita Sanctificationem cum Justificatione confundunt.

ref. Hæc omnia directè repugnant, cum gratuita
 Remissione peccatorum, & Imputatione justitiæ.
 Si enim peccata remittuntur, quid opus est ea præstare?
 Si remittuntur peccata merito Christi, nec nostro, nec alio-
 rum merito opus est, nec Indulgentiis Papæ, nec Purgatorio.
 Baptismus sigillum est Remissionis peccatorum, omni vitâ;
 ut & S. Cœna: non causa illius, sed obſignatio.
 Si Justitia imputatur, quorsum inhærens? nisi illius index.

P A R S III.

Tertium quod attinet, *Quo fine Deus hominem iustificet?*

Text. Id docet Paulus, verbis extremis textus; *Ut sit ipse Iustus,*

& iustificans eum qui est ex fide Iesu: Item, illis præcedentibus;

Ad demonstrationem Iustitiæ suæ, propter dissimulationem peccatorum;

Item illis; *Quem proposuit Placamentum,* scil. pro peccatis.

Exeg. Ex quibus verbis colligitur, duplici fine factam esse Justificationem:

I. Ad Gloriam Dei.

text. *Ad demonstrationem Iustitiæ: ut sit ipse Iustus.*

test. Hinc Paulus ait, 1. Cor 1. 32. *Ut fiat, sicut scriptum est;*

Qui gloriatur, in Domino gloriatur: eumque celebret;

1. Propter ejus Misericordiam: qui scilicet

Iustificat impium, & peccatorem, Rom. 4. 5.

Quum in æternum alioqui ipsi pereundum fuisset.

2. Propter ejus Iustitiam: ut scilicet declararet

Iustitiam suam; ut ipse sit Iustus: ut in textu.

Qui, priusquam peccata dimitteret impunita,
ea in proprio Filio, Sponsore nostro, punire voluit.

II. Ad Salutem nostram.

1. Ut nos haberemus Remissionem peccatorum.

text. Nobis enim Deus Christum proposuit *Placamentum,*

sive Propitiationem, pro peccatis nostris:

Ad dissimulationem peccatorum nostrorum.

decl. Ut haberemus firmam consolationem, contra Peccatum;

Ejusque stipendium, Mortem, *Rom. 6. 23.* & contra

Diabolum, qui Mortis potestatem acceperat, *Heb. 2. 14.*

Proinde, contra Damnationem & Infernum, *Ibid. v. 15.*

test. Hac consolatione se & omnes fideles reficit Paulus,

Rom. 5. 1. Iustificati fide, pacem habemus cum Deo,

per Dominum nostrum Iesum Christum.

Rom. 8. 31. Si Deus pro nobis, quis contra nos?

v. 33. 34. Quis intentabit crimina adversus Electos

Dei? Deus est, qui iustificat: Quis est, qui condemnet?

Christus est, qui mortuus est; imò verò, qui etiam

suscitatus est; qui etiam est ad dextram Dei,

qui etiam interpellat pro nobis.

9)2. Ut

1) 2. Ut haberemus Vitam æternam.

test. Ut adoptionem acciperemus, Gal. 4. v. 5.

decl. Hoc est, Ut filij Dei fieremus, Joh. 1. v. 12.

Si filij, etiã heredes, heredes Dei, coheredes Christi, Rõ. 8. 17.

In summa, Ut non periremus, propter nostra peccata;
sed Vitam æternam haberemus, Joh. 3. 16.

2) *Usus.* Quid igitur sit nostri officij, qui justificamur à Deo, perspiciamus:

1. Glorificemus Deum, in corpore nostro, & in spiritu nostro;
quæ sunt Dei: nam emti sumus pretio: 1. Cor. 6. 19. 20.

Vivamus, non nobis, sed ei qui pro nobis mortuus est, & suscitatus
est, 2. Cor. 5. 15, ad nostri justificationem, Rom. 5. 25.

2. Cumprimis hac consolatione nos erigamus,

thes. Contra hostes nostros spirituales, juxtà ac corporales:

test. Dicentes cum Paulo, Rom. 8. v. 32.

Is quidem, qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non cum eo nobis omnia gratificabitur? Et vers. 35.

Quis nos separabit à Charitate Christi? num afflictio, num angustia, num persecutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius? Et v. 28. 29.

Persuasum mihi est, neque mortem, neque vitam; neque Angelos, principatus, potestates; neque presentia, futura; neque ullam aliam creaturam; posse nos separare à Charitate Dei, quæ est in C. 7. Domino nostro.

Gloriemur cum eodem, Rom. 5. v. 2. — 5. Adducti fide in hanc gratiam, per quam stamus, sub spe gloriae Dei: neque id solum, sed & de Afflictionibus; scientes, & c.

Insultemus Peccato, Morti, & Inferno, cum eodem,

1. Cor. 15. 54—57. Absorpta est Mors ad victoriam:

Ubi tua, ô Mors, victoria? ubi tuus, Inferne, aculeus?

Aculeus mortis, Peccati. Vis peccati Lex. Gratia Deo, & c.

Ab his omnibus, justificati scilicet, triumphamus.

concl. Consolemur igitur nos hac Justificatione nostri, ex

Esa. 1. 18. Si fuerint peccata nostra, velut dibapha, rubra ut coccineum, tanquam nix exalbescent, & c.

Precemur cum Davide, Psal. 51. 9. Expia me byssopo, (h. e. Sanguine Christi,) ut mundus sim; abluito me, (eodem sc. Sanguine), ut præ nive albescam.

P A R S IV.

Postremum quod attinet, *Quinam à Deo justificentur?*

Text. Id docet Paulus his verbis, sub finem; *Ut sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex Fide Jesu.* Itè, in præcedentibus; *Quem proposuit, ut esset Placamentum, per Fidem.*

Exeg. Illi igitur soli justificabuntur,

thes. *Qui Credunt*: Fides enim unicum medium applicanda Justif.

test. *Ut & supra dixerat, Vers. 22. Justitia Dei, per fidem J. Christi, in omnes, & super omnes, qui credunt.*

Sic Christus, Joh. 3. 16. *Ut omnis, qui Credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Pariter, v. 15. 18. 36. &c.

Sic & alibi Paulus, Rom. 10. 10. *Corde creditur ad justitiam.*

Eph. 2. 8. *Gratiâ servati estis, per Fidem.*

Conf. Itaque, justificabuntur soli Electi.

hyp. Quia enim *Fides non est omnium*, 2. Thess. 3. 2.

Sed à Deo datur, *cujus est Donum*, Eph. 2. 8.

Quia gratis datum est nobis, in Christi negotio,

Non solum in eum credere, sed & pro eo pati, Phil. 2. 29.

Et à Spiritu Sancto efficitur, qui indè *Spiritus fidei*, 2. Cor. 4. 13.

per quem solum possumus dicere Jesum Dominum, 1. Cor. 12.

Detque fidem Deus iis, *quos ipse novit*, 2. Tim. 2. 19.

thes. Nemo verò justificetur, nisi qui Credit;

Nemo etiam Credit, nisi qui Electus est:

Sequitur, *Solos Electos Dei justificari.*

test. Ut docet Paulus, in Catena illa Salutis, Rom. 8. 29. 30.

Quos Præscivit, (præstituit, ante-decrevit,) eos etiam prædestinavit, conformandos imagini Filii sui:

Quos verò Prædestinavit, eos etiam vocavit, (vocatione illâ sanctâ, quâ fidem in illis efficit, 2. Tim. 1. 9. 2. Thess. 2. 13.)

Quos verò Vocavit, (verâ fide donavit,) eos & justificavit:

Quos autem Justificavit, eos etiam Glorificavit; h. e.

tùm Sanctificat in hac vita, quæ etiam pars Glorificationis;

tùm post hanc vitam perfectè Glorificabit,

datâ illis gloriâ incomparabili, Rom. 8. 18. 2. Cor. 4. 17.

Hinc dicit, sequenti vers. 33. *Quis intentabit crimina, adversus Electos Dei? Deus est, qui justificat.*

N n

)prob:

1) *prol.* Dicitur quidem Deus *justificare impium*, Rom. 4. 5. Sed,
Considerantur Electi dupliciter,

1. Quatenus sunt peccatores. Eatenus dicitur, quòd
Deus justificet, impium, Rom. 4. v. 5.
Christus mortuus sit, justus pro injustis, 1. Pet. 3. 18.
2. Quatenus sunt, tandemque fiunt fideles filij Dei. Eatenus
Deus justificat eum, qui est ex fide Jesu, Text.
Fides imputatur ad justitiam, Rom. 4. v. 5.

2) *Usus. Ref.* Hoc iterum pugnat, cum doctrina Papistarum,
qui docent, Hominem justificari ex operibus Legis:
de quo plura, Deo volente, dicemus in seqq.

Adm. Caveamus tamen, ne Fides nostra sit sine Bonis operibus:
Sicut enim corpus, absque spiritu mortuum est;
Ità etiam Fides, quæ est absque Operibus, mortua est: Jac. 2. 26.
Sed de his & in sequentibus plura dicemus.

C O N C L U S I O.

R. Audivistis nunc, 1. 2. 3. 4.

Plura porrò docebit Paulus, de Justificatione,
Omnes uno modo justificari, & Judæos, & Gentes, dummodò credant.
Controversiam etiam illam expediemus, An solâ fide justificemur,
An verò etiam ex operibus Legis?
Et quia Papistæ calumniantur, nos prohibere Bona opera,
Docebimus etiam, Fidem non tollere Legem, sed stabilire.
Hæc enim ex hoc Cap. III. adhuc restant declaranda.

C. Nunc ut claudamus, dicit Paulus, præced. vers. 19. *Ut omne os obstruatur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei.*

Unde liquet, talem doctrinam de Justificatione congruere verbo Dei,
quæ homini omnem gloriandi materiam eripit,
quæque soli Deo gloriam tribuit.

Papistæ suâ doctrinâ, de Justificatione hominis coram Deo,
Os homini aperiunt, gloriandi de propriis meritis;
Extenuant Gratiam Dei, in qua tamen omnia sita sunt.

Sed Paulus tali doctrinâ, qualem nunc nos ex eo tradidimus,
Os homini claudit, semetipsam gloriandi;

Aperit autem os, ad laudandam Dei gratiam & misericordiam.

V. Benedictus sit Deus graciosus & misericors, in omnia secula, Amen.

CONCIO XXVI.

CONCIO XXVL
De Gloriatione Exclusa, &
De Unitate Justificationis.

Textus, Rom. III. v. 27. (28.) 29. 30.

Ubi igitur gloriatio? Exclusa est: Per quam Legem? Operum? Non: sed per Legem fidei. [Colligimus igitur, Fide justificari hominem, absque Operibus Legis.] An Judaeorum Deus solus? annon & Gentium? Certè & Gentium. Siquidem Deus unus est, qui justificabit Circumcisionem ex fide, & Præputium per fidem.

E X O R D I U M.

ADhuc versamur in declaratione Justitiæ, quæ coram Deo consistit: De qua hæctenus diximus, ex præcedentibus textum verbis,

1. Revelari illam, non ex Lege, sed ex Euangelio; & Appellari illam, Justitiam Dei; quia à Deo gratis imputatur: Christi; quia Christus illam nobis promeritus est: Fidei; quia per veram Fidem apprehenditur.
2. Omnibus illam contingere, sinè ullo discrimine, & Judæis, & Gentibus, dummodò credant.
3. Originaliter illam esse, à mera Gratia Dei; quæ ad nos fluxit, per Christum, ejusque Redemptionem: ubi simul diximus, De Redemptione illa, facta per Christum, Consistere illam, in æterno Dei decreto, qui Christum *Præstituit Placamentum*, pro peccatis nostris: Factam illam esse, per effusionem *Sanguinis Christi*: Et quidem hoc fine, ut declararetur Dei *Justitia*, peccata non dimittentis impunita; *Misericordia*, eadem non in nobis sed Christo punientis: Apprehendi illam solâ *Fide*.

De Justificatione; *Quis justificet? Qua in re consistat? Quo fine justificet? Quosnam & quo medio justificet?*
Quæ fuere quatuor partes præcedentis concionis.

*) Jam pergit Apostolus, atque confirmat hanc Justitiam Euangelicam, Duobus fundamentis:

1. Quia per hanc doctrinam omnis Gloriatio tollatur;
2. Quia Deus unus, qui non agat in hoc negotio diversimodè, sed justificet, ex Judæis & Gentibus, unum ut alterum, uno modo, per Fidem scilicet.

Interim, dum hoc facit, concludit totam disputationem, de Justificatione hominis, (scilicet, vers. 28. intercurrente,) *Hominem justificari, sine operibus Legis, solâ Fide:*

Quam Conclusionem differemus in sequentem concionem.

P. Hac verò concione agemus solummodò, de duobus illis Fundamentis, quibus Apostolus Justitiam fidei confirmat:

I. Per Justitiam fidei excludi omnem gloriationem.

II. Unicam tantùm esse Justificationis rationem.

V. Deus, coram quo nulla caro justificatur, sed rea est, Det nobis suam gratiam, ne gloriemur in operibus propriis, sed in sola sua gratia & misericordia; Atque ità unicam illam & veram viam Justificationis ingrediamur, ad suam gloriam, nostramque salutem æternam: *Amen.*

P A R S I.

Primum fundamentum quod attinet, ità vult argumentari Paulus: *Gen. P.* Illa doctrina, de Justificatione hominis coram Deo, sola vera est, quæ omnem hominis gloriationem, apud Deum, excludit. Prout suprâ dixerat, vers. 19. *Ut omne os obstruatur, & obnoxius sit totus mundus condemnationi Dei.*

Ità etiam oportuit: nam,

Cur alioqui Deus proposuisset Filium *ἰατρῆσαι*?

Cur Christus profudisset Sanguinem suum?

Si scilicet homo à seipso potuisset salvari.

A. Atquè, per solam doctrinam, Gratuitæ Justificationis per Fidem, excluditur omnis gloriatio: ut paulò post *in specie* declarabimus.

C. Ergo, hæc sola est vera doctrina, de Justificatione hominis; scil. Gratuita, facta per Redemptionem Christi, Fide apprehensam.

Prout concludit in textu prælecto Apostolus, (vers. 28.)

Colligimus igitur, Fide justificari hominem, absque operib. Legis: De qua Conclusionem, sequenti concione, agetur.

β) *Spec.*

β) *Spec.* Excludi autem, per Justitiam fidei, omnem Gloriationem,

Text. Id Paulus proponit istis verbis; ubi quærit,

Ubi igitur gloriatio? respondet, *Exclusa est*: quærit porro,
Per quam Legem? An per Legem Operum? respondet,
Non; sed per Legem Fidei.

Exeg. Intelligit autem Apostolus Paulus,

thes. Per Legem Operum, Opera ipsa; vel, doctrinam
quæ exigit Opera, ad Justificationem,
quæque urget *Justitiam inherentem*, tanq. meritum.

Per Legem Fidei, Fidem ipsam; vel, doctrinam
quæ exigit Fidem, ad *Justitiam gratis imputatam*.

rat. Nam hebraica vox, *Thorah*, quæ significat *Legem*,
significat etiam *Doctrinam*, ab *Horah*, docuit.

Idcò verò vocat *Legem*, (inquit Theophylactus,)
quia *Legis* vocabulum venerationi erat Judæis;
& ne incurreret in suspicionem novitatis, (ut Chrysostomus.)

sens. Hæc ergo est sententia Pauli, in his verbis,

Oportere tolli & excludi omnem gloriationem hominis,
de propria justitia, ut Deus solus sit justus,
nosque justificet per Fidem, eamque,
in sola Gratia Dei, & Redemptione Christi, fundatam.

Atquæ hoc ipsum fit,

Non per Legem operum. Nam,

Qui se operibus Legis justificari putat, ille sibi
videtur Gratiâ Dei, & Fide in Christum non egere:

Atque ità effert se opinione propriæ justitiæ,
adeoque gloriatur adversus Deum.

Sed per Legem fidei. Nam,

Fide justificari, significat, propriâ justitiâ
exutum esse, & quærere alienam in Christo.

Quod qui facit, ille non potest gloriari,
præterquàm in gratia Dei, & merito Christi.

concl. Hoc igitur est, quod insinuatur illâ quæstione & resp.

Ubi igitur est gloriatio? *Exclusa est.* Si exclusa est,
Per quam Legem exclusa est? An per Legem & doctrinam

Operum? *Non;* ubi enim Opera propria, ibi gloriatio:

Sed per Legem Fidei excluditur omnis gloriatio,
quia hæc gloriam tribuit Deo, & Christo; non homini.

2) *Ufus.* (*duplex*, 1. *Refutatorius*, 2. *Admonitorius.*)

1. *Ref.* Papistæ, pressi expressis & clarissimis Apostoli verbis,

Err. Conantur illa pervertere, atque intelligunt hâc,
 Per *Legem operum*, Justitiam operum, absque fide;
 Per *Legem fidei*, Justitiam operum, ex fide factorum.

Ref. Sed contra mentem Apostoli. Nam,

hyp. Ne sic quidem per *Legem fidei* gloriatio excluditur,
 Idque ex gemina causa:

1. Quia dicunt, Opera fidei procedere à Gratia Dei,
 Verùm sic, ut etiam procedant ex vi Liberi arbitrii.
 Vocant enim illam Gratiam Dei, Cooperantem:
 quasi homo à seipso operaretur, cooperante Deo.

2. Quia etiam Operibus, ex fide fluentibus, tribuunt
 Meritum, quod vocant *Condigni*.

Statuunt enim duplicem Justificationem,

Primam, in qua consideretur Fides,
 tantummodò ut initium ad justitiam:

Atque hanc esse inanem, absque *Secunda*.

Secundam, in qua statuunt Opera,
 quæ cum Fide justificent:

Atque hanc esse efficacem, ex *Condigno*;

quia Opera per se non justificent sola,

sed quum ad Fidem accedunt, ut condigna.

thes. Ne sic quidem per *Legem fidei* gloriatio excluditur:

Ubi enim Liberum arbitrium, ibi Meritum;

Ubi Meritum, ibi est Gloriatio:

Ubi Gloriatio, ibi Lex operum, non fidei; ut Paulus.

2. *Adm.* Ex his igitur omnibus discimus,

thes. Hominem non debere gloriari, & seipsum efferre. Nam,

test. Luc. 18. 14. *Qui seipsum extollit, deprimetur;*

Qui vero seipsum deprimat, extolletur.

obj. An ergo omnis Gloriatio est prohibita?

resp. Certe, Omnis gloriatio contra Deum est prohibita:

Tùm ea, quæ hominem animat contra Deum; ut illa

Pharisæi, gratias agentis Deo, se justum esse, Luc. 18. 11.

Tùm falsa, & sinè omni veritate; ut illa

Juvenis, Matt. 19. 20. *Omnia hæc observavi: & quidem,*

à juventute mea; contra illud, Gen. 8. 21.

d) *lim.*

Lim. Sed in Domino gloriari, non est prohibitum:

Imò id est præceptum; ut patet ex illo Apostoli Pauli,

1. Cor. 1. 31. *Qui gloriatur, in Domino gloriatur.*

- Talis enim gloriatio nihil aliud est, quàm ingenua confessio, quicquid habemus, id nos à Dei gratia habere.

exēp. Sic gloriati sunt in Domino, non contra Dominum,

Chiskia, 2. Reg. 20. 3. *Obsecro Jehova, Recordare jam, me indefinenter ambulasse coram te, fideliter, & ex animo integro, & quod bonum videtur in oculis tuis fecisse.*

Nehemia, Neh. 5. 13. *Recordare mei, Deus mi, in bonum, quicquid fecerim erga populum istum.*

Paulus, 2. Tim. 4. 7. 8. *Certamen illud præclarum decertavi, cursum peregi, fidem servavi. Quod reliquum est, reposita mihi est justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus, in illo die, justus ille iudex: non solum autem mihi, sed & omnibus, qui expetiverint illustrem illum ipsius adventum.*

Hinc idem Paulus ait, 2. Cor. 10. 13. *At nos non gloriabimur de iis, quæ mensuræ nostræ non sunt, sed secundum modum nobis ad regulam admensum, id est ejus, quam distribuit nobis Deus, mensuræ; gloriabimur, nos pervenisse ad vos etiam usque. Vers. 14. 15. Non extendimus nos ipsos ultra, quàm decet: Nequaquam de iis, quæ mensuræ nostræ non sunt, glorientes. Vers. 17. 18. Ceterum, qui gloriatur, in Domino gloriatur. Non enim, qui seipsum commendat, is probandus est; sed is, quem Dominus commendat.*

concl. Hæc omnia eò dicuntur,

Tùm ne quis facile seipsum commendet, ac celebret; sed potius alienum os nos laudare sinamus.

Sciverunt hoc ipsum etiam Gentiles: unde illud Catonis,

Nec te collaudes, nec te culpaveris ipse;

Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

Unde & illud, *Propria laus sordet.*

Tùm, & cum primis, ne coram Deo nos extollamus,

Gloriantes de operibus nostris, tanquam meritis:

Quæ tamen omnia sunt accepta ferenda Gratiæ Dei;

nihilque habemus, quod non acceperimus, 1. Cor. 4. 7.

Imò, nihil boni facimus, quod non debeamus, Luc. 17. 10.

suntque bona nostra opera imperfectissima, Esa. 64. 6. (10.)

PARS II.

P A R S II.

Secundum fundamentum quod attinet, quo Paulus firmat Justitiam fidei,
Prop. Hoc est, Quia unica est via salutis, omnesque omnino homines,
thes. Et Judæi, & Gentes, uno eodemque modo justificantur.

decl. Si enim Deus aliter Judæos justificasset, aliter Gentes,
 Posset quis existimare, & ex illa diversitate colligere,
 Alios quidem justificari fide, Alios verò operibus.

Atqui dicit Paulus, & Judæos & Gentes uno modo justificari,
Text. His verbis; *An Judæorum Deus est solus? Annon & Gentium?*

*Certè & Gentium. Siquidem Deus unus est, qui justificabit,
 Circumcisionem ex fide, & Præputium per fidem.*

part. Si rectè attendamus, triplex in his verbis continetur argumentum:

1. *text.* *An Judæorum Deus est solus? annon & Gentium? Certè & Gentium.*

exeg. Quasi dicat; Una est salutis via, unus justificationis modus:

Non justificantur aliter Judæi, aliter Gentes;

Quia utrorumque Deus, est Deus:

Sed Deus illos omnes uno modo justificat;

Nempe, sinè operibus, ex fide: ut porrò dicit,

2. *text.* *Qui justificabit Circumcisionem, ex Fide;*

& Præputium, per Fidem.

exeg. Per Circumcisionem intelligit Judæos: ut Rom. 2. 26. Tit. 1. 10.

Per Præputium Gentes: ut ibid. sup. Rom. 2. 26.

Ex Fide, & Per Fidem, æquipollent.

Loquitur autem sic diversimodè, ut intelligeretur,

Omnia sita esse in Fide, apud Omnes;

Et quidem, Tantummodò in Fide.

Non autem vult illâ diversitate significare,

Aliter Judæos justificari, Aliter Gentes.

ant. Ut sunt ex Papistis, qui hæc ita explicant:

Judæos justificari *Ex Fide*; ità ut initium sumatur à Fide,
 adimpletio verò fiat per Bona opera:

Gentes justificari *Per Fidem*; ità ut exordiantur in Bonis
 operibus, perfectionem verò accipiant per Fidem.

Bone Deus, quid non quærunt, ut malam causam colorent!

Satis constat æquipollere, *Per fidem, Ex fide, & In fide:*

Inspice, *Phil. 3. 9. Eph. 2. 8. cap. 3. 12. Rom. 15. 1. &c.*

*) 3. text.

3. text. *Siquidem Deus unus est.*

exeg. Probat, ab Unitate Dei, Unitatem Justificationis:

Non autem eam vult probare, ab Unitate essentiae Dei;

Sed ab Unitate, h. e. constantia promissionum Dei: q. d.

Deus non est divisus, ut aliter velit justificare Judæos, ac Gentes,

Sed omnes uno eodemque modo vult justificare. Conf. 1. Tim. 2. 5.

test. Idcirco etiam utrique pares promissiones acceperunt:

Gen. 3. 15. *Semen mulieris conteret caput Serpentis.*

Id omnibus hominibus fuit promissum, à lapsu, in paradiso.

Gen. 22. 18. *In Semine tuo benedicta erunt omnes gentes.*

Dixerat Abrahæ Deus, Gen. 17. 7. *Ero Deus tuus, & seminis tui.*

Sed hinc illam gratiam transfert ad omnes gentes;

Quæ etiam sunt semen Abrahæ, non secundum carnem,

sed secundum promissionem: ut Gal. 4. 28. 29.

Omnes enim sunt filii Abrahami, qui credunt;

quum ipse sit *Pater omnium credentium*, Rom. 4. 16. 17.

Luc. 2. 31. 32. Unde Symeon; *Quem parasti in oculis omnium po-*

pulorum: Lumen detegendum Gentibus, & Gloriam populi tui

Israëlis. Cum quo convenit illud Pauli,

Act. 13. 47. ex Esa. 49. 6. *Constitui te, ut sis Lux Gentium,*

ut sis saluti, usque ad ultimas terras. Item illud,

Rom. 14. 11. ex Esa. 45. 23. *Vivo ego inquit Dominus, Certè mihi*

fese flectet omne genu, & omnis lingua palam agnoscet Deum.

Quod singulariter applicatur Christo, Phil. 2. 10. 11.

Hinc illæ promissiones, de Gentibus vocandis,

Esa. 2. v. 2. 3. quod repetitur, Mich. 4. v. 1. 2. Sic,

Psal. 65. 3. *Ad te omnis caro ventura est: & vers. 6.*

Fiducia omnium extremitatum terra, & c. Hinc illud,

Psal. 117. 1. *Laudate Deum omnes gentes, nationes, & c.*

prol. Sicut quidem Deus, præteritis ætatibus, Gentes suis ipsarum

vius incedere; ut inquit Paulus, Act. 14. v. 16.

Nihilominus non excludebantur Profelyti, h. e. qui ad Religio-

nem Judæorum accedebant; quales haud pauci, ut patet,

ex Act. 2. 10. & c. item, ex Matt. 23. 15.

At in N. T. universalis est gratia, jubenturque Apostoli

Docere, & baptizare omnes Gentes, Matt. 28. 19.

Ire in universum mundum, & prædicare Evangelium omni crea-

tura, (h. e. omnibus hominibus,) Marc. 16. 15.

O o

Quis

§) *Usus.* (duplex, 1. *Consolatorius*, 2. *Admonitorius.*)

1. *Conf.* Hoc ipsum servit Consolationi omnibus populis,

thes. Ne quis putet, se exclusum esse, ab hac Gratia Dei;
| sed, si credat, Viam salutis ei non esse præclusam.

prol. Id quidem verum est, Non omnes salvari:

Veruntamen, id situm est,
non in eo, quòd sint hujus vel illius nationis;
sed in eo, quòd non credant.

Qui verò credunt, cujuscunque sint nationis, cujuscunque
statûs, conditionis, ordinis, ætatis, sexûs, salvantur.

rep. Iterum dico, id valde consolatorium est, quòd

| Nemo excluditur, ab hac Gratia, dummodò credat.

ant. Multi indignantur, doceri, Non omnes homines electos esse:

Sed illi perpendant, Possè omnes salvos fieri,
dummodò fide, Gratiam Dei in Christo, apprehendant,
eamque fidem bonis operibus declarent & firment.

Quòd autem non credunt, id propriæ culpæ est.

Quòd autem Deus non omnibus dat fidem, fit id,
quia nemini aliquid debet; & liberè,
ut gratiam vult declarare, ità & iram ostendere.

Potiùs illis debet pœnam, qui non contenti gratiâ,
sibi ab ipso factâ, Deum injustitiæ sic insimulant;
qui tamen est, & manet semper, justissimus.

2. *Adm.* Serviet etiam nobis ad institutionem id, quod dictum est,

thes. Unicam tantùm esse Viam ad salutem æternam.

ant. Observandum id nobis est, ad effugiendos errores,

1. Propter quosdam, qui dicunt, Unumquemque in sua Religi-
one possè salvari, dummodò congruè vivat.

Quales *Libertini*; quales haud pauci passim inveniuntur,
occultè & manifestè id ipsum agentes, & urgentes.

Qualis etiam quidam, superioribus annis, *Puccius*:

Qui ex hoc loco, aliisque similibus, voluit probare,
Gratiam Dei esse universalem, omnesque salvandos.

Deum similem faciens Magistratui,
qui unicuique suos mores relinquat,
dummodò tributa pendat.

Mercedem hujus insaniæ tulit, Romæ tandem exustus.

Tacco *Samuelem Huberum*, & alios.

2. Propter

2) Propter *Papistas*. Nam illi,

præp. Quamvis in hoc omnes consentiant, quòd
Papam habent, pro Vicario Christi, Vice-Deo,
Salutem in meritis operum quærunt:

prop. Tamen in varias sectas, & opiniones, abeunt;
Hic his, ille illis operibus, singulariter vult salvus fieri.
Prout pleraque ipsorum opera, sunt Traditiones hominum:
De quibus Christus ait, Matt. 15, 9. *Frustra me colunt, docen-*
tes doctrinas, quæ sunt mandata hominum.

De quibus Deus ait, apud Prophetam, Esa. 1. 12.
Quis hoc quesivit à manu vestra?

spec. Quidam ex illis salvos se jejunabunt, certis diebus;
ut communiter omnes Papales, in suis Jejuniiis.
Quidam salutem quærunt, in audienda & spectanda Missa;
quam proram & puppim suæ salutis statuunt.

9 Quidam salvos se volunt facere, in recitandis precibus,
in Rosario suo, quod vocant *Pater noster*.

Quidam in Processionibus salutem suam quærunt,
quasi sic eatur ad cælum.

Quidam se continent à Matrimonio, quasi Carnis opere;
ut Sacerdotes, & Clerici, quos *Spirituales* vocant.

Quidam canendo & boando salutem volunt acquirere;
ut Canonici, eorumque similes Monachi.

Quidam vestiunt se, ad vitam æternam, vestitu singulari;
ut Monachi, & Moniales.

Quidam vigilando contendunt salvari, noctu surgentes;
ut suas habent plerique ordines horas Canonicas.

Quidam vitâ solitariâ; ut Eremitæ:

Peregrinationibus; ut Peregrini, fratres Jacobi:

Mendicando; ut Franciscani:

Nudis pedibus incedendo; ut Nudipedes.

Tacendo; ut Carthusiani, Silentarii:-

Solis piscibus vescendo; ut iidem Carthusiani:

Flagellando se; ut Flagellatores:

Bellando; ut Milites Malthenses, &c.

Et quis omnes ipsorum ineptias recenseat?

Quot Ordines habent, (ut habent quam plurimos;)

Tot Vias, ad salutem & vitam æternam.

3) *concl.* Sed omnes aberrant à recta Via :

Unica tantùm est Via salutis , ad vitam æternam ;

Unica ratio Justificationis nostræ coram Deo ,
De qua unica Via salutis Christus , Joh. 14. 6.

Ego sum Via , Veritas , & Vita :

Nemo venit ad Patrem , nisi per me.

Beatus est , qui hanc unicam Viam calcat ,
omnesque Labyrinthos hominum evitat.

Hi tandem ad optatum portum pervenient ,
ad metam vitæ æternæ , patriam cœlestem.

C O N C L U S I O .

R. Audivistis ità , Auditores in Christo directi ,

1. Per Justitiam fidei omnem gloriationem excludi ,
ut Deo insolidùm omnis gloria tribuatur.

2. Unicam esse viam Justificationis & salutis nostræ ,
quæ ineunda est omnibus salvari cupientibus ;
quæque nulli clauditur , nisi incredulo.

C. Christus de duplici via agit , Matt. 7. v. 13. 14.

Lata est porta , & spatiosa via , quæ abducit in exitium ;
& multi sunt , qui introeunt per eam :

Angusta est porta , & stricta via , quæ ducit ad vitam ;
& pauci sunt , qui inveniunt eam.

Quapropter , juxta ejusdem admonitionem , Luc. 13. 24.

Contendamus intrare per Angustam portam.

Id autem faciemus ,

Si merita priorum operum abnegemus ,

salutemque nostram in sola Dei gratia quæramus :

Si Christo soli adhæreamus , qui est *Ostium ovium ;*

Qui est verum & unicum Ostium , Joh. 10. v. 1. 9.
per quod introitur in regnum cœlorum.

Quod Ostium nobis apertum est , per suam gratiam ,
in Verbo suo sacrosancto , in Evangelio suo.

V. Faxit Deus , ut illud Ostium ingrediamur , & pascua inveniamus ,
æternæ Gratæ Dei , in omnem æternitatem.

Illi soli , Patri , Filio , & Spiritui S. fit laus , honor , & gloria ,
in sempiterna seculorum secula , Amen.

CONCIO XXVII.

CONCIO XXVII.

De Justificatione Fidei, & Operum.

Textus, Rom. III. vers. 28.

Colligimus igitur, Fide justificari hominem, absque operibus Legis.

E X O R D I U M.

Zacchæus, vir bonus ac fidelis, ad fidem Christi adductus,
Solicitus quidem est de bonis operibus, ea promittens;
Ità tamen, ut hoc unico gaudeat, Jesum Christum, Salvatorem,
ad se divertisse, gratiamque sibi fecisse: *Luc. 19. v. 1 — 10.*

Christiani, qui sunt ad Deum, in Christo, per gratiam Sp. S. conversi,
Soliciti quidem esse debent, de Bonis Operibus præstandis;
Verum ità, ut salutem suam soli Dei in Christo gratiæ adscribant,
atque eandem per Fidem solam apprehendere discant.

Haftenus audivistis, Aud. quàm sollicitè Paulus tractet Justificationem,
quàmque multis, in hoc *Cap. III.* de eadem agat: unde didicistis,

1. Quid intelligatur,

Per *Opera Legis*? Non facta, ante Regenerationem, absque fide;
Sed omnia in universum Opera, in Lege Dei mandata.

Per *Legem ipsam*? Non solum naturalis, sed & scripta; eaque
Non solum Ceremonialis, sed etiam, & imprimis, Moralis.

Per *Carnem*? ubi dicitur, *Nulla Caro justificabitur*,
Non irrogeniti soli, sed omnes omnino homines.

Per *Justificari*? Non justum fieri, sed censeri, ac pronunciari.

Per *In conspectu Dei*? Posse aliquem justum apparere externè,
Sed Deum intueri etiam interiora cordis.

2. Quomodo per Fidem justificemur? Non dignitate Fidei,
sed dignitate Meriti Christi, quod apprehendit Fides.

3. De Gloriatione exclusa, deque Unitate Justificationis;
& si quæ alia, quæ spero in recenti memoria apud vos esse.

Jam concludit Paulus totam disputationem de Justificatione hominis,
Dùm paucis verbis ait; *Colligimus igitur, Fide justificari homi-*
nem, absque Operibus Legis.

O o 3

Ex hac

Ex hac Conclusionem Apostoli, sumemus occasionem,

Primò, Veram doctrinam de Justificatione Fidei, absque Operibus, adstruendi, & ab objectionibus Adversariorum vindicandi:

Deinde, Falsam doctrinam Pontificiorum de Justificatione hominis, paucis repetendi, proponendi, ac refellendi.

Utrumque hac horâ expedire non poterimus: quapropter, Postremum illud, in sequentem concionem, differemus:

P. Hac verò concione, tantummodò Veram doctrinam proponemus, De Justificatione Fidei, absque Operibus: eamque,

I. *Proponemus, & demonstrabimus;*

II. *Ab Objectionibus adversariorum defendemus.*

V. Jesus Christus, qui est Via, Veritas, & Vita, ducat nos in via veritatis;

Quique Veritatem suam firmissimè in Verbo suo ædificavit,

Det nobis gratiam Sp. S. ut hanc suam Veritatem, ex verbo suo

erutam, ac defensam, amplectamur in salutem nostram: *Amen.*

P A R S I.

Quod attinet *Veram doctrinam de Justificatione*, illa

I. *Proponitur*, ab Apostolo Paulo, in textu prælecto, paucis verbis:

Text. His nimirum; *Colligimus igitur, Fide justificari hominem, absque Operibus Legis.*

§ *Part.* Hic distinctim agemus, de his duobus;

I. *Quid sit Fide justificari, absque Operibus Legis?*

sens. Non dicit Paulus,

Fidem, quæ sit absque Operibus, justicare:

Hæc enim esset Fides mortua; de qua *Jac. 2. 26.*

Sed hoc vult dicere Apostolus,

Fidem solam esse id, quo Meritum Christi apprehendimus,

atque ita justificamur, ex Gratia Dei in Christo:

Opera autem, quamvis sequantur Fidem, tamen

Nihil mereri, neque per illa quæquam justificari.

rat. Opera enim, quanquam non possunt separari à Fide,

tamen hic opponuntur Fidei, in potentia justificandi.

Fides, sola justificat; non verò Fides solitaria, justificat.

Opera, non justificant; sed sequuntur justificatum,

ut Augustinus rectè docet:

suntque testimonia veræ Fidei.

a) subd.

a) *Subd.* Hic igitur duo nobis veniunt consideranda:

I. *Quomodo per Fidem justificemur?*

ant. Papistæ dicunt, nos justificari ex Fide,
Tanquam ex Habitu, vel Dispositione ad habitum;
In summa, tanquam ex bono opere: prout Fides,
inter bona opera Præcepti I. à nobis exigitur.
Ità ut justi fiamus illâ fide; non justi censeamur.

fund. Sed id indè est, quia dicunt Pontificij,
Justificari esse idem, quod Justum fieri, per bona opera;
Ex quibus initium sit Fides, vel dispositio ad illam
Justitiam inherentem, non imputatam.

ref. Sed quod in æternum non probabunt ex sacris literis: nam,
Justificare in se literis significat, Justitiam imputare;
ut antehac demonstratum est.

Adhæc, si Fides consideraretur tanquam bonum opus,
vel tanq. Habitus, vel tanq. Dispositio ad habitum;
Fides etiam ipsa excluderetur, inter opera legis: nam,
Non est tam exigua dispositio humanæ voluntatis,
quæ non in Lege Dei exigatur.
Postulat enim Lex Dei, ut diligamus Deum, ex toto
corde, ex tota anima, & omnibus viribus: *Matt. 22.*

thes. Idcirco necesse est, ut hic aliter consideretur Fides.

Quomodo autem considerari debeat, & quâ justificemur eâ,
Non potest melius declarari, quàm ex similibus sententiis.
Ut enim hic dicimur *Justificari Fide, vel per Fidem;*
Sic alibi dicitur, *Justificari nos,*
Per Redemptionem, factam in Christo Jesu, Rom. 3. 24.
Per Sanguinem ejus, Rom. 5. v. 9.
Per Obedientiam ejus, Rom. 5. 19.

In summa, *Justificari nos,*
Gratis, (sinè merito,) per Gratiam Dei, Rom. 3. 24.

sens. Unde manifestè liquet, *Justificari nos,*

Non dignitate ipsius Fidei;
Sed dignitate Gratia Dei, & Meriti Christi;
quod apprehendit & sibi applicat Fides.

Hoc est, ut docti distinguunt, Accipi hic Fidem,
Non habitualiter, quatenus est in se bonum Opus;
Sed relativè, quatenus respicit Gratiam & Meritum Christi.

β) rat.

rat. Fides enim est, veluti Instrumentum, aut Manus,
 Quâ accipimus id, quod nobis Deus est gratificatus,
 quodque Christus nobis promeritus est, ad nostri Justificationem:
 nempe, Remissionem peccatorum, & vitam æternam.
 Unde & Fides justificare dicitur, non *Formaliter*, *Materialiter*,
 sed *Instrumentaliter*, *Objective*: ut in conc. præcedd.

test. De qua *Acceptione* & ipsa S. Scriptura loquitur:

Rom. 5. 17. *Si per unam offensam mors regnavit, per unum; multo magis ij, qui exundantiam Gratia, & doni Justitia Accipiunt, in vita regnabunt, per unum Jesum Christum.*

Act. 10. 43. *Remissionem peccatorum Accepturum, per nomen Christi, quemvis qui crediderit in eum.*

Act. 26. 18. *Ut remissionem peccatorum, & sortem inter sanctificatos, Accipiant, per fidem qua est in me, (inquit Christus.)*

sim. Quapropter, quum homo dicitur Fide justificari, similis est loquutio, quum dicitur, *Agricola beabitur Aratro suo.*

Lignum Aratri non est tanti pretii, nec habet vim hanc, ut illud ditet dominum suum:

sed id ipsum ita dicitur, quia Plaustrum est instrumentum Agriculturae, quâ sibi opes acquirit Agricola.

Sic Fides non est tantæ in se dignitatis, ac virtutis, ut nos possit ex se justificare;

sed est Instrumentum, quo Justitiam Dei acceptamus, quo causam Justificationis, Meritum Christi, arripimus.

Simile Mendici, manu suâ Eleemosynam accipientis, eamque non Manui suæ, sed beneficentiæ dantis, adscribentis, proposuimus supra, in concione XXII. pag. 245.

2. Qualia Opera Legis hic excludantur?

ant. Papistæ dicunt, excludi tantum Opera

Legis Ceremonialis,

Legis Moralis, facta absque fide:

At quæ ex fide fiunt Opera, ea hic non excludi.

thes. Sed in genere omnia Opera, à Lege postulata, excluduntur.

Atqui nullum est bonum opus, quomodocunque vocetur, quod non postuletur à Lege Dei, ac Decalogo.

Ergo omnia in univèrsum opera, à Justificatione excluduntur.

rest. Ut & Paulus ait, 1. Cor. 4. 4. *Nullius rei mihi conscius sum, sed per hoc non justificatus sum. (Vide seq. Conc.)*

3. An

2. *An rectè dicamur SOLA Fide justificari?*

thes. Quum dicitur, Fide SOLA nos justificari,
 Non excluditur Gratia Dei, qui gratis justificat;
 nec Meritum Christi, propter quod justificamur:
 Sed Opera Legis: quorum respectu dicitur,
 Fide SOLA nos justificari, exclusis scilicet Operibus.
 Fides autem subordinatur Gratiae Dei, & Merito Christi;
 eaque non excludit, sed includit.

prob. Unde etiam Opera promiscuè opponuntur, his tribus,
 modò Gratiae Dei, modò Merito Christi, modò Fidei.

1. Gratiae Dei: ut Rom. 10. 6. *Quod si per Gratiam, non jam ex Operibus; alioquin gratia jam non est gratia. Sin ex Operibus, jam non ex Gratia; alioquin opus jam non est opus.*

2. Merito Christi: ut Gal. 5. 4. *Inanes facti estis, separati à Christo, quicumque per Legem justificamini, & à gratia excidistis. Sic Gal. 2. 21. Si per Legem est justitia, igitur Christus sine causa mortuus est.*

3. Fidei: ut Rom. 4. 14. *Si ij, qui ex Lege sunt, heredes sunt, inanis facta est Fides, & vana reddita est promissio.*

Sic in textu nostro: itè multo aliis in locis, ut
Gal. 2. 16. Cap. 3. 11. 12. &c.

ant. Papistæ valde tumultuantur in Lutherum, quòd is inseruerit vocem SOLA, contra mentem Apostoli, *Gal. 2. 16.*

Sed frustra: Nam,

Annon dicit, *hic in textu*, Paulus, *χωρὶς ἔργων?*
 quid aliud hinc sequitur, quàm Opera excludi,
 & Fidem Solam relinqui, quàm justificamur?

Deinde, S. Scriptura ipsa sic loquitur: nimirum,

Gal. 2. 16. Scimus, non justificari hominem, ex operibus Legis, NISI per fidem Jesu Christi: ἢ ἄν μὴ.

Quod Germanicè aliter non potest reddi, quàm sic,
Dannur allein durch den glauben.

Sic enim hæc phrasis, *ἢ ἄν μὴ*, accipitur quoque,

Luc. 4. 26. Non fuit missus Elias, NISI ad viduam Sareptanam: h. e. ad eam solam. Itè,

Ibid. v. 27. Nullus leproforum purificatus est, NISI Naaman Syrus: h. e. ipse solus. Sic Christus,

Marc. 5. 36. Μόνον πιστεύς; Solummodò crede.

P p

4) Denique,

1) Denique, quid ampliùs super hoc gravarentur Pontificij?
 Veteres Doctores, quos ipsi se sequi gloriantur,
 Eodem modo hoc ipsum explicârunt: ut, Origenes, Basilius,
 Ambrosius, Hilarius, Augustinus.
 Hi omnes utuntur, in hoc negotio, exclusivâ illâ SOLA;
 nec abhorrent dicere, *Solâ fide nos justificari.*
 Cur ergo nobis imputant, hoc novè excogitatum esse?
 Quamdiu Ecclesia stetit, fuit hæc vocula SOLA sic adhibita.

2) II. Demonstratur eadem veritas, multis argumentis.

Text. Quamvis enim contenti possemus esse, solo testimonio Pauli,
 dicentis; *Fide nos justificari, absque Operibus Legis:*
 Quod enim Paulus dicit, verum est, & indubitatum.
 Tamen, quia ipse dicit, *Colligimus igitur*, ex præcedd. scilicet,
 insinuat, non deesse Argumenta hujus assertionis.
Arg. Operibus nos non justificari, indè probatur: quia,
 Vel nulla sunt nostra bona opera; ut sup. Rom. 3. v. 10. & seqq.
 Vel imperfecta sunt, & peccatis coinquinata; ut
 Esa. 64. 6. (10.) *Omnes justitiæ nostræ sunt, sicut*
panniculus contaminatissimus. (Confer, Rom. 7. 21.)
 Luc. 17. 10. *Servi inutiles sumus.*
 Vel debemus, quodcunque boni fecimus; Ibid. Luc. 17. 10.
Quia quod debuimus facere, fecimus.
Fide contra nos justificari, exinde probatur: quia,
 Omnis nostra salus sita est, in Gratia Dei, & Merito Christi;
 quæ apprehendit, & sibi applicat, Fides sola: ut sup.
 Per doctrinam Fidei omnis gloriatio tollitur; &
 Obstruitur omne os: ut præced. conc. dictum est.

Test. Non est necesse, nos huc plura Scripturæ dicta conglomerare;
 quæ sanè sunt quàmplurima, passimque obvia.
 Nam etiamsi alibi hæc doctrina non esset repetita;
 Tamen sufficerent nobis hæc verba textûs; *Colligimus igitur,*
Fide justificari hominem, absque Operibus Legis.
 Quæ totidem ferè verbis repetuntur, Gal. 2. v. 16.
Scientes, non justificari hominem ex operibus Legis,
sed (nisi) per Fidem Jesu Christi:
Etiã nos credidimus, ut justificaremur ex Fide Christi,
& non ex Operibus Legis: propterea quòd non justifica-
bitur ex Operibus Legis ulla caro.

PARS II.

P A R S II.

Vidimus veritatem: nunc videamus *Objectiones* contra eandem.

Præp. Non est doctrina, quæ acrius oppugnetur à Papistis, quàm hæc, de gratuita Justificatione hominis coram Deo, ex Fide sola in Christum, absque Operibus Legis.

Prop. Duo autem potissimum objiciuntur:

I. Conantur probare, Justificari etiam hominem ex operibus;

Obj. Ex Epistola Jacobi Apostoli, Jac. 2. v. 24. *Videtur igitur, ex Operibus justificari hominem, & non ex Fide tantum.*

Hæc verba videntur expressè contradicere his verbis Pauli;

Colligimus igitur, Fide justificari hominem, absq; Operib. Legis.

Sed si rectè expenderimus, non contrariantur hi duo Apostoli.

Quomodo Papistæ hanc apparentē contradictionē concilient, non opus est hîc attingi. *Vide Pareum pag. 315. in 4.*

Alii sunt, (ut Erasmus, Cajetanus,) qui dicunt, hanc epistolam non esse scriptam à Jacobo Apostolo, nec esse in Canone:

Hieronymum enim & Eusebium scripsisse, dubitasse aliquos de autoritate hujus Epistolæ.

Sed nulla est necessitas, eam propterea eliminari:

Etsi enim hi scriptores dicant, aliquando dubitatum fuisse de hac epistola, ut & de aliis quibusdam;

Tamen illi ipsi non dubitarunt de eadem,

nec alii Patres: proinde, nec nos dubitabimus.

Resp. Si verò rectè inspiciamus hæc duo loca Pauli & Jacobi, *in gen.* Deprehendemus, nihil veræ pugnæ esse inter Apostolos.

in spec. Etenim,

1. Paulus loquitur, de *Fide vera*; de qua dicit,

Gal. 5. v. 6. quòd *Fides per charitatem sit efficax.*

Jacobus verò loquitur, de *Fide mortua*; quando

Externè fit professio fidei, *Credo*:

Jactatur fides, sinè obedientia Euangelii.

2. Paulus intelligit, per *Justificari*, Justū censerī coram Deo, in judicio scilicet Dei, condemnantis aut absolventis.

Jacobus verò intelligit, per *Justificari*, Justificatum esse ostendi coram hominibus:

ut ex relectione textūs integri apparebit.

- n) decl. Ità ut hæc sit sententia vera horum duorum Apostolorum :
 Paulus dicit, Fidem veram & vivam justificare hominem.
 Jacobus dicit, Fidem solitariam, h. e. mortuam,
 quæ se non exferit per externa & visibilia opera,
 non posse justificare hominem coram Deo, nec hominibus :
 Nam, ubi Fides, ibi Opera.
 Fides autem non potest videri ab hominibus ;
 Opera autem sunt conspicua :
 Unde & Christus in illo die judicabit,
 secundum Opera, tanq. signa & testimonia Fidei,
 quæ sequentur Benedictos Patris, *Matt. 25. 34. 35. & c.*
- 9) prob. Jacobum verò loqui, non de Vera fide,
 sed de inani jactantia fidei, constat,
 1. Ex scopo Epistolæ, quæ tota directæ est contra eos,
 qui volebant operari, sed tamen gloriabantur de fide.
 2. Ex vers. 14. *Quæ utilitas, fratres mei, si fidem aliquis dicat ha-*
bere se, opera autem non habeat?
num potest fides illa eum servare?
 3. Quia hanc Fidem, de qua agit, vocat Mortuam :
 vers. 20. *Vis verò nosse, homo vane, Fidem,*
quæ est absque operibus, mortuam esse?
 vers. 26. *Nam sicut corpus, absque spiritu, mortuum est;*
itã & Fides illa, quæ est absque operibus, mortua est.
 4. Quia hanc fidem etiam Dæmonibus tribuit ;
 vers. 19. *Tu credis, Deum unum esse : bene facis.*
Dæmonia quoque istud credunt, & horrescunt.
 Quis verò dicat, Dæmonia salvari ; si horrescant?
 Porrò, Jacobum loqui hîc, de Justificationis ostensione, patet
 Ex vers. 18. *Ostende mihi fidem tuam, absque operibus tuis ;*
& ego tibi ostendam, ex operibus meis, fidem meam.
 Vers. 21. Abrahamus dicitur justificatus, ex opere immolandi filii ;
 Atquæ Abrahamus jam antè erat justificatus, *Gen. 15. 6.*
 Sed per hoc opus cognoscebatur, eum verè justificatum esse ;
 ut Angelus ait, *Gen. 22. 12. Nunc video, te timentem Dei esse.*
- i) concl. Quum igitur dicit Jacobus, vers. 24. *Videtis igitur, ex operibus justi-*
ficari hominem, & non ex fide tantum : hic est sensus, *Videtis, ex*
fide instructa operibus justificari hominem, & non ex fide Tantum ;
 h. e. quæ solitaria est, sine operibus, & inortua.

II. Conantur.

II. Conantur evertere, Hominem justificari fide SOLA;

Obj. Hoc argumento:

Si Fides Sola nos justificaret, faceret idem quoque, si sola ea maneret, absque dilectione, spe, & similibus virtutibus.

Atqui concedere nos ajunt, (uti verum est,) Fidem veram non posse esse sine bonis operibus.

Hinc sequi concludunt, Nos non justificari fide solâ.

Resp. Major propositio non valet; quia non valet ejus Consequentia.

sim. Perinde enim esset, acsi quis ita argumentaretur:

Si Aures solæ audiunt, Oculi soli vident; facient idem si sint planè sola hæc organa: nempe,

Oculi, è capite evulsi; Aures, à corpore separatæ.

Quis non videt, hoc non sequi?

Aures non possunt audire, si non sint in corpore suo;

Nihilominùs solæ aures sunt, quæ audiunt:

Oculi non possunt videre, si sint è capite evulsi;

Nihilominùs soli oculi sunt, qui vident.

Sic etiam comparatum est cum Fide:

Fides non potest justificare, si sit separata ab operibus;

Nihilominùs, quando conjuncta est cum bonis operibus,

Sola Fides est idipsum, quo fit Justificatio.

Fides, avulsa à charitate, esset fides mortua:

Non minùs, quàm oculus evulsus est mortuus;

quàm aures, resectæ à corpore, sunt mortuæ.

concl. Proinde, rectè sunt distinguendæ hæc sententiæ:

Fides, sola justificat; hæc vera est:

Fides sola, justificat; hæc falsa est.

Etenim, Fidei hæc est natura,

Ut Justificationem gratuitam Sola apprehendat, sibi que applicet, tum Gratiam Dei, tum Meritum Christi:

Ut non sit Solitaria, sed semper efficax per charitatem, & per bona opera vivacitatem suam ostendat.

**) Concl.* Sic igitur patet, vanos esse insultus Pontificiorum, contra clarissimam veritatem, de gratuita Justificatione Fidei.

Multa quidè alia etiã movent, & objiciunt, (*Mellif. Cat. p. 307. & c.*) aliaque, quæ in sequenti concione commodiùs revelabuntur.

Hæc verò sunt præcipua, quibus veram doctrinam, si non evertere, saltè gravare, suspectamque reddere, conantur; at frustra.

C O N C L U S I O.

R. Sufficiant igitur hæc dicta, de Justificatione Fidei & Operum:

Ubi audivistis, Auditores in Christo dilecti,

I. Veram doctrinam, de Justificatione Fidei:

1. Quid sit, Justificari fide?

2. Quomodo dicamur Solâ fide justificari?

II. Objectiones duas præcipuas, contra hanc veritatem:

1. Ex Apostolo Jacobo;

2. Ex eo, quòd Fides nunquam sit solitaria,
sed semper conjuncta cum bonis operibus.

C. Sic jam hunc *vers.* 28. possemus omittere, & ad alia progredi:

Sed id unum restat, ut erroneam sententiam Pontificiorum,
singulariter etiam proponamus, & refellamus.

Quanquam enim ex his, quæ hactenus dicta sunt,
facile possit perspici mens Papistarum:

Tamen, quum inter medios (hæc Emricæ) versetur Papistas,
ut fundamenta; quibus nituntur in hoc negotio, rectè intelligamus;

operæ pretium erit, ea in compendium redigere,
ut quasi unico obtutu perspiciantur, ac discamus,
quid ad illa sit respondendum, &
quâ ratione errores eorum sint declinandi.

Deus verò veritatem suam, quam nobis gratiosè cognoscendam præbuit,
gratiosè quoque apud nos conservet: ut inde discamus,

Ne gloriemur in propriis meritis,

sed in unico Merito Salvatoris nostri, Jesu Christi;

Et in sola Dei Misericordia ac Gratia,

in qua omnis nostra Salus sita est.

V. Concludimus igitur, cum Apostolo Petro, 1. Pet. I. v. 3-5.

Benedictus esto Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui nos ex multa sua misericordia, regenuit in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis; Ad hereditatem, incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, nobis in cælis servatam:

Qui virtutis Dei presidio custodimur, per Fidem, ad Salutem, paratam revelari præstituto tempore ultimo.

Faxit id misericors Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus,

Benedictus in æterna seculorum secula, Amen.

CONCIO XXVIII.

C O N C I O XXVIII.

De Justificatione Papistica.

Textus, *idem*, Rom. III. v. 28.*Colligimus igitur, Fide justificari hominem, absque Operibus Legis.*

E X O R D I U M.

Concione præcedenti hanc sententiam quoque prælegimus,
 Atque ex eadem Veram doctrinam de Justificatione proposuimus,
 & ex sacris literis uberius eandem declaravimus;
 tum etiam ab objectionibus adversariorum vindicavimus.
 Promissimus tunc, proposituros nos quoque ex eadem falsam doctrinam
 Papistarum, quam fovent de Justificatione hominis coram Deo,
 refutatosque illam, tum inde, tum ex reliquo Dei Verbo.

Id adhuc superest: quod quum expediverimus,
 Sequenti concione, Deo volente, claudemus hoc Caput III.
 Atque ex postremo illius Capitis versu docebimus,
 Quam Fides Bona opera, & Legem, non excludat;
 Acturi, de Usu Legis Dei, inter Christianos, salutari.

P. In tractatione Papisticae doctrinae, attendendum nobis est,
primò, ad falsam & erroneam opinionem Papistarum;
deinde, ad ejusdem refutationem ex sacra Scriptura.

Ut autem bono ordine procedamus, dicemus,
 I. *De errore, quem fovent circa Opera Legis;*
 II. *De errore, qui versatur circa vocem Justificationis;*
 III. *De errore, quem involvunt circa Fidem.*

V. Jesus Christus, unicum fundamentum, extra quod aliud poni nequit,
 Igne Spiritus sui Sancti exurat omne lignum, foenum,
 stipulasque omnes, quæ superstruuntur huic fundamento:
 Atque illuminet nos clarâ luce ejusdem Spiritus Sancti,
 ut non solum falsam doctrinam perspiciamus;
 sed etiam veram cognoscamus, eandemque gratâ mente
 suscipiamus, ad suam gloriam, nostramque salutem: *Amen.*

P A R S I.

P A R S I.

Principiò, meministis Auditores, quid de Justificatione hominis coram Deo,
Prop. Ex Paulo proposuerimus hæcenus: nempe,

1. A Justificatione hominis excludi *Opera Legis*,
 Non tantùm Irregenitorum; quæ non possunt dici Bona opera,
 quia sinè fide fiunt:
 Sed etiam Regenitorum; quæ nihil merentur,
 quia imperfecta in hac vita, & peccatis contaminata:
 quia sunt debita, non proportionata, non commodantia Deo.
2. *Justificare*, significare in S. Literis, non ex injusto justum facere,
 sed injustum pro justo censere & pronunciare:
 atque adeò Justificationem nihil aliud esse, quàm
 Remissionem peccatorum, & Imputationem justitiæ.
3. Hominem justificari *Solâ Fide*:
 non ex dignitate ipsius Fidei;
 sed ex dignitate Meriti Christi, quod apprehendit ea.

Hæc pura illa doctrina, de Justificatione hominis coram Deo,
 quæ tam variè à Papistis oppugnatur.

Prop. Primum errorem fovent circa *Opera Legis*,

Text. Ubi Paulus ait; Hominem justificari, *Absque Operibus Legis.*

Err. Intelligunt hæc Papistæ, per *Opera Legis*,

1. *Opera Legis Ceremonialis*: quæ,
 si non intelligantur præcisè, in epistola ad *Romanos*;
 intelligi tamen manifestiùs, in epistola ad *Galatas*.
2. *Opera Legis*, quæ sunt absque fide, sinè adjutorio gratiæ.
 Sinè fide, & gratiæ Dei adjutorio, solis viribus liberi arbitrij,
 Legem Dei perfectè servari non posse; atque sic
 Operibus Legis neminem coram Deo justificari.
 Cum fide autè, & adjutorio gratiæ, unà cū viribus liberi arbitrij,
 Legem Dei servari posse; atque sic
 Operibus Legis justificari hominem: idque,
 Quia dicat Paulus, Rom. 2. 13. *Iustos esse coram Deo,*
non qui audiunt, sed qui præstant Legem.
 Alioqui Paulum sibi contradicere, qui dicit,
 hæc in textu, *Absque operibus Legis hominem justificari;*
 ibi verò, *Operibus Legis justificari præstantes eam.*

a) Refo

a) Ref. At vana hæc esse effugia, patebit. Nam,

1. Quod attinet Opera Legis Ceremonialis,

Non tantùm illa, sed & Opera Legis Moralis, excluduntur:
ut suprâ probavimus, *Conc. XXI. pag. 234.* (Vide ibi.)

Epistolæ ad *Galatas*, & ad *Romanos*, eadem est ratio:

Ad *Gal.* quidẽ singulariter agitur, contra urgentes Circumcisionẽ,
ut constare potest, ex *Gal. 5. v. 1-4.*

Sed relegenti totam epistolã apparebunt & Opera Legis Moralis:

Agit de Fide per Charitatem efficace, *ibid. v. 5.* item,

De Fructibus Spiritûs, hisque oppositis vitiis, *ibid. v. 19-22.*

Quæ quum sint Opera Legis, sequitur & ea excludi *Gal. 2. 16.*

2. Quod attinet Opera Legis, facta sine fide,

thes. Multis modis illa exceptio impingit in S. Scripturam:

prob. Ut ex sequentibus, quæ dicentur, patebit.

1. Nulla est in verbis Pauli pugnancia: Nam,

Rom. 2. 13. concessit, *Non qui audiunt Legem justos esse apud
Deum, sed qui Legem præstant justificandos esse:*

Si nimirum aliqui essent, qui Legem perfectè præstent;
non quidem ex proprio merito, sed ex conditione
gratuita: ut suprâ declaravimus, *conc. XX. pag. 222.*

Hic verò in textu ait, *Neminem justificari operibus Legis,*

Quia nemo sit, qui Legem perfectè præstet:

Id quod hæctenus multis probavit, cùm de Gentibus,

tùm de Judæis, *Omnes esse sub peccato*, vers. 9. &

Neminem esse, qui Legem Dei præstet, vers. 10. & seqq.

Quapropter,

Ut vera est vox Legis, Lev. 18. 5. Gal. 3. 12.

Homo, qui fecerit ea, vivet per ea. Confer,

Luc. 10. 28. *Fac hoc, & vives:* item,

Matt. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Ità verum quoque est, quod alibi dicitur,

Psal. 143. 2. *Non est justus, coram Deo, ullus vivens.*

Psal. 130. 3. *Si peccata observaveris, Fab,*

Domine, quis consistet?

Rom. 11. 32. *Conclusit Deus omnes in inobedientiam,*

ut omnium misereretur. Conf. Gal. 3. 22.

Adeò, ut non sit imputandum Legi, sed Homini,

quòd ex operibus Legis nulla caro justificatur.

Q9

ß) 2. Multis

8)2. Multis modis falsum est, quod dicunt Papistæ,
 1. *thes.* Quòd aliqui, cum fide, & gratiæ adjutorio, ex viribus liberi
 arbitrij, perfectè Legem Dei servant.

ant. Falsum hoc est: quia

In hac vita nulla perfectio est exspectanda; juxta

1. Cor. 13. 9. 10. *Ex parte cognoscimus, ex parte &c.*

Postquam autem advenerit, quod perfectum est; tunc, quod est aliquatenus, ut inutile tolletur.

Imò, Sanctissimi quique Legem perfectè servare nequiverunt;
 ut patet ex ipsorummet querelis: e. g.

Davidis; Psal. 143. 2. *Ne congregiaris iudicio cum servo tuo, nam non esset justus coram te ullus vivens.*

Esaia; Esa. 64. 6. (10.) *Sumus ut immundus omnes nos, & ut panniculus contaminatissimus omnes justitiæ nostræ.*

Jobi; Job. 9. 2. 3. *Qui justus esset mortalis coram Deo? si volet litigare cum eo, non poterit respondere ad unum: &c.*

Salomonis; Prov. 24. 16. *Septies cadit iustus, at exsurgit.*

Sic Eccl. 7. 20. (21) *Homo nemo justus in terra, qui faciat bonum, ac non peccet.*

Pauli; Rom. 7. 18. 19. *Novi non habitare in me, id est in carne mea, bonum: nam velle adest mihi, sed ut quod bonum est efficiam, non assequor. Non enim facio bonum quod volo, sed malum quod nolo, hoc ago. Hinc.*

Verf. 24. Miser ego homo, quis me liberabit? &c.

Johannis; 1. Joh. 1. 8. *Si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est.*

exp. Palpent in sinum suum Papistæ, perfectionem somniantes, propria conscientia testabitur, se non habere illam perfectionem, de qua gloriantur. Considerent illud, *Apoc. 3. v. 17.*

cont. Quos illi putant justificatos Legis observatione, eos omnes gratuitam remissione peccatorum justificatos esse, Scriptura docet.

Abraham, non ex operibus, sed fide justificatus est, *Rõ. 4. 2. 3.*

Sic Moses, David, reliqui, ut *Heb. 11.* quia una via salutis:

ut unus justificatur, sic & reliqui, ut Paulus *suprà, v. 30.*

Paulus de seipso testatur, 1. Cor. 4. 4. *Nullius rei mihi sum conscius; sed non per hoc justificatus sum.*

Si tales heroës non sunt justificati perfectam legis observatione; quid nos miselli homunciones nobis imaginaremur?

7)2. *thes.*

2) 2. *thes.* Quòd Justificatio tantùm adimatur Operibus Legis, factis
| absque fide, & sinè adjutorio gratiæ.

ant. Falsum hoc ipsum quoque est: nam,

1. Paulus in genere dicit, *Operibus Legis neminem justificari.*

2. Opera, quæ fiunt absque fide, non sunt Bona: quia

Heb. 11. 6. *Absque fide impossibile est Deo placere.*

Rom. 14. 23. *Quicquid ex fide non fit, peccatum est.*

Si autem non sunt Bona opera, quid opus erat, Paulum
de illis dicere, quòd nonificent?

3. Adhæc, omnis gloriatio necesse est ut adimatur hominibus,
ut Paulus expressè docuerat, in præcedentibus.

At quum dicitur, Hominem justificari operibus, ex fide factis,
relinquitur illi causa gloriandi:

Addunt enim hoc, Opera gratiæ procedere simul,

ex viribus Liberi Arbitrii. Annon hoc pugnat, cum

Phil. 2. 13. *Deus efficit in nobis, & Velle, & Perficere?*

4. Denique, Opera Ahrahæ, Davidis, &c. non fiebant absq; fide;
nihilominùs excluduntur ab ipsorum justificatione:

ut in sequenti capite, *Rom. 4.* intelligemus.

3) 3. *thes.* Quòd prætendunt Papistæ, Paulum docere hîc,

Gratiam Christi doctrinæ Legis, in Justificatione hominis co-
ram Deo, adjungendam esse, eique consociandam.

ant. Falsum hoc quoque est: nam,

Conjunctionem hanc expressè refutat Paulus, hoc capite,

Dum ait; *Justificari hominem,*

Sine Operibus Legis;

Gratis, sinè ullo merito, ex sola Dei gratia;

Per Fidem, eamque fundatam in unico merito Christi,

nempe, Per Redemptionem factam in Jesu Christo.

4) *concl.* Quicquid ergo effugii quærant Pontificii,

quicquid excipiant contra manifestam hanc doctrinam,

videmus, eos excipiendo, & effugia quærendo,

ipsam doctrinam evertere, vel saltèm conari evertere.

Maneamus nos in simplicibus verbis Pauli; *Colligimus igitur,*

Fide justificari hominem, absque Operibus Legis.

Sed necdum finis est exceptionum, & tergiversationum,

ut nobis salutarem hanc, ac simplicem veritatem, excutiant:

Pergamus ergo ad Secundum.

P A R S II.

Secundum errorem fovent Papistæ, circa vocem Justificare,
Text. Quum dicit Paulus; *Fide justificari hominem, absque Operibus Legis.*
Prop. Ut solent Latrones, quos volunt spoliare, à via abducere,

quò eos abductos ità in suam potestatem redigant:

Ità Papistæ in hoc negotio, fideles à recta via conantur avertere,

quò feliciùs ipsorum conscientiiis dominari possint;

Dum statum controversiæ variant, imò pervertunt,

ut à recta via abducti, quà se vertant, nesciant,

saltèm hærentes circumveniantur atque fallantur.

Duobus autem modis statum controversiæ pervertere satagunt:

1. Aliter exponunt *vocem Justificare*, quàm nos ex s. literis:

2. *Justificationem uniformem duplicem* faciunt.

Tract. Operæ pretium erit, utramque fraudem detegere.

I. *Vocem Justificare aliter accipiunt, quàm nos.*

Ver. Nos ex sacris literis statuimus, atque docemus; quòd

thes. *Justificare* significat, hominem injustum pro justo habere,

& ut justum pronunciare, h. e. Absolvere.

prob. Probavimus id suprà, ex s. literis, singulari concione, XXI. sc.

1. Quia vox illa, in lingua hebræa, græca, latina, germanica, nihil aliud significet, quàm *Absolvere*, justum pronunciare; cui opponitur *Condemnatio*.

2. Quia in S. Scriptura *Justificare* nunquam significat *Justum facere*, sed *Justum censere*, pronunciare.

3. Quia in S. Scriptura exponitur *Justificatio*, per Remissionem peccatorum, & Imputationem justitiæ.

4. Quia *Condemnare*, vox ei opposita, non significat, ex bono malum facere, sed malum pœnâque dignum declarare.

5. Quia dilierimen diligenter est faciendum, inter *Justificationem*, quâ injustus pro justo habetur; & *Sanctificationē*, quâ ex malo bonus, ex bono melior efficitur, donec in futura vita planè perficiatur.

concl. In summa, Si quandoque in Scriptura aliter accipiatur, tamen nunquam in significatione Papistica inveniri; ut suprà, concione XXI. ostendimus, pag. 236—239.

Vide etiam Mellific. Catech. pag. 299. 300.

§ Err.

2) Err. Papistæ *Justificare* exponunt, per *Justum-facere* :

thes. Atque ita confundunt Sanctificationem cum Justificatione.

fund. Nituntur autem potissimum hoc fundamento : quia,

Ut verificare, significat Verum facere ;

Purificare, purum facere ; Vivificare, vivum facere :

Sic etiam Justificare, significat (inquiunt) justum facere :

Atque ita disputant ex Grammatica ; &

Non aliter sentiunt de Justificatione hominis coram Deo,
quam de Physica Alteratione, e. g.

quum quis calefit, frigus cedit, calor accedit.

Ref. Sed sciendum est,

hyp. Ut de voce primùm agamus,

1. Vocem *Justificare*, à veteribus latinis non esse usurpatam ;

A Doctoribus autem Ecclesiæ postea adhibitam,

ut exprimerent, vocem hebræam *hitzdik*,

græcamque ei respondentem *δικαιώσαι* :

Ergo, quod significat vox hebr. *hitzdik*, græc. *δικαιώσαι*,

id quoque significabit latina hæc vox *Justificare*.

2. Ad hæc, non omnes voces ejusdem formæ sic exponi possunt: nã,

Ubi Maria dicit, Luc. 1. 46. *Magnificat anima mea Dominum*,

non vult dicere, se ex parvo magnum Deum facere ;

sed magnum Deum se, ut magnum, glorificare ac celebrare.

Sic ubi petimus, in Orat. Dom. *Sanctificetur nomen tuum*,

non hic sensus est, ut nos ex profano sanctum faciamus ;

sed ut Deum, sanctum in sese, sanctum agnoscamus, celebremus.

thes. Pari ratione *Justificare* in hoc negotio significat,

Non, ex injusto justum facere, (quod est Sanctificationis ;)

Sed hominem, qui justitiam Christi verâ fide apprehendit,

justum habere, & pronunciare.

prob. At, quid opus est, inquiunt, ita hanc vocem exponi ?

Resp. Requirit hoc res ipsa, siquidem agitur hic,

Non de *Sanctificatione*, de qua aliis modis & verbis agitur ;

in Regeneratione hominis per gratiam Spiritûs Sancti :

Sed de *Judicio Dei* ; quod duplex est,

Condemnatorium, quo homines propter peccata dânantur :

Absolutorium, quo homines, ex gratia, propter Christum,

à peccatis suis absolvuntur, & pro justis, ac heredibus

vitæ æternæ habentur, & pronunciantur.

II. *Faciunt duplicem Iustificationem.*

Ver. Nos dicimus, Justificationem esse unicam, eamque nihil aliud esse, quàm Remissionem peccatorum, & Imputationem justitiæ; quæ æquipollent, saltèm connexa sunt.

Err. Papistæ duplicem faciunt Justificationem, *Primam*, & *Secundam*:

¶ In *Prima* considerant Fidem, tantùm ut initium ad justitiam; & alios bonos motus, ac dispositiones præparatorias ad bona opera: quales sint, Spes, Timor Dei, Dilectio, Pœnitentia, Propositum suscipiendi Sacramenta, Nova obedientia.

In *Secunda* statuunt Bona Opera, quæ unà cum Fide justificent; atque hanc dicunt efficacem, & meritoriam ex condigno.

¶ *Primam* vocant, Infusionem Charitatis justificantis, coram Deo, & quidem *formaliter*:

Secundam, Præstationem Operum justificantium, coram Deo, & quidem *meritorie*.

¶ Atque ità duplicem faciunt Justificationem, *Primam*, *formalem*; *Secundam*, *meritoriam*.

Ref. Sed potiùs confundunt, quàm distinguunt Justificationem. Adhæc,

1. Patres veteres hanc distinctionem non noverunt.
2. Sacra Scriptura illam quoque non novit: Hæc enim docet, Justificationem unam esse, sicut Deus unus est; Ut hîc subjicit Paulus, *Rom. 3. 30.* Confer, *1. Tim. 2. 5.*
3. Confundunt hoc pacto, Sanctificationem, seu Regenerationem; quæ est incoata sanctitas justificatorum: Cum Justificatione; quæ est Remissio peccatorum, quam demum sequitur Regeneratio seu Sanctificatio.
4. In *Prima* Justificatione ponunt Bonos Motus: Sed observanda hîc est regula Augustini, Ejusmodi Motus, ut & omnes bonas inclinationes & operationes, non præcedere justificandos, sed sequi justificatos. Porrò, in hac *Prima* Justificatione,
5. Fidem dicunt, primam dispositionem ad justitiam: Atquæ, Fides in S. Scriptura, non dicitur disponere ad Justificationem, sed Justificare; ut in textu, *Fide justificari hominem: &c.* Et quidem *SO LA*: ut non habeant juxta illam locum, Spes, Timor Dei, Dilectio, Pœnitentia, &c. *ut sup.* Et modò has dicunt esse Præparationes ad Justificationem, modò illis ipsis adscribunt Justificationem ipsam.

6. Falsum

6. Falsum quoque est, Justificationem esse Infusam gratiam formaliter, sive, Infusam charitatem:

David enim Justum dicit, non, cui Deus infundit justitiam;

sed, cui Deus imputat justitiam, h. e. cui remittit peccata: Rom. 4. 6. 7.

Charitas autem est opus Legis, proinde excluditur etiam ab ipsa Justificatione: nam, *Ex operibus Legis nulla caro justificabitur; ut sup.*

7. In Secunda Justificatione ponunt Opera Charitatis;

De quibus Jacobus dicat, *Jac. 2. 24. quod illis etiam justificemur, & non tantum ex fide.*

Sed quæ sit sententia Apostoli Jacobi, in illo loco, supra singulariter exposuimus, *Conc. XXVII.*

nempe, intelligi ibi Ostensionem Justificationis per Opera; per *Fidem* verò tantum, intelligi fidem Solitariam, Mortuam.

8. Quemadmodum autem hæc Pontificiorum doctrina est *Nova*;

Ità quoque est *Blasphemica*. Nam,

1. Fidem dicunt, tantummodò initium esse ad Justitiam; quum Paulus Fidei totam Justificationem adscribat.

2. Justificationem Primam (in qua Fidem statuunt) dicunt Inefficacem; quum Paulus eidem summam efficaciam tribuat, dicens, Rom. 5. 1. *Justificatos Fide pacem habere cum Deo.*

3. In Secunda Justificatione dicunt, hominem meritis bonorum operum, justiore ex justo reddi: hinc necessario sequeretur, Meritum Christi, (quod ad Primam Justif. refert Bellarminus,) non tam efficax esse, quàm Meritum bonorum operum.

4. In summa, Hæc doctrina Papistica Christo gloriam adimit, Homini verò materiam gloriandi relinquit:

Quum tamen Paulus dicat, hac doctrinâ Justificationis veræ, omnem gloriationem excludi, & excludendam esse,

Rom. 3. 27. *Ubi igitur gloriatio? exclusa est: Perquam Legem? Operum? non: sed per Legem Fidei.* Sic paulò antè,

Verf. 19. *Ut omne os obstruatur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei.*

Novam autem hanc doctrinam esse dicimus,

Quia non est veterum Pontificiorum, sed novè à Bellarmino primùm est efficta.

Alij verò sunt, qui vix à vera doctrina discedunt; ut Cardinalis Pighius, &c.

Beati nos, qui hæc omnia per gratiam Dei effugimus.

P A R S III.

*Tertium errorem fovent Papistæ, circa Fidem,
Text. Ubi dicit Paulus; Fide justificari hominem.*

Ver. Ex hoc dicto nos docemus,

Fidem justificare, & quidem Solam:

Non tamen ex dignitate ipsius Fidei justificationem fieri;
sed ex dignitate Meriti Christi, quod apprehendit Fides.

Err. Papistæ verò dicunt, Fidem justificare;

Id est, Disponere, Præparare ad justitiam,
ut initium & radicem Justificationis:

Alij sic, Justificari nos Fide, hoc est, non absque Fide;
hanc enim necessariò, juxta alia, requiri.

Ref. Sed, quod attinet,

1. Fidem disponere ad justitiam:

Ità non loquitur Sacra Scriptura;

Sed dicit, *Fidem justificare, vel, Fide nos justificari.*

2. Fidem esse initium & radicem Justificationis:

Fides non tantùm est initium & radix Justificationis,

Sed & perfectio ac consummatio ejusdem. Nam,

Fide justificati pacem habemus apud Deum, Rom. 5. 1.

Ergo, perfectè Fide justificamur, & reconciliamur Deo.

3. Quod verò dicunt, Pauli mentem esse,

Non, quòd Sola Fides nos justificet;

Sed, quòd inter alia etiam requiratur:

Verum quidem est,

Superiorem causam Justificationis esse Deum, ejusque Gratiam;

Meritoriam verò, Redemptionem factam per Christum:

Inferiores verò causas, quibus tanq. mediis utitur Deus, esse,

Ministerium Verbi, Sacramenta.

Sed post hæc omnia Proxima causa est, Sola Fides.

Quo solo medio apprehendimus Gratiam, & Meritum Christi,
nobisque applicamus, tanq. Instrumento, exclusis aliis mediis.

Per vocabulum igitur SOLA, excludimus,

Non Gratiam Dei, Non Meritum Christi;

Sed tantummodò Bona Opera, quæ Salutem

neque merentur, neque apprehendunt.

*) Inst.

n) Inst. At inquit, Nusquam doceri in sacris literis,
Nos non aliâ ratione justificari, quàm Fide.

Resp. Falsum id est: Dicit enim Paulus, Gal. 2. v. 16.

Non justificari hominem, ex Operibus Legis,

NISI per Fidem: q. d. Sed solâ Fide:

ut supra sæpiùs proposuimus, & probavimus.

Repl. Excipiunt illi, ac dicunt;

Fide nos justificari, id dici perinde, acsi dicimus,

Pane vitam nostram sustentari.

Plura, inquit, requiruntur ad sustentationem vitæ,

quàm Panis; quanquam non absque pane sustentemur:

Sic plura dicunt requiri ad Justificationem, quàm Fidem;

attamen non sinè Fide nos justificari.

Resp. Sed hæc sunt inania effugia:

Fides se habet, ad Justificationem,

Non, sicut Panis ad alimentum;

Sed, sicut Oculus ad videndum, Pes ad eundum.

Oculus solus videt, Pes solus habet potentiam eundi:

Quamvis Oculus, evulsus è capite, non videat;

Pes, abscissus à corpore, non ambulet.

Si autem maneat Oculus infixus capiti, Pes junctus corpori,

Soli id præstant, Solus oculus videt, Solus pes incedit.

Ità etiam Fides est solum id, quo Justitiam apprehendimus:

Si autem Fides à vita Christiana separetur,

mortua est, nec quicquam potest præstare.

At Fides viva fit, seseque exerit per Bona opera:

Fides tamen sola est, quæ justificat; non Opera.

Bona igitur Opera opponuntur, in Justificatione,

Tùm Gratix & Misericordix Dei, Filium dantis;

quia gratis, absque Operibus, illa gratia nobis contingit:

Tùm Merito Christi; quia solo hoc merito justificamur,

nec ullo merito priorum operum:

Tùm Fidei; quia Sola fides apprehendit,

non solum Gratiam Dei, sed & Meritum Christi:

Estque Fides sola, Manus apprehendens illa;

Non Opera, quæ tamen comitantur Fidem.

Sed de his in superioribus Concionibus abundè diximus,

proinde hîc prolixiores esse nolumus.

R r

CONCL-

C O N G L U S I O.

R. Atque ità audivistis, Auditores, errores & effugia Papistarum, quibus infestant doctrinam Justificationis. Audivistis, inquam,

1. Errorem, quem fovent circa *Opera Legis*: intelligentes, Tùm Opera Ceremonialia, Tùm Opera facta sinè fide.

2. Errorem, quem fovent circa vocem *Justificare*: docentes, Significari illà, Justitiæ infusionem, non imputationem; Duplicem esse Justificationem, Primam, & Secundam.

3. Errorem, quem fovent circa *Fidem*: expressè contradicentes Apostolo Paulo, qui quum dicat in textu prælecto, *Fide hominem justificari, absque Operibus Legis*; Illi dicunt, *Operibus hominem justificari, non absque Fide*.

C. Apostolus Paulus, in disputatione de Justificatione, ait, Gal. 2. 21. *Irritam non facio Gratiam Dei: nam, si per Legem est Justitia, Igitur Christus frustra, & sinè causa, mortuus est.*

Quid Pontificii aliud faciunt, quàm quòd

Irritam faciunt, & abjiciunt ac repudiant Gratiam Dei?

Dum docent, Propriis operum meritis justificari hominem;

Gratiam Dei pingentes in ipsis hominum Operibus;

Merito Christi, merita propria, Sanctorumque, assuentes:

Nonne hoc ipso ostendunt, Christum pro ipsis mortuum non esse, saltèm, Christum frustra mortuum esse?

Nos verò, ne irritam faciamus, aut abjiciamus, Gratiam Dei;

Sed credendo Gratiam Christi apprehendamus, proramque ac puppim Salutis nostræ statuamus.

Faciamus quidem Bona Opera, sed illis non nitamur, fidamus; sed fidamus soli Gratiaè Dei, & Merito Christi:

Quod sufficit nos salvare, & adducere ad vitam æternam, gloriosam, & beatam.

V. Ad quam nos suo tempore promoveat & adducat,

Gratia & misericordia Patris, qui pro nobis dedit Filium;

Charitas & dilectio Filij, qui mortem pro nobis oppetiit;

Communicatio Spiritus Sancti, qui nos veritatem docet, qui nos consolatur, & per veram fidem confirmat:

Benedictus sit Deus ille unus ac æternus, verusque, hic, & in omnem æternitatem, Amen.

CONCIO XXIX.

C O N C I O XXIX.

De Lege Stabilita, per Fidem.

Textus, Rom. III. vers. 31.

Legem igitur inutilem reddimus, per Fidem? Absit: imò Legem stabilimus.

E X O R D I U M.

EXplicatâ hactenus doctrinâ, de Justificatione hominis coram Deo; Nunc sub finem hujus Cap. III. Paulus occurrit Objectioni: Perspiciebat enim, ut Apostolus à Spiritu S. illuminatus, Doctrinam hanc, de Justificatione hominis, quâ docetur, Solâ Fide in Christum, absque Operibus Legis, eam fieri; Semper gravatum iri calumniâ, quasi Legem eliminaret, studiumque bonorum Operum tolleret ac imminueret. Idcirco sub finem hujus Capitis, in quo tam multa disputaverat, De gratuita Justificatione hominis coram Deo, per Fidem, occurrit huic Calumniæ, & objectioni rationis humanæ. Objici enim poterat Paulo, hæc docenti: Doctrina, Legem otiosam & inutilem reddens, adeoque tollens, non est audienda aut recipienda, neque toleranda: Atqui per hanc doctrinam, quam tu ô Paule doces, de Fidei justificatione absque Operibus, Lex otiosa & inutilis redditur: Ergo hæc doctrina non potest esse vera, ac proinde nec toleranda est, nec audienda aut recipienda. Respondet Apostolus Paulus, in verbis prælectis, Non solum non tolli Legem, per Fidem, vel per doctrinam illam, de gratuita Justificatione Fidei; Sed etiam contra Legem stabiliri, per Fidem, illamve de Justificatione Fidei doctrinam.

P. Duo ergo respondet Apostolus Paulus, ad Objectionem illam; Quæ erunt totidem partes hujus Concionis nostræ:

I. *Negat, per Fidem Legem tolli;*
 II. *Dicit, per Fidem Legem stabiliri.*

R. 2

Has

Has duas partes si consideraverimus, discemus,

Ex I. Si Lege nemo justificetur, tamen frustra eam non esse latam:

Ex II. Fidem, Legem & Bona opera minimè excludere;
ut hodiè que calumniantur Papistæ, sed requirere potiùs.

V. Deus regat nos Spiritu suo bono, ut in via veritatis, recto tramite,
ac inoffenso pede, incedamus, nec ab ea unquam declinemus:

Idem in cordibus nostris accendat veram ac salvificam Fidem,
quæ non mortua sit, sed viva, & efficax per charitatem;
ut finem fidei nostræ, Salutem animarum nostrarum, tandem læti af-
sequamur, in Dei perpetuam gloriam: Amen.

P A R S I.

Legem non tolli per Fidem, initiò dicendum est.

Præp. Verum est, quod dicitur, Unius rei plures esse possunt fines:

Quum dicitur, Rem aliquam non servire ad hunc finem;

Eo ipso non dicitur, Non servire eam ad alium finem:

Adeoque, negato uno fine, non tollitur res ipsa.

Applicemus ista ad Legem Dei, per Moysen latam:

Quum dicitur, Legem non justificare:

Eo ipso non dicitur, Legem ad aliud quid non esse utilem:

Adeoque, negato illo fine, Lex ipsa propterea non tollitur.

Nimirum, quum dicitur, Legem non esse latam hoc fine,
ut per illam justificemur; non eo ipso tollitur Lex.

Quamvis enim Lex, post lapsum, non sit lata hoc fine,
ut per illius observationem justificemur:

Non, quòd Lex nimis debilis sit, ad nos justificandos,
si scilicet illam perfectè præstare possemus;

Sed, quia nos nimis debiles sumus, ad eam servandam;
ut Paulus testatur, Rom. 7. v. 12. 13. 14. *de quo inf.*

Tamen aliò servit, nimirum,

1. Ut indè agnoscamus peccatricem nostram naturam;
indè que compelleremur, ad quærendum Redemptorem.

2. Ut haberemus regulam vitæ Christianæ, à redemptis debitæ:
non, ut aliquid mererentur, merito alieno redempti;
sed, ut gratos se pro Redemptione declararent Deo,
Patri, pro dato Redemptore: Filio, pro Redemptione:
Spiritu S. pro confirmatione Redemptionis.

*) *Præp.*

a) Prop. Hæc causa est, ob quam in textu prælecto dicit Paulus;

Text. Num Legem inutilem reddimus per Fidem? Absit.

Exeg. Absit, inquit, ut hæc docentes tollamus Legem: Quasi dicat,
Suprà docuimus, Per Legem neminem justificari, coram Deo;
Quis indè concludat, Nos Legem inutilem reddere?
Atquì diximus simul, Per Legem esse cognitionem peccati.
Cur ergo nobis imputaretur, quasi tolleremus Legem?
quasi diceremus, Legem planè esse inutilem?

Doct. Manet ergo Lex utilis, ad hæc duo,

thes. Primò, ad cognitionem peccati; quo cognito quæritur Redemptor:
Deinde, ut sit regula vitæ Christianæ, à redemptis debitæ.

ant. Quanquam inutilis sit, ad nos justificandos; vitio licèt,
non Legis ipsius, sed hominis per lapsum corrupti.

rest. Expressè ita docet Apostolus Paulus, Rom. 8. v. 3. 4.

Quæ Legis erat impotentia, quum viribus esset destituta, in
carne; Deus suo ipsius Filio misso, in forma consimili carni,
peccato obnoxia, idq; pro peccato, cõdemnavit pecc. in carne:

Ut jus illud Legis compleatur in nobis, &c.

Ecce, hîc expressè dicit Apostolus,

Legi impossibile fuisse, nos justificare corâ Deo: Eccur verò?
Non ex se; sed, quia infirmata erat à Carne.

Caro & sanguis non poterant servare Legem:

Ergo neque per Legem poterant justificari coram Deo.

Atque hoc est, quod idem Apostolus ait, Rom. 7. v. 10.

Inventum est, illud præceptum, quod erat ad vitam, mihi ce-
dere ad mortem. Item ibid. v. 12. 13. 14.

Lex ipsa quidem sancta, & præceptum illud sanctum, ac ju-
stum, & bonum. Ergo, quod bonum est, mihi factum est
Mors? Absit: imò Peccatum mihi factum est Mors; ut
manifestum fiat, quòd peccatum mihi per id, quod bonum
est, efficiat mortem: ut peccatum fieret admodum peccans,
per illud præceptum. Scimus enim, Legem esse spiritualem:
at ego carnalis sum, venditus ut subjicerer peccato, h. e. ut
servirem peccato, v. 25.

Hoc vult dicere, Legem Per se utilissimam, ac sanctam esse:

Per accidens verò, vitio hominum corruptorum, esse,

Cùm Speculum vitiositatis, Tùm irritationem peccati; ut

Nitimur in vetitum semper, Cupimusque negata.

R r 3

β) rep.

β) rep. Idcirco, Lex est

Inutilis, ad Justificationem; ut hactenus multis declaravit Paulus, dum docuit, *Operibus Legis neminem justificari*: ideò scilicet, *Quia omnes sint peccatores, ac deficiantur gloriâ Dei*. *Utilis* autem, ad Cognitionem peccati, & Regulam vitæ piæ.

1. Quomodo ex Lege peccatum cognoscatur,

Id suprâ singulari concione tractavimus, super his verbis, *Verf. 20. Per Legem est cognitio peccati*: nempe *conc. XX.*

Idem quoque docet Apostolus infra, Rom. 7. v. 7. ubi ait; *Peccatum non cognovi, nisi per Legem: Nam, Ipsam quoque Concupiscentiam non nossem esse peccatum, nisi Lex dixisset, Non Concupisces.*

Idem etiam docet, Rom. 4. v. 12. *Lex iram efficit*; hoc est, facit cognoscere: *Ubi enim non est Lex, ibi nec transgressio*; hoc est, ex Lege commodissimè transgressio cognoscitur.

Itè, Rom. 5. 20. *Lex verò præterea introiit, ut amplificaretur offensa*; h. e. ut ejus magnitudo rectiùs patefieret.

2. Quomodo autem Lex sit Regula vitæ Christianæ, debitæ, Id docetur parte III. Catech. *quæst. 91.* ubi docetur; *Illa tantùm esse Bona opera,*

Non, quæ sunt propriæ opinionis, aut traditionis humanæ; nam Frustra Deus colitur traditionibus humanis, Matt. 15. 9.

Sed, quæ Deus in sua Lege præscribit, ac postulat; ubi singula præcepta Decalogi ordine explicantur.

γ) *transf.* Quapropter in his diutius nos non detinebimus;

Sed ad Secundum progrediemur, ubi dicit Paulus, *Legem per Fidem stabiliri.* Etenim,

Non solùm negat, *Fide Legem tolli aut inutilem reddi*; Sed etiam contrarium docet, *Fide stabiliri Legem.*

δ) *Usus.* (ref.) Id verò priùs hîc discamus,

err. Intolerabilem fuisse errorem Antinomorum,

qui docebant, Legem in N. T. planè sublatam esse; nec posse illam utiliter inter Christianos doceri, variis argumentis id probare annisi.

ref. Quæ omnia refutantur, egregiâ hac conclusione Pauli, *Num igitur Legem inutilem reddimus? Absit.*

Sed hæc & ex sequenti parte ampliùs cognoscentur, ubi declarabuntur sequentia verba; *Imò, Legem stabilimus.*

PARS II.

P A R S II.

*Legem stabiliri per Fidem, deinceps declarandum est,
Text. Ubi dicit Paulus; Imò, Legem per Fidem stabilimus.*

*Exeg. Quomodo id ipsum fiat, non est omnium eadem opinio:
prop. Sed planius id cognoscemus, si attendamus,*

1. Ad Comminationem Legis;
2. Ad Promissionem Legis;
3. Ad Summam Legis.

tract. Consideremus igitur hæc tria, ut per Fidem ea stabiliantur.

I. *Comminatio Legis,*

thes. Proponitur in his Scripturæ dictis:

Gen. 2. 17. *Quo die comederis de fructu arboris vetitæ, moriendo morieris, vel, Morte morieris. Convenit illud,
Rom. 6. 23. Stipendium peccati est, Mors. Item illud,
Rom. 1. 31. Jus Dei est, (q. d. hæc ejus est Lex justa,) eos qui talia faciunt dignos esse Morte. In genere sic,
Deut. 27. 26. Gal. 3. 10. Maledictus omnis, qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, ut ea faciat.*

decl. Hanc Comminationem Legis Fide stabilimus,

*Quia credimus, hanc Comminationem non fuisse inanem:
Nam, Si Christus illam Maledictionem in se non recepisset,
nos ipsos illam sufferre necesse fuisset.*

*test. Hinc Paulus, propositâ Maledictione Legis, ait, Gal. 3. 13.
At Christus nos redemit à Maledictione Legis,
Dum pro nobis factus est Maledictio; pendens in cruce sc.*

Hinc in eadem Epistola ait, Gal. 4. v. 4. 5.

Postquam venit plenum tempus, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum Legi subiectum; hoc est, subiectum Legis Maledictioni, ὑπὸ νόμου:

Ut eos, qui Legi, h. e. Maledictioni Legis, erant subiecti, redimeret; quo adoptionem acciperemus.

Sic, 2. Cor. 5. 21. Deus fecit eum, qui non novit peccatum, ut pro nobis peccatum esset, i. e. sacrificium pro peccato; ut nos efficeremur justitia Dei, in eo.

Sic, 1. Pet. 3. 18. Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro injustis, &c. Sic alibi passim, Esa. 53. &c.

II. *Promissio*

II. *Promissio Legis,*

thes. Proponitur his Scripturæ dictis:

Gen. 4. 7. *Nonne, si bene egeris, Remissio, seu Elatio erit.*

Lev. 18. 5. Gal. 3. 12. *Homo, qui fecerit ea, vivet per ea.*

decl. Hanc Promissionem Legis Fide stabilimus,

Quia hac ipsâ Fide credimus, Christum Legem præstitisse,
atque sic promissionem vitæ æternæ nobis acquisivisse.

Nam, non poteramus nos Legem perfectè præstare,
proinde, nec participes fieri promissionis Legis.

Christus autem, merito mortis suæ nos à Morte liberavit,
merito perfectæ obedientiæ Justitiam nobis promeruit.

test. Juxta Rom. 5. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis, (Adami,) peccatores constituti sunt multi; ita per unius (Christi scil.) obedientiam, justi constituentur multi, (credentes sc.)*

Nos non poteramus Legem perfectè præstare, (ut suprâ;)

Christus autem eam perfectè poterat præstare. Nam,

Non noverat peccatum, 2. Cor. 5. 21.]

Agnus erat inculpatus & incontaminatus, 1. Pet. 1. 19.

Non peccavit, nec inventus fuit dolus in ore ejus, 1. Pet. 2. 22.
quod desumptum est, ex Esa. 53. v. 9.

Necessè quoque fuit, Christum esse innocentem & sanctum,

Non tantùm, ut promissionem hanc nobis acquireret;

Sed etiam, ut satis dignum esset mortis ejus pretium: ut

Heb. 7. v. 26. 27. *Talis nos decebat Pontifex, sanctus, ab omni malo alienus, sinè labe, separatus à peccatoribus, & sublimior cælis factus: Cui non sit quotidie necesse, ut illis Pontificibus, prius pro peccatis propriis victimas offerre, deinde pro peccatis populi. Hoc enim fecit semel, &c.*

Hinc passim urgetur Obedientia & Justitia Christi.

1. Pet. 3. 18. *Justus pro injustis.*

1. Joh. 2. 1. *Habemus Advocatum apud Patrem, Jesum Christum, Justum.*

Phil. 2. 8. *Factus Obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.*

Heb. 9. 14. *Quantò magis Sanguis Christi emundabit nos, qui semetipsum obtulit Inculpatum Deo.*

1. Pet. 1. 19. *Redempti estis pretioso Sanguine Christi, utpote Agni Inculpati, & Incontaminati.*

III. *Summa*

III. Summa Legis,

thes. Proponitur ab ipso Christo, Matt. 22. v. 37. 38. 39.

*Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo,
& ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua,
& ex omnibus viribus tuis, (Marc. 12. 30. Luc. 10. 27.)*

Istud est Primum & maximum mandatum: Secundum autem simile est huic, Diliges Proximum tuum, ut teipsum.

decl. Hanc Dilectionem Dei, & Proximi, stabilimus etiam Fide,

Quia scimus, & credimus, Redemptos per Christum studere Charitati, & Fidem absque Charitate consistere non posse: Etenim,

test. Gal. 5. v. 6. *Fidem per Charitatem esse efficacem. Item,*

Eph. 1. v. 4. *Electos nos esse in Christo, ante jacta mundi fundamenta, ut simus sancti & inculpata, in conspectu ejus, cum Charitate.*

Ibid. v. 11. 12. *Nos esse in ipso in sortem adscitos, quum essemus predestinati secundum prestitutum ejus, qui omnia agit ex consilio voluntatis sue, ut simus laudi gloriae ipsius.*

2. Cor. 5. 15. *Christum ideo mortuum esse pro omnibus, ut qui vivunt, posthac non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & suscitatus est.*

Tit. 2. 14. *Christum semetipsum dedisse pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & ut purificaret sibi ipsi populum peculiarem, accensum studio bonorum operum.*

Tit. 3. 8. *Certum esse hunc sermonem, ut qui crediderunt Deo, curent bene agendo praeire.*

Eph. 5. v. 25. 26. 27. *Christum dilexisse Ecclesiam, & semetipsum exposuisse pro ea: Ut eam sanctificaret, ab eo purificatam lavacro aquae, per Verbum: Ut sifteret eam sibi gloriosam, id est, Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam ejusmodi; sed ut sit sancta & inculpata.*

2. Tim. 2. 19. *Solidum Dei fundamentum stare, habens sigillum hoc, Novit Dominus eos qui sunt sui, & Abscedat ab injustitia, quisquis nominat nomen Christi.*

Joh. 13. 34. 35. *Christum novum praeceptum nobis dedisse; sicut ipse dilexit nos, ut nos etiam diligamus alij alios. Ex hoc cognosci, nos esse discipulos Christi, si Charitatem habeamus alij in alios. Sic Joh. 15. v. 12.*

1. Joh. 3. 3. *Quisquis habet hanc Spem in eo sitam, castum se conservat, sicut ille castus est. Sic alibi, Gal. 5. 24. &c.*

S I

)fin.

2) *fin.* Hoc quidem scimus,

degr. Nos non posse observatione Legis quicquam mereri;

Sed *dicendum esse nobis*, si omnia fecerimus, quæ edicta sunt nobis;
Servi inutiles sumus, nam quod debuimus facere, fecimus: ut
nos monet Christus, Luc. 17. v. 10.

Et quid miseri mereremur apud Deum?

Da tua, sed Quæ non debes, Proportio & adsit,
Commoda & unde Deo: sic meritum esse potest.

Atqui Bona nostra opera,

Non sunt nostra; sed Dei ea in nobis operantis: ut,

1. Cor. 4. 7. *Quid habes, quod non acceperis?*

Debita sunt; ut sup. ex Luc. 17. 10. vidimus. Sic,

Rom. 8. 12. *Debitorum sumus, non Carni, sed Spiritui.*

Proportio nulla est, inter Mercedem & Opera: ut,

Rom. 8. 18. *Reor minimè pares esse perpeffiones presentis*
temporis, gloria in nobis revelanda.

2. Cor. 4. 17. *Illico præteriens levitas afflictionis nostræ,*
excellenter excellentis gloria pondus eternū conficit nobis.

Deo nihil boni à nobis accedere potest: ut,

Rom 11. 35. *Quis prior dedit ei, & reddetur ei?*

Sic, Psal. 16. 2. Psal. 50. v. 8. &c.

3) *fin.* Nihilominus Bona opera esse facienda, triplici fine.

1. Ut ita gratos nos declaremus, pro gratia Redemtionis: ut

Rom. 12. 1. 2. *Adhortor vos, per MISERATIONES DEI,*
ut sistatis Deo corpora vestra, hostiam vivam, sanctam, placen-
tem Deo, &c. probantes, quæ sit voluntas Dei, bonæ illa, &c.

2. Ut de Fide & Spe nostra certiores reddamur: ut,

2. Pet. 1. 10. *Potius studete Vocationem & Electionem vestram fir-*
mam efficere; per studium bonorum operum sc. ut vers. præc.

Qui studet Bonis operibus, is verè gloriari potest de Fide:

ubi verò non sunt Bona opera, ibi nec Fides vera: Jac. 2. 26.

3. Ut etiam homines videant bona nostra opera, atque ita

Lucrifiant, glorificentque Patrem nostrum cælestem;
ut Christus monet, Matt. 5. v. 16.

Neque habeant, quo calumnientur nostram doctrinam: ut,

Tit. 2. 8. *Ut erubescat, nihil habens quod de vobis dicat mali.*

Rom. 2. 24. *Nomē Dei propter vos blasphematur inter Gentes.*

1. Pet. 3. 1. *Ut absq; Sermone lucrifiant, per piā conversationē.*

2) Appl.

2) Appl. (in Doct. & Usu.)

Doct. Videmus hinc, verum esse, quod Apostolus ait, Rom. 10. v. 4.

thes. *Finis Legis est Christus.* Eapropter verum quoque est,
Legem, absque doctrina Evangelii, quæ est de Fide,
perfectionem suam non consequi: Nam,
Christus est finis, adeoque & perfectio Legis.

decl. Etenim in Christo Jesu,

Non solum impletæ sunt omnes promissiones Legis; juxta
Joh. 1. 17. Lex per Moysen data, Gratia & veritas per J. Christum.

Quin & omnes Ceremoniæ Legis adimpletæ; Col. 2. 9.

In eo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter: hoc est,

Omnes Promissiones divinæ in eo impletæ; omnesq; Ceremo-

niæ, quæ tanquam Umbra respondent Corpori, *Ibid. v. 17.*

Nec solum Legem à corruptelis Pharisæorum vindicavit, &
rectè explicavit; juxta Matt. 5. 17. *Non veni, ut dissolvam*

Legem, sed ut eam impleam; rectè etiam explicando, *ut in seqq.*

Sed etiam, & cum primis, ut supra dictum est,

1. Quia Maledictionem Legis pro nobis subiit:
2. Quia nostro bono totam Legem perfectè præstitit:
3. Quia regenerat nos Spiritu S. ad Legem præstandam,
sanctitatem in nobis hinc incoando, ibi perficiendo.

Usus. (ref.) Videmus hinc quoque,

obi. Quàm iniqui in nos sint Papistæ, qui dicunt,

Vetare nos Bona opera, saltèm frænum laxare impietati;

Quum ex Paulo docemus, *Fide solâ nos justificari, absq; Operibus.*

resp. Hoc quidem verum est, Doctrinam Fidei

Tollere omnes Traditiones humanas, atque

Rumpere vincula, conscientis à Papa nexa:

Sed Legem Dei non tollit Doctrina Fidei.

Non vetamus Bona opera, aut laxamus fræna Peccatis:

Sed vetamus fiduciam locari in Bonis operibus, nitiq; meritis.

decl. Hæc longè diversa sunt: Non debere nos facere Bona opera; &

Non debere nos Bonis operibus niti, tanquam meritis.

Non vetamus facere Bona opera, sed illa mandamus:

Et quidem hoc fine, ut dictum modò est,

Ut Deus per illa glorificetur;

Ut certiores reddamur de Fide & Spe nostra;

Ut alios lucrifaciamus, anam calumniandi præcidamus.

n) Non autem hoc fine,

Ut Salutem putemus nos per illa posse mereri.

Promittit quidem Deus, se remuneraturum Bona opera:

Sed hæc Remuneratio, non fit ex Debito,

Verùm ex mera gratia, Joh. 1. 16. *Gratia pro gratia.*

2) *ant.* Veruntamen, si à Papistis in hoc casu convitiis proscindamur,
Nihil novi fit. Fit enim, quod præsensit Paulus, hæc scribens:

Faciunt ipsi, quod fecerunt omnes hostes Gratia Dei;

prout à veteribus hi tales sunt vocati:

utpote qui non possunt ferre salutarem hanc Doctrinam,

Ex mera gratia nos servari, sine nostris viribus & meritis.

C O N C L U S I O.

R. Sed finem faciamus: Audivistis ità, Auditores, Fidem;

1. Non solùm non tollere aut inutilem reddere Legem;

2. Sed etiam eandem contrà stabilire.

C. Sic itaque ad finem perduximus *Cap. III.* Epistolæ ad Romanos;

In quo tam diu sumus immorati:

Quum in eo plenissimè tractetur fundamentum Salutis nostræ,

nempe Doctrina, de gratuita Justificatione hominis coram Deo;

quæ fit absque Operibus, solâ Fide, fundatâ

in Gratia Dei, & Merito Redemptoris nostri Christi.

Det Deus, ut omnia dicta sint ad ædificationem Ecclesiæ suæ;

utque probè consideremus, Fide non tolli, sed stabiliri Legem.

Multi ità vivunt, quasi Fides esse possit finè Bonis Operibus:

Gloriantur quidem, se Christianos esse, & credere in Christum;

interim voluntant se, quasi in cœno peccatorum suorum.

Hæc certè non est vera Fides: nam,

Ubi vera Fides, ibi ea est efficax per Charitatem;

ibi sunt & Bona Opera, pietatis, & charitatis.

Quæ Opera etiam Christus in illo die laudabit, & compensabit:

Non, quòd eadem sint aliquid promerita;

Sed, quia orta sunt ex vera Fide, quâ credimus,

Salutem æternam nobis, à Benedictione Patris,

Præparatam esse, Ante jacta mundi fundamenta.

V. Ad hanc gloriosam Salutem, ex gratia, nos tandem perducatur,

Deus, P. F. & Sp. S. benedictus in omnia secula, Amen.

CONCIO XXX.

CONCIO XXX.

De Justificatione Abrahami.

Textus, Rom. IV. v. 1—5.

Quid igitur dicemus, Abrahamum patrem illum nostrum nactum esse, secundum carnem? Nam si Abrahamus ex operibus justificatus fuit, habet quod gloriatur, at non apud Deum. Quid enim Scriptura dicit? Credidit autem Abrahamus Deo, & imputatum est ei ad justitiam. Atqui ei qui operatur, merces non imputatur ex gratia, sed ex debito: Ei vero qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam.

E X O R D I U M.

Meriti proprii opinionem veterem esse, at periculofam, Patet ex iis, quæ hætenus disputavit Paulus, & adhuc disputat. Hætenus immorati sumus explicationi Capitis III. ad Romanos; in quo præter alias perpulcras doctrinas, plenè ac planè proponitur doctrina fundamentalis, de gratuita Justificatione hominis coram Deo.

Progredimur nunc, ex ordine, ad Cap. IV. epistolæ ad Romanos; In quo Apostolus Paulus tria præstat:

- I. Pergit probare propositum, nempe Hominem justificari, non Operibus Legis, sed Fide, ex mera Dei gratia,
 1. Exemplo Abrahami;
 2. Testimonio Davidis;
 3. Aliis aliquot Argumentis.
- II. Declarat, Qualis fuerit fides Abrahami, quæ ei fuit imputata ad justitiam.
- III. Tandem fidem, Abrahamo imputatam, etiam nobis applicat; simulque docet, in qua re fides Christiana sit fundata: nempe, in Deo, qui Jesum Christum excitavit à mortuis; & in Christo Jesu Redemptore nostro, qui sit Propter peccata nostra traditus in mortem, Propter nostræ justificationem suscitatus.

S f 3

Ità ut

Ità ut tres sint partes hujus Capitis IV.

Quas cum Deo ordine pertractabimus:

In I. parte adducit tria, quibus probat propositum dogma,
Hominem justificari coram Deo, non Operibus, sed Fide;
1. Exemplum Abrahami, Patris credentium, ex *Gen. 15. 6.*
2. Testimonium Davidis, Beatitudinem hominis statuentis,
in gratuita Remissione peccatorum, ex *Psal. 32. 1. 2.*
3. Alia aliquot Argumenta, quibus idem insinuat.

In II. parte commendat, & describit Fidem Abrahami,
Patris omnium credentium, qui sunt ejus filii, per promissionem.

In III. parte docet, nos eodem modo justificari, quo fuit Justificatus
Pater omnium nostrum Abrahamus, quoad fidem.

Nos hac vice proponemus Primum argumentum,
quod sumit Apostolus Paulus, ab Exemplo Abrahami.

Dicitur vulgò, Exempla illustrare, probare etiam si sint Paria:
Idcirco sic vult concludere Paulus;

P. Sicut Abrahamus, Pater omnium credentium, justificatus fuit,
sic etiam omnes Credentes, ut filii ejus, justificantur.

A. Atqui Abrahamus, Pater credentium, justificatus fuit,
non ex Operibus, sed ex Fide in Deum.

C. Ergo & omnes Credentes, ut filii ejus secundum promissionem,
sic justificantur; non ex Operibus, sed ex Fide.

In textu prælecto Apostolus probat Assumptionem, distinctè;
primò, non fuisse Abrahamum justificatum Operibus:
secundò, Sed fuisse eum justificatum Fide in Deum.

P. Ità ut duæ hæ partes in hac Concione sint attendendæ:

I. *Abrahamum non esse justificatum Operibus:*

II. *Abrahamum justificatum esse Fide.*

Quas duas partes, hac vice, in timore Domini considerabimus,
ut & nos, qui sumus filii Abrahamæ secundum promissionem,
discamus exemplo patris nostri pariter justificari.

V. Deus, Fons omnis gratiæ & misericordiæ, isque inexhaustus,
Largiatur nobis gratiam, ne ad alium fontem eamus,
haustum Salutem nostram, quàm ad fontem Gratia Dei,
utque ex hoc fonte hauriamus Gratiam pro Gratia:
Largiatur idem nobis gratiam Spiritus sui Sancti,
ut exemplum hoc Abrahami diligenter consideremus,
ad Dei gloriam, nostramque salutem æternam: *Amen.*

P A R S I.

P A R S I.

Principiò, Paulus Interrogat, & ad illam interrogationem Respondet.

I. INTERROGAT.

Text. His verbis; *Quidigitur dicemus, Abrahamum, patrem illum nostrum, nactum esse, secundum carnem?*

Exeg. Attende hic, ad rationem argumentationis Apostolicæ:

1. Interrogat; ut tantò efficacius moveat;
& ab ipsis auditoribus suis assensum impetret.

2. Præ aliis exemplis, seligit exemplum Abrahami:

Quia sciebat, Judæos semper de patre suo Abrahamo gloriari;
ut videre est, ex historia Novi Testamenti: nempe, ex

Matt. 3. 9. ubi Johannes Baptista Judæos ità alloquitur;

Ne putate vobis dicendum apud vos ipsos, Patrem habemus Abrahamum: Dico enim vobis;

Deum posse etiam existis lapidibus excitare liberos Abrahamo:

quasi dicat; Filij ejus genuini sunt,

Non, qui secundum carnem ex eo editi sunt,

sed, qui ex promissione, per fidem, ejus filij fiunt:

ut declarat Paulus, *Gal. 4. v. 23. & seqq.*

Joh. 8. v. 33. 39. 59. ubi Judæi identidem Christo ingeminant;

Nos semen Abrahamæ sumus, nec cuiquam servivimus unquam.

Pater noster Abrahamus est.

Num tu major es patre illo nostro, Abrahamo?

Idcirco hoc vult dicere Paulus; Si Abrahamus,

Patriarcha ille celeberrimus, non est justificatus Operibus,

Multò minùs posteri ejus, cum ipso minimè comparandi.

3. Dicit autem; *Quid dicemus, Nos?*

Atque ità utitur prudentiâ Apostolicâ;

Ne Judæos offenderet, si dixisset, *Quid dicitis vos Judæi?*

4. Interrogat autem; *Quid Abrahamus, pater ipsorum, nactus sit,*
text. Secundum carnem.

decl. Hoc est, *Quid Operibus suis, & externis meritis,*
impetrârit apud Deum.

Sic enim verba hæc, *Secundum carnem,* intelliguntur: nam,

Statim subjungitur, *Si Abraham operibus justificatus fuit;*

Opponuntur his verbis postea illa, *Ex gratia,*

e)coll.

u) coll. Sunt tamen ex veteribus plerique, qui hæc verba
 Conjungunt, cum illis, *Abrahamum, patrem nostrum:*
 Ut hic sit sensus, *Quid dicemus, nactum esse Abrahamum, qui*
Pater noster est secundum carnem?

concl. Summa, Interrogat Paulus his verbis,
 Quid omni suâ sanctitate adeptus sit Abrahamus?

II. RESPONDET.

1. In genere: Respondet ad hanc interrogationem Paulus,

arg. Non simpliciter;

dis. Sed ex eo, quod sequitur, perspicui potest: Abrahamum,
 Ne minimùm quidem adeptum fuisse suis Operibus;
 Nec fuisse eum Justificatum ex Operibus suis.

decl. Non quidem vult Paulus Virtutes Abrahami extenuare,
 Laudemque ejus imminuere. Etenim,
 Quis non admiraretur pietatem Abrahami? eum
 Patriam suam, jussu Dei, reliquisse, & terram peregrinam,
 desertâ cognatione suâ, petiisse, *Gen. 12.*
 Non detrectasse circumcidi, in senectute sua,
 cum tota familia sua mascula, ejusdem jussu, *Gen. 17.*
 Pacis causâ Loto optimum pascuum cessisse, *Gen. 13.*
 Lotum captivum, cum vicinis, liberasse, *Gen. 14.*
 Sacerdoti Dei Melchisedeco tantum honorem exhibuisse,
 ut etiam decimas eidem persolveret, *Gen. 14.*
 Tam hospitalem fuisse, in excipiendis hospitibus, *Gen. 18.*
 Tam fideliter pro Sodomitis deprecari, *Gen. 18.*
 Hagarâ ancillam tam benevolè tractasse, *Gen. 21.*
 Tam constantem amicitiam ac fidem coluisse, *Gen. 21.*
 Non voluisse parcere unigenito filio suo Isaaco,
 ut voluntatem Dei, de eo immolando, faceret, *Gen. 22.*
 Isaaco, filio suo, quævisse uxore, nō ex alienigenis, *Gen. 24.*
 Quis neget eum egregium nomen adeptum? ut vocaretur,
 Pater credentium, *Rom. 4. 11.*
 Pater multitudinis Gentium, *Gen. 17. 5.*
 Dilectus Dei, *Esa. 41. 8.* vel,
 Amicus Dei, *Jac. 2. 23.*

Sed hoc vult Paulus, Abrahamum Operibus suis bonis
 Non fuisse justificatum coram Deo:

Id quod deinceps specialiter declarat, & demonstrat.

β) 2. In specie:

2. *In specie*: Non esse Abrahamum Operibus justificatum coram Deo,
Probat Paulus, duobus Argumentis:

1. *Text.* Nam si Abrahamus ex Operibus justificatus fuit,
habet quod gloriatur, at non apud Deum.

Exeg. Quasi dicat;

P. Si Abrahamus ex Operibus justificatus fuit,
habet gloriationem apud Deum: quasi fecisset aliquid,
propter quod ei deberet salutem Deus.

A. Atqui Abrahamus non habet gloriationem apud Deum.
Apud homines ejusmodi gloriatio locum habere potest:

Homines enim, quum non possint videre Fidem,
ut internum quid, & latens in corde;

Respiciunt illi externa Opera, ut signa Fidei.

Unde Jacobus, Jac. 2. 24. *Hominem (ait) etiam justifi-*
ficari Operibus, coram hominibus scilicet:

Quia scilicet Fides vera nunquam sit sine Operibus;

Fidem autem non posse videri, Opera posse:

Ut in superioribus concionibus explicavimus.

Sed apud Deum ejusmodi gloriatio locum non habet:

Deus enim respicit cor ipsum, & requirit

Perfectionem, quam nullus hominum habet.

Ita ut hic sit sensus Apostoli:

Concedo quidem, Abrahamum ex Operibus justificatum,

hoc est, justum cognitum esse coram hominibus;

quia bonis operibus fidem suam comprobavit,

ex eoque laudem aliquam apud eos est nactus.

At coram Deo alia est ratio:

Hic nihil habet Abrahamus, quod gloriatur. Nam,

Psal. 143. 2. *Coram ipso nullus vivens est justus:*

unde petit David, *ne secum congregiatur iudicio.*

Psal. 130. 3. *Si peccata observaveris Domine,*

Domine, quis consistet? Confer,

Job. 9. 3. cap. 4. 18. 19. cap. 15. v. 15. 16.

Et quid habebat Abraham, quod non accepisset?

Si acceperat à Deo, quid gloriaretur coram eo? 2. Cor. 4. 7.

C. Ergo, non fuit Abrahamus justificatus Operibus coram Deo:

Sed necesse habuit, fidere soli gratiæ & misericordiæ Dei;

Eamque excipere solâ Fide, absque Operibus.

T t

) Appl.

2) Appl. (in Doct. & Usu.)

Doct. (contra Papistas.) Papistæ, contrarium docentes,

err. Vellent apertissima verba Pauli; & dicunt,
Paulum à Justificatione Abrahami excludere
Opera, naturæ viribus, sinè fide facta,
non verò Opera illa, quæ ex fide fecit: (ut sup.)

thes. At verò cuique manifestum esse potest,
Paulum excludere Opera Abrahami,
non ut infidelis, sed ut fidelis ac credentis,
Adhæc, in genere dicit de Operibus Abrahami,
Ergo omnia ejus Opera excludit,
Non solùm ante regenerationem ab eo facta,
sed etiam, & cum primis, quæ post regenerationem:
nam quæ ante eam fecit, non erant Bona opera.

concl. Sed his non ampliùs immorabimur, quum de istis omnibus in superioribus concionibus abundè dixerimus.

Usus. Id verò hinc observandum nobis est,

hyp. Si Abrahamus, sanctissimus patriarcha, adeptus est,
nihil secundum carnem, h. e. merito operum suorum;
sed meram gratiam, à Deo gratis vocante & justificante;

thes. Oportet impudentes esse hypocritas, illos,
qui sua Merita iudicio Dei objicere non dubitant.

test. Nos verò, ad exemplum Abrahami,
Humiliabimus nos coram Deo, agnitione infirmitatis nostræ,
summæque imperfectionis, dicentes cum ipso,
Gen. 18. 27. *Ecce nunc cuperem alloqui Dominum,*
tametsi ego sim pulvis & cinis.

Imò dicemus cum Elia propheta, Ela. 64. 6. (10.)

Sumus ut immundus omnes nos, & sicut panniculus contami-
natissimus omnes justitiæ nostræ:

Diffluimusque velut folium omnes nos, &
Iniquitates nostræ ut ventus auferunt nos.

Quinimò, juxta admonitionem Christi, Luc. 17. 10.

Quum omnia fecerimus, quæ edicta sunt nobis, dicemus;

Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.

Cum Paulo verò ruminabimus illud, 1. Cor. 4. 7.

Quid habes, quod non acceperis? Quod si etiam accepisti, quid glo-
riaris, quasi non acceperis?

2) 2. Text.

2) 2. Text. Porro ita dicit Apostolus Paulus;

P. *Ei qui operatur, hoc est, qui confidit Operibus suis,
Merces non imputatur ex Gratia, sed ex Debito.*

A. Atqui (vult dicere Paulus,) Merces Abrahamo est data,
non ex Debito, sed ex Gratia.

C. Ergo Abrahamus non est confusus Operibus suis;
proinde nec justificatus est Operibus.

Exeg. (probatio A.) Abrahamo autem datam esse mercedem à Deo,
non ex Debito, sed ex Gratia;

Probat Paulus testimonio Mosis, qui dicit, Gen. 15. 6.

Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad justitiam:

Atque hoc ipsum porro declarat.

Sed hæc Probatio pertinet ad Secundam partem,
ad quam nunc nos accingemus, ac docebimus;
Abrahamum Fide justificatum esse, ex mera gratia.

P A R S II.

Abrahamum Fide justificatum esse, probat Paulus duobus argumentis:

I. TESTIMONIO MOSIS, Gen. 15. v. 6.

Text. *Quid enim Scriptura dicit? Credidit Abrahamus Deo,
& imputatum est ei ad justitiam.*

Exeg. Notemus hinc, primò Verba ipsa, deinde Sensem.

1. Verba ipsa quod attinet:

Sequitur est Paulus græcam versionem LXX. Interpp.

In hebræo paulo aliter sonat; *Credidit Abrahamus*

In Jehovaham: i. e. fiduciam suam locavit in Deo.

Differentia est aliqua, inter hæc tria;

Credere Deum, h. e. esse Deum:

Credere Deo, h. e. dicenti aliquid, i. e. Verbo ejus:

Credere in Deum, h. e. fiduciam locare in Deo.

Quamq. inter hæc duo postrema, non sit constans differentia.

Et imputavit, Deus scilicet; *Ei*, Abrahamo scilicet,

Illud, h. e. illam fidem: (in hebr. fœmininum est loco neutri,
quo carent hebræi, sed pro eo ferè utuntur fœm. genere.)

Græcipassivè, *Et imputatum est ei*, scilicet à Deo.

Justitiam: in hebr. est sinè præpositione; quod est ac si dicas,

In justitiam; vel, *Ad justitiam*; h. e. *Tanquam justitiam.*

2. *Sensum verborum* quod attinet, describuntur in hoc dicto Duo:
I. Fides Abrahami.

text. Credidit Abrahamus Deo.

decl. De hac Fide Abrahami notanda sunt hæc Tria:

I. *Quid crediderit?*

thes. Abrahamus non habebat prolem: cogitabat ergo,
Servum suum Eliezerem futurum heredem,
Non solum bonorum suorum, sed & promissionis, *Gen. 15. 2. 3.*
Deus igitur ei apparet, & jubet has cogitationes deponere:
Dicens; *Ne timeto, Abraham, Ego Clypeus sum tibi,*
& *Merces tua ampla valde, Gen. 15. 1.*

Promittens etiam; *Non alienigenam illum, sed natum ex*
propriis suis visceribus, futurum heredem, Ibid. v. 4.

Porro, *Semen ipsius multiplicandum, & gloriosum futurum,*
veluti Stella in cælo, quæ numerari nequeant, Verf. 5.

Post hæc sequitur; *Et credidit Abrahamus Deo, & c.*

doct. Unde liquet, Fidem Abrahami fundatam fuisse,

Non modò in promissione illa, de filio nascituro,
ex visceribus suis, & de multiplicatione seminis:

Sed etiam in promissione gratiæ, ubi dicit Deus;

Ego clypeus tuus sum, & merces tua ampla valde.

Quibus verbis ipsi promittit Messiam:

Qui intelligitur cum primis, per *Semen;*
ut docet Paulus, *Gal. 3. 16.*

Ut etiam ex ipsa historia animadverti potest:

1. Quia *Gen. 22. 17.* dicitur, *Semen ipsius multiplicandum,*
sicut Arena maris. Id non poterat impleri,

Quoad in terra Canaan clausum erat id ipsum:

Sed impletum est, postquam Christus, *ex omnibus*
populis, linguis, & gentibus, & nationibus, sibi
collegit Ecclesiam; ut est, in *Apoc. 5. 9. cap. 7. 9.*

2. Quia promittit *Gen. 22. 18.* *Omnes gentes benedictas*
fore, in Semine suo: (confer, Gen. 17. v. 5.)

Sed hæc Benedictio non contigit, nisi in Christo.

3. Quia Semini illi promittitur gloria cælestis,
qualis est stellarum, *Gen. 15. 5. Gen. 22. 17.*

Quæ gloria non cadit, nisi in Christum; qui est

Lucifer ille clarus, Stella splendida, Apoc. 22. 16.

¶ *usus.*

Quisus. (ref.) Errant proinde Papistæ,

err. Qui hanc Fidem Abrahami restringunt, ad promissionem Dei,
de Isaaco, & ejus posteritate:

Dicentes, hanc Fidem fuisse Communem, quâ Abrahamus
simpliciter crediderit verbis Dei, ista promittentis;
non autem Singularem, quâ fiduciam locârit in Deo.

Nec eos juvat, quod dicunt,
Abrahamum jam antea credidisse:

Indè enim non sequitur, Fidem Abrahami non fuisse de gra-
tuita Remissione peccatorum, per Christum.

ref. Nam tunc demum dicitur credidisse, ob tres causas:

1. Quia tunc Fides ejus, grâvi tentatione hæctenus pressa,
emerfit tandem, & promicuit.
2. Quia tunc Fides ejus facta est stabilior, & validior,
quàm eadem fuit antea.
3. Quia tunc S. Scriptura voluit ejus Fidem laudare,
ad ipsius, & nostrum omnium, salutem.

7) 2. Cui crediderit?

text. Credidit Deo: hebr. Credidit in Deum. Hoc est,

decl. Non hærebat in propriis meritis;

Sed transibat, & ascendebat, in Deum: acquiescens in ejus
bonitate, veritate, & potentia.

Imò fiduciam in illa ponebat; ut suprâ dictum est,

Credere in Deum esse aliquid majus, quàm Credere Deo.

8) 3. Quomodo crediderit?

thes. Non tantum assentiendo; sed etiam fiducialiter & lætè,
in promissione & benevolentia Dei, acquiescendo.

decl. Ut infra ejus Fides porrò celebrabitur, *Vers. 18. 19. 20. 21.*

*Contra spem sub spe credidit, (Deo sc. vivificanti mortuos, &
vocanti quæ non sunt tanquam sint, ex v. 17.) Ac*

*Minimè infirmus fide, non consideravit suum ipsius corpus jam
emortuum, 100. circiter annorum, nec emortuum uterum Sara.*

*Ad hanc promissionem non addubitans incredulitate, sed corro-
boratus fuit fide, tributâ gloriâ Deo; ac plenè persuasum ha-
bens, eum quod promiserat posse etiam efficere.*

doct. Adeoque Fides, non est tantum assensus, isque nudus, ut Papistæ,
ejus scilicet rei, quæ vel intelligitur, vel non intelligitur:

Sed etiam Cordialis Fiducia; ut Catech. quæst. 21.

T t 3

2) 2. Fructus

x) 2. *Fructus Fidei.*

Text. Et imputatum est ei ad Justitiam:

hebr. Et imputavit hoc ei Justitiam; vel, pro Justitia.

Exeg. Hoc est, Fides illa ei imputata est ad Justitiam.

Quomodo verò?

ant. Papistæ dicunt; Abrahamum justificatum, merito Fidei: quia Fides fuerit res perfectissima & præstantissima, inter cætera bona opera Abrahami.

ref. Refutari id facilè potest: Nam,

Paulus opponit Fidem Merito;

Ergo, non potuit Abrahamus Merito fidei,

vel Fide tanquam bono opere, justificari.

sens. Hic autem est sensus dicti illius,

Abrahamum justificatum esse, Gratiâ Dei;

Quam verâ Fide apprehendit, sibi que applicavit.

sim. Mendicus, pane donatus, manu suâ illum excipit;

adscribit autem donum illud, non Manui suæ, quam extendit ad accipiendum, sed dantis Misericordiæ.

Ità nos Fide, tanquam Manu, Justitiam Christi apprehendimus:

Indè autem non sequitur, Fidem nostram aliquid mereri.

Nam & Justitia Christi gratis nobis donatur; imò,

Fides quoque ipsa datur, quâ Justitiam accipimus.

Est enim *Fides Dei donum*, Eph. 2. 8. quinetiam,

Gratis datur, Phil. 1. 29. & *Efficitur à Deo*, Col. 2. 12.

obj. Objiciunt Papistæ, Opera etiam imputari ad Justitiam:

1. Exemplum Phineæ, ex Psal. 106. 31. ubi dicitur,

Imputatum ei esse ad justitiam, Zelum scilicet illum, quo scortantes transfixit, plagamque Dei ità coërcuit.

At non dicitur, Phineam justificatum fuisse illo opere;

Sed, quòd illud opus, quod alioqui reputatum fuisset, pro homicidio, reputatum sit pro facto justo:

quia scilicet ex pio zelo, & ex fide illud fecit.

Sicut in eo ipso Psalmo dicitur, quòd patres ipsorum peccaverint, itè quòd crediderint, vers. 6. & 12.

Differentia igitur faciendâ, inter justitiam alicujus operis, & inter justitiam totius hominis.

2. Quod objiciunt ex *Jat.* 2. 24. id refutatum supra est, singulariter ac tute, in *Conc. XXVII. parte 2.*

v) II. ALIA

λ) II. ALIA RATIONE, his verbis.

*Text. Ei vero, qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat
impium, imputatur Fides sua ad justitiam.*

Exeg. Hinc tale Argumentum conficitur:

*Syll. P. Qui non operatur, h. e. Qui non fedit Operibus,
credit autem in illum qui justificat impium,
illi Fides sua imputatur ad justitiam.*

*A. Atqui Abrahamus non est confisus propriis Operibus;
sed credidit in illum qui justificat impium.*

*C. Ergo Abrahamo Fides est imputata ad justitiam;
hoc est, Fide justificatus est.*

*coll. Antea dixerat Paulus; Operanti merces imputatur,
non ex gratia, sed ex debito:*

*Jam autem dicit; Non operanti, sed credenti in eum,
qui justificat impium, ei Fides imputatur ad justitiam.*

decl. Particulatim hæc expendamus.

1. Per Operantem intelligit hic Paulus eum,

Non, qui bona Opera facit;

Sed, qui bonis Operibus confidit, ut meritis.

Nam & Credentes operantur, at non merentur;

Ut inde mercedem, tanquam ex merito, expectent.

Per non-Operantem intelligit Paulus eum,

Non, qui bona Opera intermittit;

Sed, qui fiduciam in Operibus non collocat, ut meritis.

Nam Impij etiam non operantur, &

Propterea, quod non operantur, damnantur.

2. Dicit Paulus; Operanti imputari mercedem ex debito:

Hoc est, Si aliquid mereatur, dari ei mercedem ex debito.

Nam vocabulum Imputari variè accipitur:

Quum scilicet alicui aliquid adscribitur,

sive mali quid, quod vel fecit, vel non fecit;

sive boni quid, quod etiam habet, vel non habet.

Res mala autem dupliciter imputatur:

1. Jure, & debite; ut Deus peccatorib. imputat peccata:

idimpropriè est Imputari; quia peccata insunt.

1. Injurià, & indebite: ut Susannæ, adulterium:

id propriè significat Imputari;

quia, quod non erat verum, de ea reputabatur.

**) Res bonæ*

4) *Res bona* tripliciter imputatur :

1. *Fure*; quum *res* imputatur, quæ inest aut debetur; hoc improprie dicitur *Imputari*; quia jam inest.

Sic dicit Apostolus hîc, imputari mercedem operanti, ex debito scilicet; quia jam inesse censetur.

Sic Deus nemini hominum imputat justitiam; quia nemini hominum justitia inest, aut debetur.

2. *Injuriâ*; quum injusto imputatur justitia, contra jus, reusque absolvitur, contra leges: hæc proprie *Imputatio*.

Talis imputatio prohibetur lege divinâ; ut,

Prov. 17. 15. *Qui absolvit impium, & condemnat justum, abominationi sunt Jehovæ æquè ambo. &c.*

3. *Gratiâ*; quum injusto imputatur justitia, reusque absolvitur, non ex debito, sed ex gratia, non tamen contra jus.

Sic Deus omnibus credentibus imputat justitiam; nempe, Nullo eorum merito, sed ex gratia:

Non tamen contra jus, sed propter interveniens λόγος Jesu Christi, Redemptoris.

Hoc est; Habet Deus eos pro justis, licet justis non sint, propterea, quia Fide apprehendunt meritum Christi.

2) In summa, Si imputatur quod inest, improprie dicitur *Imputari*; Si imputatur quod non inest, proprie dicitur *Imputari*.

ξ) 3. Dicitur hîc, quod *Deus justificet impium*:

ant. Quomodo hoc convenit cum illo, quod dicit

Deus, Exod. 34. 7. *Se non absoluturum ullo pacto Sontem.*

Salomon, Prov. 17. 15. *Utrumque esse abominationi Deo, qui justificat impium, & qui condemnat justum.*

thes. Justificat Deus nos impios: hoc est,

Absolvit clementer à reatu impietatis;

Non tamen contra legem & ordinem justitiæ suæ, de qua loquuntur dicta citata, hisque similia:

Sed interyeniente plenissimâ satisfactione Christi, qui pro peccatis nostris justitiæ Dei satisfecit.

Obj. Hinc sequi cavillantur Pontificij,

Si per Justificationem impij intelligatur,

non *Justi-factio*, ut ipsi volunt,

sed *Justi-putatio*, ut nos docemus;

Justificatum hominem esse & manere impium & injustum.

o) rest.

o) *resp.* Deus justificat impium, in se quidem impium inveniens,
sed non in impietate relinquens eundem: Nam,
Quem justificat, hunc etiam sanctificat;
ut docetur in Catena Salutis, Rom. 8. 29. 30.

Deinde, Deus justificat impium, hoc est perinde, ac si dicas,
Deus non justificat fideles, non ut sanctos in sese;
Sed ut vacantes omni propriâ justitiâ: siquidem
Gratis eos justificat, sine ullo ipsorum merito.

inst. At Abrahamus non fuit impius.

Resp. Omnino hoc eum agnoscere ac fateri oportuit,
Se impium, h. e. indignum esse hac tantâ gratiâ Dei;
Seque multis peccatis subjectum: prout legitur ibidem
Stomachatus, quod non haberet prolem, Gen. 15. 2. 3. &c.
Egebat ergo veniâ, & gratuitâ remissione peccatorum.
Adde, quod postea se pulverem & cinerem esse agnovit,
quo ipso se infirmum, & indignû favore Dei, censuit, Gen. 18. 27.

C O N C L U S I O.

R. Sed sufficiant ista, de Exemplo Abrahami: ubi audivistis;

1. Non esse eum justificatum Operibus;

2. Sed esse eum justificatum Fide.

C. Hoc exemplum nobis ob oculos ponamus, & dicamus;

O magne Deus, & misericors Pater,

Abrahamus, tuus amicus, sanctissimus ille Patriarcha,
non est justificatus Operibus, quantumvis eximiis;
sed credidit, & hoc imputatum est ei ad justitiam:

Quid ergo me efferrem, miserrimus ego peccator?

Egone justificarer bonis Operibus? Atqui,

Non habeo bona opera; Bona quæ habeo, tu dedisti:

Et hæc quidem in hac vita imperfecta, peccatis foedata;

Et quæ feci inutilia sunt tibi, suntque inutilis servi;

Cujusque ea debita multis modis: quid mererentur?

Idcirco me fateor pulverem & cinerem, & indignum,

qui tectum meum subeas, mihi que gratiam facias.

Quapropter credo solummodò: Succurre tu incredulitati meæ,

& imbecillæ meæ fidei; justumque ex gratia me reputa.

V. Tibi sit laus, honor, & gloria, in omnia secula, Amen.

V u

C O N C I O XXXI.

C O N C I O X X X I .
De Remissione Peccatorum ,
& Imputata Justitia.

Textus , Rom. IV. vers. 6. 7. 8.

Sicut etiam David declarat beatum hominem , cui Deus imputat justitiam , absque operibus : dicens , Beati , quorum remissa sunt iniquitates , quorum obiecta sunt peccata ; Beatus vir , cui non imputat Dominus peccatum.

E X O R D I U M .

Quid sit Justificatio hominis coram Deo ,
Satis declarat Christus , in Phariseo & Publicano , Luc. 18. 10.
Ubi dicit ; Duos homines ascendisse ad templum , oratum :
Phariseum propria sua Opera laudasse coram Deo ,
& existimasse , se illis Salutem à Deo promeruisse .
Publicanum constituisse procul , noluisse oculos levare in cœlum ,
sed pectus suum percussisse , ac dixisse ;
Propitius esto , ô Deus , peccatori mihi.
Atque hunc Publicanum descendisse in domum suam justificatum ,
quia remissa ei fuerunt peccata sua , quæ deplorabat :
Et quidem , præ illo Phariseo superbo ac jactabundo ,
qui proprijs operibus confidens Deum sollicitabat .
Unde patet , illum hominem justificari coram Deo ,
cui propitius est Deus , cuique remittuntur à Deo peccata .
Non opus esset ampliori instructione , in hac Doctrina ,
ultra hanc brevem & rotundam declarationem ipsius Christi .
Nihilominus , ut adversarijs mensura compleretur ,
hanc eandem doctrinam Paulus Apostolus , in hac Epistola ,
multis proponit , demonstrat , & declarat . Nam ,
Postquam eam plenè proposuerat , & demonstrârat , *Cap. præc.*
Jam pergit in tractatione illius , hoc *Cap. IV.* atque eandem ,
1. Illustrat exemplo Abrahami , Patriarchæ ;
quod consideravimus , concione præcedenti :
2. Confirmat testimonio Davidis , ex *Psal. 32.* in textu .

P. Hoc

P. Hoc testimonium Davidis hac vice considerabimus, ità ut

I. *Sensum verborum in hoc testimonio indagemus;*

II. *Discamus, Quid inde nobis sit observandum?*

V. Deus iterum nos regat Spiritu suo Sancto, ut hoc faciamus, ad suam gloriam & nostri ædificationem:

Et nobis miserimis peccatoribus peccata nostra remittat, tegatque, ut coram eo reputemur justi, fiamusque heredes vitæ æternæ: *Amen.*

P A R S I.

Primò, *Sensum verborum* quod attinet, considerandum nobis est,

I. *Propositum Pauli, quod vult confirmare:* nempe hoc,

thes. Hominem illum esse justum, cui Deus imputârit justitiam.

Text. Ità enim dicit; *Sicut etiam David declarat beatum eum hominem, cui Deus imputârit justitiam, sine operibus.*

Exeg. Debat quidem dixisse;

Justitiam, seu Justificationem, esse illius hominis, cui &c.

h. e. illum hominem esse justificatum coram Deo, cui &c.

Jam autem ponit *Beatitudinem*, loco Justificationis, dicens;

Beatum esse hominem illum, cui Deus imputârit justitiam:

Quia Justificationem immediatè sequitur Beatitudo;

ut videre est, ex Catena illa Salutis, quam neçtit

Rom. 8. 30. *Quos justificavit, eos etiam glorificavit.*

Sic, quum Publicanus descenderet justificatus in domũ suã,

eã ipsã etiam horã descendebat Beatus.

concl. Hoc ergo vult probare Apostolus Paulus,

Hunc hominem esse justificatum & beatum,

Cui Deus imputârit justitiam, gratis, absque Operibus.

II. *Testimonium ipsum, quo hoc confirmat.*

rat. Adducit, ad hoc probandum, testimonium Davidis:

I. Quia David etiam inter Judæos habebat eximiam laudem;

ut qui fuisset *vir juxta cor Domini*, 1. Sam. 13. 14. Act. 13. 22.

Ideò igitur, post exemplum Abrahæ, adducit testimoniũ Davidis, atque sic vult concludere;

Si David, vir secundum cor Dei, justificatus est coram Deo, non Operibus suis, sed gratuitâ Remissione peccatorum, certè nec nos possumus aliter justificari, quàm Rem. pecc.

Atquè verum Prius; ergo & Posterius verum.

V u 2

*) 2. Videtur

*) 2. Videtur etiam, quòd Apostolus Paulus, postquam ex scriptis Mosis exemplum adduxisset, nunc etiam ex Psalmis Davidis voluerit testimonium proferre: quia post scripta Mosis, Prophetarum summi, magni æstimabatur à Judæis testimonium Davidis.

β) thes. Probat ergo Paulus, *Hominem eum esse beatum, cui Deus imputârit justitiam, absque operibus*, ex Psal. 32. v. 1. 2. ubi ità dicitur;

Text. Beatus, levatus à defectione, cujus tectum est peccatum:

Beatus homo, cui non imputat Jehova iniquitatem. Vel, ut Paulus; Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, quorum obtecta sunt peccata, Beatus vir, cui non imputârit Dominus peccatum.

Exeg. David hæc dicit, conflictatus gravi morbo, corporis & animi:

occ. Ut ait, Vers. 3. 4. 5 Quum silerem, (seu, reticerem peccata,) inveterascebant ossa mea, in rugitu meo, toto die. Nam, Interdiu & noctu gravis erat, super me, manus tua; convertebatur præstantissimus humor meus, in siccitates æstivas. Peccata mea nota faciam tibi, & iniquitatem meam non tegam; (dixi,) Confitebor defectiones meas Jehova, & tu sustulisti, (vel, remisisti,) iniquitatem peccati mei.

Experiebatur tunc David iram Dei, agnoscebat etiam, se illam justissimam iram Dei peccatis suis irritasse.

Quærit autem medicinam contra utraque, Iram & Peccatum; non in Operibus suis, sed in Remissione peccatorum; promittens, se confesurum, & non taciturnum peccata:

Fundamento hoc substrato, quia *Beati sint levati defectione, quorum tecta sint peccata, quibus non imputet Deus peccata.*

anal. Tribus phrasibus utitur David, æquipollentibus tamèn;

Ne quis dubitaret, de certitudine rei ipsius.

1. Dicit; *Beatus, levatus à defectione; Vel, ut Paulus, Beati, quorum remissæ sunt iniquitates.*

(Hebræca vox, *Nasa*, non modò significat, Portare, Levare; sed etiam *Remittere*: Confer, *Gen. 4. 13.*

Iniquitas, h. e. Peccatum nostrum, & veluti Debitum, quod à nobis ipsi non possumus persolvere;

2. ut insinuatur, *Matt. 18. 24. & c. Itèm Luc. 7. 41. 42.*

Idcirco necesse est, ut à Deo nobis condonetur, atque

Remittatur, quò beatificemur: ideò dicit David,

Beatus, cui remissæ sunt iniquitates.

γ) 2. Dicit;

2)2. Dicit; *Beati, quorum tecta sunt peccata.*

Peccata nostra sunt, tanquam impurissimæ sordes;
quæ si non tegantur, tegit faciem suam à nobis Deus: ut,
Esa. 59. 2. *Peccata faciunt, ut occultet Deus faciem à vobis.*
Atqui, non possumus nos ipsimet peccata nostra tegere;
Alioqui idem nobis accideret, quod primis parentibus,
Qui nuditatem suam tegebant foliis ficulneis, *Gen. 3. 7.*
Idcirco necesse est, ut Deus ea tegat, gratiâ & misericordiâ suâ;
h. e. ut non imputet ea nobis: ut sequitur,

2)3. Dicit; *Beatus vir, cui non imputat Dominus peccatum:*

Hoc est, quum insit, Deus tamen, quasi non insit, reputat:
Quod non est aliud, quàm non punire peccatum; sed illud
Condonare, ac Tegere, quasi nunquam sit admisum.
Id autem facit Deus, ex mera gratia & misericordia sua;
Non propter nostra Opera, (hæc enim sunt Debita, & Sordes:)
Nec tamen contra justitiam suam; sed propter Satisfactionem
Christi, quam nos, ex Gratia profectam, Fide arripimus.

1) Prol. Dicat hîc aliquis;

obj. Quomodo Paulus hoc testimonio potuit probare propositum?

1. Vult probare Paulus, illum esse justum coram Deo,
cui Deus imputat justitiam, absque Operibus:

Atqui adducit testimonium, in quo agitur,
non de Imputatione justitiæ sinè Operibus;
sed de Remissione, Tectiōe, & non-Imputatione peccati.

2. Adhæc, non sequitur hoc: Huic homini remissa sunt sua debita;
ergo est dives.

Ità quoque non videtur sequi illud: Huic homini remissa sunt sua
peccata; ergo est justus.

resp. In judicio Dei æquipollent, A peccatis esse liberum, & Justum esse:

Ubi enim Peccatum, ibi non est Justitia;

Ubi verò Justitia, ibi non est Peccatum.

Quòd autem pro Justificato Beatum assumit, idem est;

ut suprâ probavimus, quia Beatificatio sequitur Justificationem.

Ideòque bene concludit Apostolus, in textu præsentis:

Beati sunt, quibus Deus remittit peccata;

ergo beati, quibus Deus imputat justitiam absque operib.

Sunt enim hæc, si non æquipollentia, saltèm connexa;

& unum se habet, sicut alterum.

2) coll. Nisi

2) coll. Nisi velimus dicere, cum Chrysoftomo,
 Paulum hîc argumentari, à minori ad majus: hoc modo,
 David dicit, illos beatos esse, quibus remittuntur peccata;
 idque propter Sang. Christi, qui nos purgat ab omni peccato:
 Ergo multò magis erunt beati, quibus insuper imputatur
 Justitia Christi, quam pro nobis præstitit, obediendo Legi.
 Utpote, non tantùm Innocentes, propter Remiss. pecc.
 sed etiam Justi, propter justitiam Christi imputatam.
 Nam, Innocens est, qui non habet peccatum, Heb. 7. 26.
 Justus est, qui facit justitiam, 1. Joh. 3. 7.
 Sed sensus Apostoli planus est; pergamus ad *Partem II.*

P A R S II.

Quid ex hoc Testimonio Davidis discemus? Cum primis hæc Duo:

I. *Beatitudinem nostram sitam esse,*

thes. In Remissione peccatorum, & in Imputatione justitiæ.

| De Remissione peccatorum primùm dicemus;

| De Imputata justitia postea seorsim.

text. Beatos nos esse Remissione peccati, David expressè testatur;

| *Beatus homo, 1. Cui remissa sunt peccata,*

| *2. Cujus tecta sunt peccata, 3. Cui non imputantur peccata.*

exëp. Idem vult significare Christus, in exemplo Publicani, Luc. 18.

| Publicanus dicitur descendisse justificatus in domum suam, v. 14.

| Atquè nihil is petierat, præterquàm Remissionem peccatorum;

| Propitius esto, Deus, peccatori mihi, v. 13. ex Psal. 51. 3.

appl. (ubi 1. *Consectarium*, 2. *Antithesis*.)

I. *Conf.* Errant proinde Pontificii, & omnes illi,

| *thes.* Qui Salutem in Operibus, propriisque Meritis quærunt.

| *test.* Quale Meritum relinquit Deus Israëlitis? dicens,

| Esa. 43. v. 21—26. (vel. v. 8—13. iuxta dist. Junii.)

| *Populus hic meus, quem formavi mihi, & c.*

| *Non, quòd tu me vocaveris, ô Jacob; aut,*

| *quòd tu labores propter me, ô Israël: & c.*

| *Imò, servitute premis me, propter peccata tua;*
 | *fatigas me, iniquitatibus tuis.*

| *Ego, ego ipse deleo defectiones tuas, propter me, & peccato-*
 | *rum tuorum non recordor: —ut justificeris.*

?) Porro;

7) Porro, Salutem nostram sitam esse, in sola Gratia Dei,
Remittertis nobis peccata nostra, testatur propheta Micha,
Mich. 7. v. 18. 19. *Quis Deus par tibi, condonans iniquitatem,
& prateriens defectionem possessionis suae; non retinens in eter-
num iram suam, eò quòd delectetur benignitate. Conversus mise-
rebitur nostri, subiget iniquitates nostras: imò, projecturus
es, in profundissimum maris, omnia peccata eorum.*

Et quis omnia similia testimonia proferat? Relege sequentia;
*Exod. 34. 6. 7. Psal. 103. v. 3. 4. v. 8-13. Psal. 25. 6. 7. 11. 18. &c.
Esa. 1. 18. cap. 53. 4. 5. 6. 7. &c. Jer. 31. 34. &c. &c.*

8) rat. Et quid Operibus nostris Mereremur? Audivistis suprà, in præcedd.
Omnes nos esse peccatores, & defici glorià Dei, Rom 3. 23.

Obnoxium esse totum mundum condemnationi Dei, *Ibid. v. 19.*

Bona nostra Opera, vel

Nulla esse, Rom. 3. 10. 11. 12. *Non est justus, ne unus quidem, &c.*

Non esse nostra, sed Dei, ea gratiosè in nobis operantis: ut,

*Eph. 2. 10. Ipsius sumus opus, conditi in Christo Jesu, ad bona
opera; quæ preparavit Deus, ut in ijs ambulemus.*

*1. Cor. 4. 7. Quid habes, quod non acceperis? Quòd si etiam ac-
cepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

Debita esse, quibus solvendis tenemur, nihil meremur: ut,

*Rom. 8. 12. Nempe igitur; fratres, Debitorum sumus,
non Carni, ut secundum carnem ambulemus; sed Spiritui.*

*Luc. 17. 10. Si omnia feceritis, quæ edicta sunt vobis, dicite;
Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.*

Minimè comparanda, cum præmio, gratis dando: ut,

*Rom. 8. 18. Reor, minimè pares esse præsentis temporis perpes-
siones, gloriæ in nobis revelanda.*

*2. Cor. 4. 17. Illico prateriens levitas afflictionis nostræ, excel-
lenter excellentis gloriæ pondus æternum conficit nobis.*

Gen. 32. 10. Minor sum his beneficijs, totique isti fidei, &c.

Deo inde nihil boni accedit, sed nobis ipsis: ut,

Psal. 16. 2. Bonum meum non est ad te, h. e. non juvat te.

Rom. 11. 35. Quis prior dedit ei, & reddetur ei?

Confer, quæ dicit in hanc sententiam Deus,

Psal. 50. v. 8. & seqq. Si esurirem, non dicerem tibi, &c.

Esa. 43. v. 23. 24. (vel, 10. 11. ex distinctione Junij.)

Esa. 1. v. 11-14. Quorsum mihi multitudo sacrificiorum? &c.

2) 2. Ant.

κ) 2. *Ant.* Papistæ, animadvertentes Davidem ipsis contrarium esse,
obj. Vellent etiam hoc ejus testimonium pervertere; ac dicunt,

1. Beatitudinem consistere,

Non tantum, in Remissione peccatorum;

sed etiam in Meritis operum bonorum:

Quia David statim subjiciat, in eodem Psal. 32. v. 3.

Beatus, cuius spiritui non inest dolus.

Quia etiam alibi dicat, Psal. 119. 1. 2.

Beati, integri viâ, qui ambulant in Lege Domini:

Beati, custodientes testimonia ejus: &c.

Quia Christus dicat, Matt. 5. v. 8.

Beati, qui sunt mundi corde. Sic, Matt. 7. 21. &c.

2. Peccatum remitti, per humilem Confessionem:

Quia David dicat, eodem Psal. 32. v. 5.

Peccatum meum notum faciam tibi, & iniquitatem meam non tegam; Confitebor defectiones meas Domino:

Et tu sustulisti (remisisti) iniquitatem peccati mei.

Quia tegantur peccata, per Dilectionem, charitatem:

Jac. 5. 20. Scitis eum, qui averterit peccatorem ab errore viae suae, servaturum animam à morte & operturum multitudinem peccatorum. Sic Salomon,

Prov. 10. 12. Charitas obtegat omnes defectiones.

3. Remissionem peccatorum esse, non tantum quâ Pœna remittitur, sed etiam quum anima purificatur à Culpa.

4. Quidam & hoc dicunt; Davidem tantum loqui, De magnis peccatoribus: illos scilicet beatos esse, Si Deus illis prius peccata remittat, postea verò eis justitiam infundat.

resp. Sed hæc tantum effugia sunt inania. Nam, quod attinet

1. Quod David & Christus dicunt, *Beatos esse mundos corde;*

Eo ipso docent, non Unde beatitudo illa sit,

Sed, Quinam sint illi beati. Etenim,

Remissio peccati, est causa beatitudinis nostræ; *ut sup.*

Sed qui ita, per gratiam remissionis divinæ sunt beati,

Student etiam bonis operibus: ut docetur,

Tit. 2. 14. Redemit nos Christus ut purificaret sibi ipsi populum peculiarem, accensum studio bonorum operum.

Sic, Tit. 3. v. 8. item, vers. 14.

λ) 2. Quod

- 2) Quod autem dicunt Adversarii,
 Propter Confessionem peccata remitti, falsum est: Nam,
Sanguis Jesu Christi, Filij Dei, purgat nos ab omni peccato, I. Joh. I. 7.
 Et Confessio antecedit quidem Remissionem peccatorum;
 Sed non est causa Remissionis: Etenim,
 Qui fatetur suum peccatum, Remissionem petit,
 non propter illam suam Confessionem;
 sed propter meritum Christi, & meram gratiam,
 Charitatem operire, multitudinem peccatorum,
 Id manifestè & malitiosè pervertunt: nam,
 Hic est verus sensus verborum Salomonis, Prov. 10. v. 12.
 Ubi *Odium* est, ibi peccata exprobrari; At verò,
 Ubi *Dilectio* est, ibi taceri solent, & tegi delicta proximi.
 Confer, quæ Petrus hinc dicit, 1. Pet. 4. v. 8.
 Jacobus verò dicit; eum, qui convertit aliquem, eo ipso
Operire multitudinem peccatorum:
 Non, quòd illi remissionem peccati acquirat;
 Sed, quòd illum adducat ad *Sanguinem Christi*,
 Qui solus eum *purgat ab omni peccato*, I. Joh. I. 7.
3. Non faciunt distinctionem, inter Justificationem & Sanctificationem,
 & loquuntur contra S. Scripturam; quæ testatur,
 Justificari nos Fide in Christum, absque Operibus:
 Sanctificari verò jam justificados, per gratiam Spiritûs S.
 Distincta autem hæc duo esse, & ità accuratè distinguenda,
 in superioribus concionibus diximus, aliquoties;
 Justificationem, non esse Justificationem,
 sed Justitiæ imputationem, Absolutionem,
 Sanctificationem verò sequi Justificationem,
 quâ justificati exercentur in sanctitate habituali;
 in hac quidem vita imperfectè, in altera perfectè.
4. Quod verò dicunt quidam, de Magnis peccatoribus sermonem esse,
 Id repugnat illi, quod suprâ dixit Paulus;
 Rom. 3. 30. *Omnium hominum unam esse justificationem;*
sicut Deus unus est. Cum quo convenit illud ejusdem Pauli;
 1. Tim. 2. 4. 5. *Deum quosvis homines velle salvari,*
& ad agnitionem veritatis venire; Quia scilicet
Unus est Deus, Unus etiam Mediator Dei & hominum,
 nempe, qui factus est *homo, Christus Jesus.*

II. *Imputatam Justitiam esse S. Scriptura conformem.*

Ant. Papistæ illudunt nobis, quòd habeamus Justitiam,
non inhabitantem in nobis, sed quæ nobis imputetur:

At non nobis, sed ipsi Apostolo Paulo illudunt. Nam,
Thef. Habemus nos hîc expressum textum, de *Imputata Justitia*:

text. Sicut etiam David dicit, *Beatum eum hominem esse,*
| *cui Deus imputat justitiam, absque operibus.*

paral. Sic in hoc ipso Capite sæpiùs fit mentio Justitiæ imputatæ;

Verf. 5. & 9. *Imputata est Abrahamo fides ad justitiam.*

Verf. 10. *Quomodo ergo imputata est?*

Verf. 11. *Imputatâ etiam ipsis justitiâ, sc. credentibus.*

Verf. 3. 22. 23. *Imputatum est ei ad justitiam.* Sic verf. 24.

simil. Similis loquutio, quanquam in re diversa, est in epistola ad
Philem. v. 18. *Quod si quâ te injuriâ affecit, (Onesimus servus,) aut debitor tibi est, hoc mihi imputato, ait Paulus.*

Decl. Qualis autem sit hæc *Justitia Imputata*, hinc quoque liquet: nempe,

æq. Non est nostra: Alioquin Deus eam non imputaret ex gratia;
sed tribueret jure, & merito, ac debitè.

Nec est inhabitans, aut habitualis Justitia:

quia est absque Operibus, & imputatur etiam impijs,
qui non habent, nisi iniquitates habitualiter.

Dir. Consistit autem, in gratuita Remissione peccatorum,
| eorundemque obtectione, & non-imputatione.

caus. Quæris, propter quid fiat hæc Imputatio? Resp.

Nullò nostro merito, sed merâ Dei liberalitate & gratiâ:

Nec tamen injustè, quia propter *Αὐτοῦ* Mediatoris;

Quem Deus præstituit, ut esset Placamentum, per Fidem,
in Sanguine ipsius, Rom. 3. 25.

Cujus Obedientiâ justî constituuntur multi, Rom. 5. 19.

In quo habemus redemptionem, per Sanguinem ipsius,
remissionem lapsuum, ex divite ipsius gratia, Eph. 1. 7.

nom. Eapropter hæc Justitia, quæ nobis imputatur à Deo,

Vocatur *Christi Justitia*,

quia Christus illam nobis est promeritus:

Sicut etiam alio respectu vocatur,

Justitia Dei, quia à Deo nobis illa imputatur;

Justitia Fidei, quia per Fidem illa apprehenditur:

Ut supra declaravimus, in Conc. XXII.

μ) Disp.

re) *Disp.* Multi disputant, etiam ex Orthodoxis,
dub. Quales Justitia Christi nobis imputetur?

Quidam dicunt, Salvari nos per Remissionem peccatorum,
 quam Christus Passione & Morte suâ nobis acquisiverit,
 & hanc nihil aliud esse, quàm Imputationem justitiæ.

Quidam dicunt, Non sufficere Remissionem peccatorum,
 Opus nobis esse quoque Justitiâ:

Adeoque imputari nobis etiam Justitiam Christi,
 illam, quâ ipse Legem Dei perfectè præstitit. Etenim,
 Propter Passionē & Mortem Christi nobis remitti peccata,
 ac reputari nos pro Innocentibus, à pœnâ liberis;
 Propter Sanctitatem Christi imputari nobis justitiam,
 ac reputari pro Justis, vitâ æternâ dignis.

Hinc illæ distinctiones, de Obedientia Christi activa & passiva;
 de formali & habituali ejus Justitia, &
 de effectiva ejus Justitia, nobis imputata.

resp. Verùm enim verò, non gravabimus nos hac disputatione:

Sed id solummodò observabimus, Christum,
 sanctissimo suo merito, quod Patri perfectè præstitit,
 acquisivisse illam, quæ nobis imputatur, Justitiam.

Hoc erimus contenti, Beatos nos esse,

Quia propter Meritum Christi nobis remittuntur peccata;
 Illisque remissis nobis simul imputatur Justitia.

Quin simpliciter, & sinè disceptatione credemus, quod dicit
 Johannes, 1. Joh. 1. v. 7. *Sanguis Jesu Christi, Filii Dei,*
purgat nos ab OMNI peccato.

Paulus, Rom. 5. v. 19. *Sicut per inobedientiam unius homi-*
nis, peccatores constituti sunt multi; ita per obedientiam
unius, justi constituentur multi.

cant. Cavebimus autem ne nimium disputando,

Veritatem intricemus, obscuremus, ac amittamus;

Neve nimium altercando Charitatem violemus,
 quâ violatâ fit exacerbatio, impediturque ædificatio.

Notemus illud Apostoli Pauli, Gal. 5. v. 15.

Quòd si alii alios mordetis, & exeditis;

Videte, ne vicissim alii ab aliis consumamini.

concl. Si est consolatio in Satisfactione mortis Christi; non tollitur ea;
 sed amplificatur, Satisfactione vitæ Christi sanctæ.

C O N C L U S I O.

R. Sed faciamus finem : Audivistis, Auditores,

1. De Testimonio Davidis, quo utitur Apostolus Paulus,
in probanda gratuita Justificatione hominis.

2. Quid indè singulariter nobis sit observandum? nempe,
Remissionem peccatorum esse nostram beatitudinem;
Justitiam Imputatam omnino conformem esse Scripturæ.

C. In summa, Remissio Peccatorum est summa nostra consolatio;

Imò, Fons consolationis, ex quo oriuntur, ac fluunt ad nos,
Rivuli salutare omnium consolationum, atque derivantur
in Vulnera conscientiarum nostrarum,
in Dolores mortis, & omnes angustias animæ.

Conscientia nostra nos arguit peccati, & imperfectionis;

Diabolus accusat nos, propter peccata, dies ac noctes;

Quum oramus, cogitationes nobis difficiles sæpè suboriuntur,
An exaudireris tu, qui tantus es peccator?

Quum ad mortem devenitur, peccata maximè angunt.

Sed in his omnibus consolemur nos illo Christi, Matt. 9. 2.

Confide, fili, remissa sunt tibi peccata tua:

Istoque dicto Davidis & Pauli, Peccata nostra nobis

Remissa, & Tecta sunt, & Non-imputabuntur: itèm,

Deus nobis imputat justitiam, ex mera Gratia,

propter Meritum Christi, Fide apprehendendum:

De qua Fide solliciti, in humana nostra infirmitate, dicemus,

Cum afflictissimo illo ac misero viro, Marc. 9. 25.

Credo, Domine, succurre incredulitati meæ;

Cum Apostolis ac Discipulis Christi, Luc. 17. 5.

Domine, adauge nobis fidem.

Hæc, inquam, nostra sit consolatio; hæc faciet beatos nos,

hæc faciet nos tranquillè vivere & mori.

V. Quapropter laus sit, & gloria, & honor, & benedictio,

Patri, qui gratis nobis remittit, tegit, non-imputat peccata;

Filio, cujus Sanguis nos purgat ab omni peccato;

Spiritui S. qui nos de plena remissione peccatorum certos facit:

Uni illi vero, ac æterno Deo, sit laus, honor, & gloria,

in secula seculorum sempiterna, Amen.

CONCIO XXXII.

C O N C I O XXXII.

De Justificatione, communi
Gentibus & Judæis.

Textus, Rom. IV. vers. 9. 10. 11. 12.

Ista igitur beatitatis declaratio, in Circumcisionem solum, an & in Præputium cadit? dicimus enim, imputatam fuisse Abrahamo fidem ad justitiam. Quomodo ergo imputata est? quum esset in circumcissione? an quum esset in præputio? Non in circumcissione, sed in præputio: Et signum accepit Circumcisionis, sigillum justitiæ fidei, acceptæ in præputio, ut esset pater omnium credentium in præputio, imputatâ etiam ipsis justitiâ; Et pater circumcissionis, iis videlicet, qui non solum sunt ex circumcissione, sed qui etiam incedunt per vestigia fidei patris nostri Abrahami, quæ fuit in præputio.

E X O R D I U M.

OMnis probatio, quæ instituitur ad rem aliquam probandam,

Fit, partim rationibus certis & firmis,
partim exemplis evidentibus & claris,
partim testimoniis expressis & infallibilibus.

Sic Apostolus Paulus Justitiam fidei hætenus probavit. Nam;
Hominem justificari Fide, absque Operibus Legis, probavit,
1. Ex hoc fundamento:

Quia omnes homines sint peccatores, ac deficiantur gloriâ Dei,
& Legem præstare nequeant, omnes rei damnationis:

Quia ex Lege non Salus, sed Agnitio peccati sit:

Quia Deo omnis gloria debeat, homini autem omnis gloriatio sit adimenda.

2. Exemplo Abrahami; de quo, Gen. 15. v. 6. quòd
Crediderit, & hoc imputatum ei sit ad justitiam.

3. Testimonio Davidis; in Psal. 32. v. 1. 2. qui celebrat

Beatum eum, cui remissæ sint iniquitates;

Cuique tecta sint peccata, cui Deus non imputavit peccatum.

Jam venit ad illam quæstionem Paulus, *Ad quos pertineat Justificatio?*

Judæi Circumcisioni justificationem tribuebant,
ac putabant, sinè illa neminem posse salvari;
proinde, damnabant Gentes, si se non paterentur circumcidi,
postquam ad fidem essent adductæ: ut patet, ex *Act. 15. v. 1.*
Paulus ergo hîc docet, Justificationem Dei gratuitam pertinere,
æquè ad Gentes incircumcisas, præputiatas,
ac ad Judæos circumcisos, apellas.

Interim dum Paulus hoc facit, aliud Argumentum adducit,
quo probat Justitiam fidei Imputatam. Nam,
Postquam adduxisset exemplum Abrahami, & testimonium Davidis,
Potuisset aliquis excipere,

Abrahami & Davidis exempla particularia esse;

Proinde non posse hinc extrui universalem doctrinam.

Idcirco Paulus, omisso Davide, exemplum Abrahæ resumit, urget;

Docetque, Abrahamum hîc non ut particularem hominem,
sed ut Caput & Patrem omnium credentium considerari,
tàm eorum, qui sunt ex Gentibus, quàm qui ex Judæis:

Adeoque, nullum credentem aliter justificari, ac Abrahamum;

Qui justificatus sit,

ante circumcisionem, ex fide,

post circumcisionem, ex fide,

quæ ipsi per signum Circumcisionis sit stabilita:

Ut ostenderet hoc modo, Justificari,

Et gentes non circumcisas, si modò credant;

Et Judæos circumcisos, non quidem propter circumcisionem,
sed propter fidem, si & ipsi credant in Christum.

P. Hæc omnia, in sequenti textûs explicatione, perspiciemus:

Hac verò vice tantummodò considerabimus, quomodo Paulus

Ex exemplo Abrahami probet, Justificationem pertinere,

I. *Ad Gentes;*

II. *Ad Judæos.*

V. Fidei nostræ & Dux & Consummator, Jesus Christus,

faciat nos genuinos filios Abrahami, h. e. fideles;

ut & nos credamus, sicut Abrahamus credidit:

Et ut hoc ipsum quoque nobis imputetur ad justitiam,

quò gratis, ipsius gratiâ justificemur,

tandemque æternum beemur: *Amen.*

P A R S I.

De Gentibus igitur primo loco dicemus.

Prop. Quæstionem ipsam principiò proponit Apostolus,

text. His verbis; *Ista igitur Beatitatis declaratio, in Circumcisionem solum, an & in Præputium cadit?*

exeg. *Ista Beatitas, inquit; quam scilicet ex Davide declarârat, Beatum esse hominem, cui Deus imputet justitiam, absque operibus.*

Ad hoc testimonium Davidis potuisset quis excipere,

David fuit Judæus, non Gentilis:

Videtur ergo tantùm de Judæorum *δικαιοσύνη* hoc dictum.

Eapropter interrogat Paulus;

Caditne in Circumcisionem solum? i. e. in circumcisos Judæos;

An etiam in Præputium? i. e. in Gentiles, qui non circumciduntur.

Quasi dicat; Ne quis putet, in alterutros tantùm cadere,

Probabo, utrisque communem esse Justificationem.

De Gentibus id maxime dubium erat;

Judæi enim soli sibi videbantur Deo esse grati:

Ideirco primo loco agit de Gentibus,

atque de illis probat propositum; nempe,

Prop. Gentes æquè capaces esse Justificationis, probat,

In gen. Idque, exemplo Abrahami.

prol. Nam illud ipsum potuisset alicui dubium movere, &

Potuisset aliquis dicere; Abrahamo dicitur imputata justitia,

Quid hoc ad Gentes? Abrahamus fuit circumcisos:

Solis igitur Circumcisos videtur favere exemplum Abrahamæ.

text. Hanc objectionem & ipse Paulus insinuat, his verbis;

Dicimus enim, Abrahamo fuisse imputatam fidem, ad justitiã.

In spec. Quomodo igitur probat Paulus, ex hoc ipso exemplo,

Thes. Ad Gentes æquè pertinere Justificationem?

Artificiose hoc probat Paulus, dum temporis accuratam

habet rationem, idque studiosè supputat:

Et hoc vult dicere;

Abrahamus adhuc erat incircumcisos,

quum justificaretur ex fide, imputatâ ad justitiam:

Sequitur ergo, & alios incircumcisos posse justificari,

dummodo fidem habeant, ac credant.

Text.

a) *Text.* Pergit ergo Paulus, atque dicit;

Quomodo autem imputata est Abrahamo fides ad justitiam?

Quando? (vult dicere Paulus,) ut porrò interrogat;

Quum esset in circumcissione, an quum esset in præputio? hoc est,

Quum circumcissus esset, an quum nondum esset circumcissus?

Respondet; *Non in Circumcissione, sed in Præputio.*

Exeg. Patet idipsum ex supputatione temporis.

hyp. Quum enim diceretur hoc de Abrahamo, Gen. 15. 6.

Credidit Abraham Deo, & hoc imputatum est ei ad justitiam:

Indè tredecim aut 14. annis nondum fuit circumcissus. Nam,

Quum esset annorum 75. evocabatur è patria, Gen. 12.

Post decem annos exinde, anno ætatis 85. accepit à Deo

promissionem, quam verâ fide amplectens, dicitur

justificatus à Deo, imputatâ ei justitiâ, Gen. 15. 6.

Anno ætatis 86. natus est ei Ismael ex Hagara, Gen. 16.

Anno ætatis 99. demum est circumcissus Abrahamus;

quum Ismaël jam esset annorum tredecim:

ut patet ex Gen. 17. v. 24. 25.

thes. Hinc igitur patet, verè dictum esse à Paulo,

Abrahamo imputatam esse fidem ad justitiam,

Non in Circumcissione, sed in Præputio:

Quia anni quatuordecim, indè ad circumcissionem, intercesserunt.

Doct. Simul itaque hinc sequitur,

spec. Circumcissionem non contulisse Justificationem: Nam,

Si rectè attendamus, Paulus talem argumentationem instituit;

Abrahamus fide justificatus est, ante circumcissionem:

Ergo, non propter Circumcissionem fuit justificatus;

Nec propter alia Legis opera: sed ex Fide.

gen. Sacramenta non esse instituta, ad conferendam gratiam,

ex Opere Operato, ut loquuntur Sophistæ:

Sed Justitiam fidei sæpè ante Sacramenta haberi;

proinde, Sacramentis eam non esse alligatam:

quia etiam sinè illis sæpè contingit.

Ad quid autem Sacramenta à Deo sint instituta, nempe,

Ut sint *Signa & Sigilla* gratiæ, postea dicitur *part. II.*

concl. Denique sequitur hinc, quod voluit Paulus probare,

Imputatam justitiam fidei, non ad solos Judæos pertinere,

Sed etiâ ad Gentiles; vestigijs Abrahæ insistentes: ut sequitur.

β) *Fin.*

¶) *Fin.* Pergit enim Paulus, & addit, Cur id ita fit factum?

Text. Ut esset pater omnium credentium, in præputio,
imputatâ etiam ipsis justitiâ.

Exeg. Vocatur Abrahamus, Pater, & Caput, omnium credentium:

Non, quòd generet in fidelibus fidem;

Sed, quia est typus & exemplar credentium.

Gentilium Pater dicitur; quia in exemplo Abrahami

Discunt, quomodo salvari ipsi possint, in N. T.

extra Circumcisionem, quam non habent: nimirum,

Præputium ipsis non nocere, dummodò credant.

Judaorum Pater dicitur;

Non solum, quia è semine ejus progeniti sunt:

Sed etiam, quia & hi exemplo Abrahami discebant,

Justificari se, tantummodò propter Fidem,

Non verò propter Circumcisionem; quæ ipsis erat

Tantummodò Signum & Sigillum justitiæ fidei:

Ut mox audiemus, *In parte II.*

Appl. (in Doct. & Usu.) In hac verò Prima parte,

Doct. Panditur Gentilibus porta cæli;

hyp. Quæ illis antea erat clausa & obliterata. Nam,

In V. T. promissio facta erat solis Judæis:

His quoque solis data erant Signa & Sigilla gratiæ;

Circumcisio, Agnus Paschalis, Sacrificia, &c.

thes. In Novo Testamento autem, Christus Apostolos

Jubet Ire in universum mundum, & prædicare Evangelium
omni creatura, omnibus Gentibus, Marc. 16. 15. Mat. 28. 19.

Promittit omnibus promiscuè credentibus Salutem:

Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur;

Qui verò non crediderit, condemnabitur, Marc. 16. 16.

test. Idcirco etiam Prophetæ vocationem Gentium non tacuere: ut,

Esa. 2. v. 2. 3. Mich. 4. v. 1. 2. *Erit ultimis temporibus, ubi
constitutus fuerit mons domûs Dei, in vertice aliorum mon-
tium, ut confluant ad eum omnes Gentes, eantque populi mul-
ti, dicentes; Venite, ascendamus in montem Domini, &c.*

Hof. 1. v. 10. *Quibus dicitur, Non populus meus estis, illis di-
cetur, Filii Dei viventis estis. Sic Hof. 2. v. 23.*

Esa. 65. v. 1. *Expositus sum eis, qui non interrogabant, in-
ventus sum ab eis, qui non querebant me; &c.*

Y y

¶) *Usus.*

2) Usus. Est igitur, quòd lætemur, & Deo gratias agamus,
thes. Pro summa hac gratia, quòd nos, à Gentilibus ortos,
 | Deus dignatus est cognitione sui, & Verbo salutari.
test. De qua gratia Paulus disserit, Eph. 2. v. 12—30.

*Vos illo tempore fuistis absque Christo, abalienati à civili statu
 Israël, & extranei, quod ad pactorum promissiones attinet,
 spem non habentes, & absque Deo in mundo.*

*At nunc in Christo Jesu, vos qui eratis longinqui, facti estis pro-
 pinqui, per sanguinem Christi. Ipse enim est pax nostra, qui
 utraque fecit unum, & intergerini parietis septum solvit;
 Inimicitijs, i. e. lege preceptorum, quæ in ritibus posita est,
 per crucem suam abolitis, ut ex duobus illis conderet, in semet-
 ipso, unum novum hominem, faciens pacem:*

*Et utrosque in uno corpore reconciliaret Deo, per carnem, per-
 emtis inimicitijs per eam: Et veniens, euangelizavit pacem
 vobis, tum qui longè, tum qui propè eratis.*

*Quoniam utrique per ipsum habemus aditum, per unum Spi-
 ritum, ad Patrem.*

*Nempe igitur, non amplius estis peregrini & inquilini, sed con-
 cives sanctorum, ac domestici Dei: Superstructi, super fun-
 damentum Apostolorum & Prophetarum, existente imo an-
 gulari lapide, ipso Jesu Christo.*

spec. Habemus igitur causam, ut lætemur, ac dicamus;

Anteà janua erat oblerata, per Circumcisionem, &

Legis ceremonias: Nunc eadem patet nobis, aperta.

Anteà incedebamus vijs nostris, sicut reliquæ Gentes:

Nunc imus ad montem Sionis, ad Ecclesiam Christi.

Anteà non eramus populus tuus, sed Diaboli mancipia:

Nunc sumus filij tui, coheredes Filij tui coæterni.

Anteà eramus inimici tui, & ab Ecclesia peregrini:

Nunc sumus dilecti tui, & concives sanctorum.

Anteà non quærebat te, invenimus te tamen:

Nunc te tuâ gratiâ quærimus, & semper invenimus.

concl. O Deus magne, magnus est tuus in nos amor,
 magna tua in nos gratia & misericordia:

*Da, ut etiam vicissim noster in te amor sit sincerus,
 & integer, & nunquam obliviscamur hujus beneficij,
 quòd nos ad tuâ ac Christi communionem vocasti.*

P A R S II.

De Judæis etiam nunc secundo loco dicamus.

Prop. Postquam enim exemplo Abrahami probavit Paulus,

Ad Gentes etiam pertinere Justificationem fidei gratuitam:

Pergit nunc, & ex eodem exemplo quoque probat,

Ad Judæos etiam, seu Israëlitas, pertinere Justificationem eam;

Veruntamen, non propter Circumcisionem, sed propter Fidem.

Text. Sic autem dicit; *Et signum accepit Circumcisionem, sigillum Justitiæ fidei, acceptæ in præputio, &c. Et ut esset pater Circumcisionis; iis videlicet, qui non solum sunt ex Circumcisione, sed qui etiam incedunt per vestigia Patris nostri Abrahami, quæ fuit in præputio.*

Part. Nota hinc, 1. Rem ipsam, *Abrahamum Circumcisionem accepisse, &c.*

2. Finem illius rei, *Ut esset pater Circumcisionis, &c.*

Tract. Ordine hæc duo pertractemus: Primò, *Quis acceperit?*

I. Text. De eo sic ait, *Et accepit Abrahamus Signum Circumcisionis,*

Sigillum Justitiæ fidei, acceptæ in præputio.

Exeg. Nota hinc, 1. *Nexum textûs*, 2. *Verba ipsa*, 3. *Sensum eorum.*

Nex. Potuisset aliquis dicere;

Si Abrahamus accepit Justitiam fidei, in Præputio, ad solos Præputiatos videtur pertinere ejus exemplum.

Resp. Nequaquam: Nam accepit etiam Circumcisionem, quæ est Judæorum.

Potuisset quis porro dicere;

Si Justitiam fidei jam antè habebat Abrahamus, frustra videtur circumciscus esse postea.

Resp. Minimè: Nam Signum circumcisionis accepit, in Sigillum justitiæ fidei. Opus habebat confirmatione, ergo pignus accepit è manu Dei, ne fides labasceret.

Verb. Nunc consideremus Verba ipsa textûs. Dicit Paulus;

1. Abrahamum accepisse *Signum Circumcisionis*: id est, Circumcisionem, quæ erat Signum, sacrum scil. quod Ecclesia vocat *Sacramentum*.

Prout expresse *Signum federis* vocatur, Gen. 17.

v. 10. *Hoc est Fedus meum, ut circumcidatur &c.*

v. 11. *Circumcidetis igitur carnem præputii vestri, ut sit Signum federis inter me & vos.*

Y y 2

ð) 2. Abra-

2) Abrahamum Accepisse signum Circumcisionis:

thes. Scilicet in carne sua, juxta Dei mandatum.

| Si *Accepit* Abraham, Deus dedit, h. e. accipere jussit.

conf. Quod tenendum est, propter Pontificios:

Ex quibus Bellarminus dicit,

err. Baptismum esse Signum & Sigillum fidei,

| non, quòd fidem excitet, & confirmet;

| sed, quòd baptizatus testetur, se credere.

ref. Hoc pacto baptizatus non acciperet,

sed daret Signum ac Sigillum.

3. Abrahamum accepisse signum Circumcisionis, *Sigillum*,

hoc est, *in Sigillum* justitiæ fidei:

Ut Abrahamo Justitiam fidei; in præputio acceptam,

instar *Sigilli*, & certi pignoris ac tesserae, confirmaret.

4. Per *Justitiam fidei*, intelligitur Remissio peccatorum, fide accepta; facta per Redemptionem Christi, Mediatoris nostri.

e) *Sens.* Ad hanc significandam & obfignandam, Deus dedit Abrahamo

thes. Signum & Sigillum federis gratiæ, h. e. Circumcisionem.

1. Quo modo, & quàm certò, Abrahamo præputium, cultro cruento, amputabatur, præcidebatur:

Eodem modo, & tam certò, Deus peccata Abrahamæ resecebat, propter cruentum sacrificium Christi, in cruce peractum.

2. Quo modo, & quàm certò, præputium circumcidebatur:

Sic, & tam certò, promittebat Deus, se circumcisurum corda;

Deut. 30. 6. *Circumcidet Jehova, Deus tuus, cor tuum, & cor seminis tui, ad diligendum Jehovam, Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua; ut vivas.*

fund. Erat enim Circumcisio,

1. Signum & Sigillum Federis. At verò,

In omni Federe duæ sunt partes, se obligantes: [dis;

Deus promittebat Abrahamæ, Remiss. pecc. Purificationē cor-

Abrahamus vicissim promittebat Obedientiam fidei.

A parte Dei stat promissio; *Ego sum Deus tuus, Gen. 17. 7.*

Clypeus tuus, & Merces tua magna valde, Gen. 15. 1.

A parte Abrahami stat obligatio, ex stipulatione Dei;

Ambula coram me, & esto integer, Gen. 17. 1.

2. Distinctionis nota, inter populum Dei & Gentes: unde

Judæi *Circumcisio*, Gentes *Præputium* vocantur, Rom. 2. 29.

5) Doct.

5) *Doct.* Hæc descriptio Circumcisionis propriissimè declarat,
thes. Naturam, Proprietates, & Vim Sacramentorum:
 | quòd scilicet non conferant gratiam, sed obsignent;
 | quòd sint sacra Signa, & Sigilla.
tract. Quod, Deo volente, singulari concione pertractabimus;
 | nempe, sequenti *Conc. XXXIII.*
concl. Quia ergo Abrahamus ità accepit Circumcisionem,
 | in Signum, & Sigillum justitiæ fidei; necessariò sequitur
 | idipsum, quod voluit probare Apostolus Paulus,
 | *Justificationem etiam ad Circumcisos pertinere.*
trans. Idcirco concludit jam, & simul Finem attexit, Secundò,
 | *Quo fine Abrahamus sit circumcisos?*

II. *Text.* Dicens; *Ut esset pater etiam Circumcisionis: iis videlicet,*
 | *qui non solum sunt ex Circumcisione; sed qui etiam incedunt,*
 | *per vestigia fidei patris nostri Abrahami, quæ fuit in præputio.*

Exeg. Duo dicit, in his verbis, Paulus;

spec. 1. *Ut esset etiam pater Circumcisionis:*

| *thes.* Hoc est, Non solorum Gentilium, credentium;
 | Sed etiam Judæorum, circumcisorum.

| *decl.* Erat quidem pater Judæorum, secundum carnem;
 | Sed debebat etiã pater eorũ fieri, secundum spiritum:
 | Ut omnium, & Judæorum & Gentium pater esset,
 | unã eãdemque ratione, scilicet in fide.

Eapropter porrò Apostolus ità dicit;

2. *Qui non solum sunt ex Circumcisione,*

| *thes.* Sed qui etiam incedunt per vestigia fidei patris
 | nostri Abrahami, quæ erat in præputio.

| *decl.* Paulus hîc facit differentiam, inter
 | Circumcisos fideles, & Circumcisos infideles:
 | Et hic est sensus;

Abrahamum, credentem, accepisse
 | signum circumcisionis, sigillum justitiæ fidei:

Ut ità quoque eãdem ratione fieret pater
 | posterorum suorum, h. e. Judæorum;
 | quã ratione factus erat pater Gentium,
 | credentium videlicet:

nimirum *Fide*; in cujus vestigiis etiam illi
 | incederent, pariter ut Gentes fideles.

9) *gen.* Abrahamus hîc, ut & suprâ, vocatur Pater credentium,
âgr. Non (*effective*,) quòd fidem in omnibus fidelibus
 esset effecturus; vel, quòd generaturus esset tales,
 qui à natura, & à se, crederent:

Sic. Sed (*analogice*,) per similitudinem. Nam,
 Quemadmodum patres ad liberos suos, ex se genitos,
 hereditatem, & jura sua, transmittunt:
 Ità etiam Abrahamus quasi propagat justitiam fidei,
 & gratuitum *μακαρισμὸν*, ad omnes illos,
 qui ad ipsius exemplum credunt.

decl. Pater Gentilium vocatur; quia si Gentiles credant,
 habent & illi imputatam justitiam fidei,
 sicut eam habuit credens Abrahamus.

Pater Circumcisionis vocatur, quia si Circumcisi credant,
 Habebunt & illi imputatam justitiam fidei,
 sicut eam habuit credens Abrahamus:

Atque ità erunt filii ejus, non modò secundum carnem,
 sed etiam secundum fidem, & spiritum.

9) *Appl. (in Doct. & Usu, mixtis.)*

1. Hanc dignitatem si Papa Romanus ostendere posset, sibi concessam,
 Deus bone, quàm insolenter se efferret!

Nunc autem alienum honorem sibi rapit, dum se jactat

Caput omnium fidelium: Quum tamen,
 Christus solus sit Caput omnium fidelium;
 Abrahamus verò Exemplar omnium fidelium.

Quod utrumque Papa sibi arrogat, dum dicit,
 Se esse Vicarium Christi, Caput & Sponsum Ecclesiæ;
 Se non posse errare, & ad suum judicium, suamque dicisionem,
 Fidem Christianam esse conformandam.

2. Discimus etiam hinc,

thes. Unicam tantummodò esse viam salutis;
 proinde, Unam fidem, Unam Ecclesiam.

rat. Est enim unus pater omnium salvandorum, ex Gentib. & Judæis,
 qui omnes uno eodem modo salvantur.

test. Ideò Petrus dicit, Act. 15. 11. *Per gratiam D. N. J. Christi,*
credimus, nos salvatum iri, ut & illos, fideles sc. V. T.

Confer, Eph. 4. v. 4. 5. 6. Rom. 3. 30. 1. Tim. 2. 4. 5. & c.
 itèm, Joh. 14. v. 6. & c.

2) 3. Denique

*) 3. Denique discimus hinc,

thes. Quinam sint veri filij Abrahami, patris credentium?

Non certè omnes præputiati, nec omnes circumcisi;
Sed omnes, qui ambulant in vestigijs fidei Abrahami.

decl. Quid faciebat Abrahamus, pater credentium?

Credebat Deo. Qualis autem erat fides Abrahami?

1. Non nitebatur propriis meritis, sed solâ Dei gratiâ,
& respiciebat venturum Messiam; *ut sup. probatum:*
& ut Christus de ipso testatur, *Joh. 8. v. 56.*

*Abrahamus, pater ille vester, gestivit videre diem istum
meum; & vidit, ac gavisus est.*

2. Fides ejus erat, non conjecturalis, & dubia;
sed erat cordialis fiducia: ut infra, *Rom. 4. 18-21.*

3. Fides ejus erat, non mortua, sed viva; &
Efficax per charitatem: nam,
Ambulabat coram Deo, *Gen. 17. 1.* mandata Dei ob-
servando, Proximo benefaciendo.

conf. Quid ergo dicemus de Justitarijs, Papistis?

An illi essent filij genuini Abrahami? Minimè: nam,

1. Abrahamus non nitebatur proprijs meritis:
Illi verò docent, non sufficere Gratiam solam;
sed insuper bonis Operibus posse acquiri salutem:
Quinetiam gloriantur, de Operibus Supererogatorijs.

2. Abrahamus habebat cordialem Fiduciam,
nihil addubitans de promissione Dei, *Rom. 4. 20.*
Papistæ docent, semper dubitandum esse de ea.

Quid verò dicemus de illis, qui flagitiosam vitam agunt,
& nihilominus volunt haberi boni Christiani?

Abrahamus ostendebat fidem suam, per Bona Opera;
ut de eo testatur Jacobus Apostolus, *Jac. 2. 22.*

An ergo illi essent ipsius filij, qui dicunt, *Credo;*
at interim se volutant, in cœno peccatorum.

Verum est, quod Christus dicit Judæis, *Joh. 8. 39.*

Si filij Abrahami essetis, opera Abrahami faceretis.

Arrigite aures, vos ô dissoluti, qui vos polluitis,
ebrietate, Icortatione, superbiâ, odio, &c.

Non estis filij Abrahami, sed teste eodem Christo,
Patrem habetis Diabolum; Joh. 8. v. 44.

CONCL-

C O N C L U S I O.

R. Sed meliorem spem de vobis concepimus, Auditores;
 Proinde finiemus. Audivistis, ut Paulus probet exemplo Abrahamæ,
 Justificationem gratuitam Dei, quæ fit ex fide, pertinere,

1. Tam ad Gentiles,

2. Quàm ad Judæos:

Illosque esse veros ac genuinos Abrahami filios,
 qui incedunt per vestigia fidei patris Abrahami.

C. Agite ergo, Incedamus vestigiis Patris credentium, Abrahami;
 Deo fidamus, Deo obediamus, Proximum diligamus:

Sic & nobis Fides imputabitur ad Justitiam;

Sic magna erit merces nostra, ex gratia;

Sic erimus filii non Abrahami modò, sed & Dei.

Abrahamus diu fuit sterilis, sterilem nactus uxorem:

Tandem verò proles ejus fuit multiplicata,

ut certaret cum stellis cœli, cum arena maris.

Ecclesia etiam Christi diu fuit sterilis, ab initio:

Pauci se illi adjungebant.

Posteà verò amplior facta est; &

Quum olim parùm esset scientiæ, multùm conscientiæ,
 Pietas citò in Superstitionem degeneravit.

Tandem verò promicuit veritas,

& ex tenebris Papatûs emerfit,

multique se veræ Religionis addixerunt.

Utinam & cum Veritate crescat Pietas!

Sanè, si genuini filii Abrahami velimus esse,

Non tantùm nos accommodabimus Veritati,

sed etiam Pietatem studiosè colemus,

coram Deo ambulantes, Proximum diligentes.

Sic veri erimus filii Abrahami, Patris omnium credentium:

Sic filii erimus dilecti cœlestis Patris;

Sic fratres siemus Christi, ac coheredes gloriæ,

Sic filii ex Spiritu Sancto geniti erimus.

V. Illi Deo uni ac æterno, Patri, Filio & Spiritui Sancto

Sit laus, honor, gloria, & benedictio,

in sempiterna secula, Amen.

CONCIO XXXIII.

C O N C I O XXXIII.
De Signis & Sigillis Gratia, h. e.
SACRAMENTIS,

Textus, Rom. IV. vers. II.

*Et Signum accepit Circumcisionis, Sigillum Justitiae
fidei, receptae in praepitio.*

E X O R D I U M.

Superiori concione demonstratum est, Apostolum Paulum
Novum argumentum introducere, quo probat Justitiam fidei;
Quia scilicet Abrahamus hic consideratur,
non ut privata persona,
sed ut Caput & Pater omnium credentium:
Proinde, neminem aliter justificari, ex Gentibus,
quam fuit justificatus Abrahamus, ex Fide videlicet:
Quia, priusquam circumcideretur, justificatus est fide;
Circumcisionem verò postea accepit, non ad Justitiam,
Sed in Sigillum Justitiae fidei, quam jam antè habebat.
Dum hoc facit Paulus, simul & in exemplo Abrahæ declarare,
Quinam Justificationis sint capaces & participes? nempe,
Non solùm Judæos fideles, sed & Gentes, si modò credant. Nam,
Quatuordecim annis antequàm circumcideretur, justificatus fuit
fide; ut ostenderetur, Gentes posse justificari, si modò credant.
Postea demum Circumcisionis accepit Signum,
in Sigillum justitiae fidei, quam jam antè habebat
ut ostenderetur, Judæos nec minùs ipsos justificari,
non quidem propter Circumcisionem,
sed propter Fidem, quæ necessariò requiritur juxta Circum-
cisionem, ut hæc sit salutaris.
Promissimus tunc, nos ex his verbis textûs prælecti descripturos,
Naturam, Vim, & Proprietates Sacramentorum: nimirum,
Non conferre illa gratiam, sed esse certa Signa ac Sigilla,
quibus illa pulcrâ similitudine significetur & obsignetur,
illa scil. Justitia fidei, h. e. Remiss. pecc. & Vita æterna.

P. Id nunc hac Concione præstabimus : in qua dicemus ,

I. Primò, in genere aliquid , de Signis & Sigillis ;

Quid sint Signa, & Sigilla?

II. Deinde specialiter illa applicabimus , dicturi ,

Quale Signum & Sigillum fuerit Circumcisio? proinde ;

Qualia Signa & Sigilla sint cætera Sacramenta?

V. Deus adit nobis gratiâ Spiritûs Sancti , ut id fiat utiliter :

Tandemque nobis illud ipsum det , quod nobis nunc , in hac vita , certis Signis præfiguratur , certisque Sigillis obfignat ;

Hoc est , Vitam æternam , ad ipsum æternum , sinè intermissione , laudandum & celebrandum : *Amen.*

P A R S I.

Primum quod attinet , dicemus aliquid , *de Signis, & Sigillis.*

I. SIGNA quod attinet ;

def. Signa sunt , per quæ aliquid significatur :

| Idcirco *Signum* , semper habet *Signatum*.

distr. Signa autem sunt , vel

| *Naturalia* ; quæ fundamentum habent in natura. Sic

| Aurora signum est vicini & orituri Solis :

| Fumus , signum est vicini Ignis.

| *Data* ; quæ à voluntate instituentis dependent : Sive data ,

| *Ab homine* : qualia sunt varia ; veluti , quum

| Agricola limites agri ponit :

| Sponsus Sponsæ arrham fidei conjugalis dat.

| *A Deo* : quæ à Deo homini dantur. Hæc sunt , vel

| *Miraculosa* : qualia sunt extraordinaria Dei opera ,

| Quibus Deus indicat , iram , gratiam , doctrinæ veritatē .

| Exempli gratiâ ; Signa erant ,

| *Ira* , Diluvium , Plagæ Ægyptiacæ :

| *Gratia* , Manna , Deductio per mare rubrum :

| *Veritatis* , Sacrificium Eliæ , è cælo accensum ;

| *Miracula* , à Christo & Apostolis facta.

| *Sinè Miraculo* : per quæ significantur Res , sive

| *Præterita* ; ut Pascha , Signum liberationis ex Ægypto :

| *Præsentes* ; ut Crines Simsonis , virium præsentium :

| *Futura* ; ut Arbor vitæ , felicitatis continuandæ.

*) *subd.*

subd. Hæc Signa, sinè miraculo data, sunt vel
Communia; quæ in genere omnibus hominibus significant:
 | ut Iris, non ampliùs inundandum mundum, *Gen. 9. 12. 13.*
Specialia; quæ soli Ecclesiæ gratiam Dei testantur: ut
Sacramenta, indè dicta Sacra Signa.

Quid illis significetur, postea dicitur, *parte II.*

Ità hîc *in textu* accipitur, *Signum Circumcisionis.*

diff. Est autè, in Sacramentis, hæc differentia, inter *Signum* & *Signatum.*

1. Signum videtur, Signatum non videtur:
2. Signum corporaliter percipitur, Signatum spiritualiter:
3. Signum est varium, Signatum unicum:
4. Signum confertur, ad fidem confirmandam;
 Signatum verò, ad vitam consequendam exhibetur.

II. SIGILLA quod attinet;

def. Sigilla sunt, per quæ aliquid obsignatur & confirmatur:

| Idcirco, ubi Sigillum est, ibi est cuius reddimur certiores.

dist. Sunt autem Sigilla duùm generum:

1. *Humana*; quibus muniuntur, & stabiliuntur,
quid? Diplomata, regum, principum, magistratum:
 | Privati, Publicique, Contractus; maximè verò,
 | Pacta federalia.

cur? Idque majoris *εὐφραδίας* & securitatis causâ;
 | ut sint rata & authentica, stipulata, promissa.

exēp. Ut Jesabel legitur literas scripsisse ad iudices,
 easque munivisse sigillo regis Achabi, *1. Reg. 21. 8.*

2. *Divina*; quibus Deus suam gratiam ac promissionem in Christo,

thes. Non solùm significat, sed & insuper confirmat.

hyp. Nam omne Sigillum, est etiam Signum:

At non omne Signum, est Sigillum; ut
 Hereda est signum vini vendibilis, non sigillum.

appr. Talia Sigilla divina, sunt *Sacramenta*, Ecclesiæ instituta;
 nec sunt Sigilla divina, nisi *Sacramenta*:

Quæ non solùm sunt Signa, quibus aliquid significatur;
 sed etiam Sigilla, quibus aliquid confirmatur.

Atque sic etiam accipitur vox *σφραγίς*, in textu; nimirùm,
 Pro certa tesfera, certoque Pignore ejus rei,
 quæ nobis in Sacramentis promittitur: ubi dicitur;

Accepit Abrah. signum Circumcis. SIGILLUM. justitiæ fidei.

B) Appl. (in Usu Refutationis, & Doct.)

Usus. Papistæ non possunt persuaderi, Sacramenta esse Sigilla:

err. Negantes, Sacramentis confirmari gratiam Dei. Docent enim,
Sacramenta esse causam gratiæ, & conferre gratiam;
esse instrumenta Justificationis:

(quum tamen Fides sit unicū medium capiendæ Justificationis.)

Porro, Sacramenta Justificationem & Sanctificationem conferre,

Ex Opere Operato, ut loquuntur; h. e. tali opere,
quod in se habet hanc naturam, insitam vel inditam,
ut homines salvet, etsi absque fide & interno motu fiat.

Ex Opere Operantis, ut loquuntur; h. e. tali opere,
quod quidem non habet dignitatem in se,

sed dignitatem consequitur, quia fit ex bona intentione:
quomodo dicunt Sacramenta V. T. justificare.

Quamquam inter se hîc non consentiant Papistæ.

(Vide notata nostra, in edit. postrema Mellif. Cat. pag. 325.
ex Riveri Exercitatione 87. in Gen. 17.)

Idcirco hæc verba Pauli aliter conantur explicare;

Quasi per *Sigillum* intelligatur, Signum distinctivum,
quo distinguebantur fideles V. T. à reliquis infidelibus.

Bellarminus concedit, Baptismum, ut & Circumcisionem,
esse *Sigillum Fidei*,

Non, quòd excitet, aut confirmet Fidem;

Sed, quòd baptizatus, per Baptismum testetur, se credere.

ref. Sed ità, (ut ad hoc postremum primo loco respondeamus,)

Non accepisset Abrahamus signum Circumcisionis, à Deo;

Sed tradidisset Signum Deo, (ut in præced. conc. diximus.)

Quod verò primum illud attinet, fuisse Signum distinctivum;

Ad distinctionem sufficit, esse Signum:

At adjicit Paulus, esse quoque *Sigillum justitia fidei*.

inst. Dicunt quidem, à Patribus non fuisse aliter expositum,
quàm Signum distinctivum: sed sinè veritate id asserunt. Nam

Origenes & Theophylactus declarant, quòd etiam sit

Signum spiritualis circumcisionis.

Hieronimus per *Sigillum* intelligit, Perfectionem fidei:

Quod perfectum & plenum est, (inquit,) obsignari solet;

Idcirco Abrahamus accepit Circumcisionem,

in signum perfectionis Fidei.

v) Nicolaus

v) Nicolaus de Lyra, commentator eximius, ita declarat;
 Quòd Abrahamus acceperit Circumcisionem, in *Sigillum*,
 Hoc est, in *Absconsonem* justitiæ fidei: videlicet,
 futuram illam absconditam, usque in adventum Christi.
 Quia *σφραγίζει* significet, non solum *Confirmare*;
 sed etiam *Ocludere*; ut *Apoc. 22. 10. Dan. 12. 4. 9.*
 Cui expositioni favet locus, *Gal. 3. 23. Antequam venisses*
Fides, sub Legis presidio custodiebamur, conclusi in eam
Fidem, qua futurum erat ut revelaretur.

Sed non opus est, ut longè-eamus;
 Quomodo Abrahamus accepisset Circumcisionem,
 ad occultandam Justitiam fidei,
 quam Deus expresso verbo illi imputaverat?
 Quomodo factus fuisset Pater omnium credentium,
 in re occulta?

Certè, Justitia fidei per Christum, Patribus & fidelibus V. T.
 non mansit occulta, tecta, & incognita;
 sed manifestata est iisdem, teste Petro, *Act. 15. 11.*
 Gratia enim Christi servati sunt, sicut & nos.

¶ *concl.* In summa, Veteres non consentiunt in hac explicatione: &
 Quamquam obscuriùs explicent Usus Circumcisionis;
 verum tamen non est, nullos ex ipsis indicasse illum.
 Et quis Patribus errorem Anabaptisticum impingeret,
 quasi docuissent, Circumcisionem V. T. tantum fuisse
 externam professionis notam?

Quid senserit de natura Sacramentorum Tertullianus,
 quid itè Augustinus, veteres ac orthodoxotati Patres,
 paucis cognoscere poteris, ex *Mellis. Catech. pag. 367. 368.*

v) *Doct.* Disce hic simul, quomodo Sacramenta convenienter appellentur.

hyp. Veteres Christiani assumserunt nomen *Sacramenti*,
 quod non caret homonymiâ;
 ut docetur, in *Mellisicio Catechetico, pag. 318. 319.*

thes. Convenientiores sunt appellationes S. Scripturæ: quales,
 Hic in textu, *σημεία, σφραγίδες*, Signa & Sigilla;
 Heb. 8. v. 5. *τύποι*, Typi;
 Heb. 9. 24. 1. Pet. 3. 21. *ἀντίτυπα*, Contra-typi;
 Heb. 8. 5. cap. 9. 23. *ὑποδείγματα*, Exemplaria.

concl. Sed vicit usus, & satis trita inter nos est vox *Sacramenti*.

P A R S II.

Accedamus nunc ad *Circumcisionem*, & cætera *Sacramenta*:

I. *Quale Signum & Sigillum fuerit Circumcisio?*

Prop. Id ex *textu* præsentis, & *historia* Circumcisionis patet.

I. SIGNUM fuit:

text. *Accepit Signum Circumcisionis.* Confer, *Gen.* 17. 11. Nam,
decl. Per Amputationem præputii significabatur,

Amputatio peccatorum, per meritum Christi futura;
i. e. Imputatio iustitiæ fidei, ut in *textu*.

Amputatio corruptæ naturæ, per gratiam Spiritûs S.
i. e. Circumcisio cordis, de qua *Deut.* 30. 6.

quæ vocatur, *Cordis, in Spiritu, in occulto*, *Rom.* 2. 29.
quæque dicitur *feri sine manibus*, *Col.* 2. 11.

nom. Vocatur autem *Signum federis*, inter Deum & hom. *Gen.* 17:11.
Fodus erat hoc,

A parte Dei; *Ero Deus tuus, & seminis tui*, *Gen.* 17. 7.

Ero clypeus tuus, & merces tua ampla valde, *Gen.* 15. 1.

A parte Abrahæ; *Ambula coram me integer*, *Gen.* 17. 1.

Quia igitur in omni Federe, utraque pars obligatur,
Deus, per Amputationem præputii, federatis suis,

1. Significabat, Amputationem peccati, cordis;

2. Stipulabatur Obedientiam Legis: nam, *Gal.* 5. v. 3.

Testor omni homini, qui circumciditur, ait Paulus,
Eum esse debitorem, totius Legis servanda.

Vocatur etiam aliquando *Fodus ipsum*; ut *Gen.* 17. 10.

Hoc est Fodus meum, inter me & vos, ut circumcidamini.

Non, quòd Circumcisio esset ipsum Fodus;

Sed, quòd esset *Signum federis*, ut postea dicit, *vers.* 11.
ut sit Signum federis, inter me & vos. Imò &

2. SIGILLUM fuit: ut in *textu*, *Sigillum Iustitiæ fidei.* Nam,

Quàm certò Abrahæ præputium refecabatur, cultro cruento;
tam certus erat, remissa esse sibi peccata, & quasi refecta,
per cruentum sacrificium Christi, in cruce.

Quàm certò Abrahamidæ circumcidebantur, in carne præputii;
tam certi erant, Deum circumcisurum corda ipsorum:
juxta promissionem illam, *Deut.* 30. v. 6. *vid. supra.*

§) Appt.

2) Appl. (in Doct. generali, & speciali.)

1. Gen. Hinc perspiciamus naturam & vim Sacramentorum :

thes. Sacramenta, non conferre ipsam gratiam Dei in Christo ;
Sed eandem Significare, & Oblignare : hoc est,
Esse certa Signa & Sigilla justitiæ fidei,

text. Nam, Abrahamus fuit circumciscus,
Non, ut per hoc Sacramentum demùm justificaretur ;
Sed, ut ei Justitia fidei, (jam in præputio accepta, text.)
hoc signo declararetur & significaretur,
hoc sigillo insuper confirmaretur & obsignaretur.

ant. Artificiofa hæc est Inversio :

Judæi putabant, (quæ est hodièque Papistarum opinio,)
Circumcisionem conferre Justitiam & Salutem :

Paulus hoc ipsum invertit, & dicit,
Abrahamum, jam justificatum per fidem, accepisse
Signum Circumcisionis, in Sigillum justitiæ fidei.

2. Spec. Qualis autem est ratio Circumcisionis, in Vet. Test.

thes. Talis etiam est ratio Sacramentorum, in Nov. Test.

ant. Papistæ quidem contrà: Non sequi hoc, dicunt,
Si Circumcisio fuit Signum & Sigillum ;
Ergo etiam reliqua Sacramenta esse Signa & Sigilla.

decl. At nos rectè concludimus,

Si Circumcisio est Signum & Sigillum federis,
Erunt etiam Sacramenta cætera Signa & Sigilla.

Ratio consequentiæ est ; quia pariter dicitur,

De Agno Paschali, Exod. 12. v. 13. 14. *Erit vobis signū, memoriale.*

Significabat Agnus paschalis, Agnum Dei Christum ;

Mactatus, mactandum in cruce Christum ;

Ossa non fracta, non frangenda esse ossa Christo.

Obsignabat, Sanguis Agni, postibus ostij aspersus,

Angelum percussorem præteriturū illas ædes, Exod. 12. 13.

Sic Sanguine Christi aspersi liberi sunt, à potestate Satanæ.

De Baptismo, Matt. 28. 19. *Baptizate eos, in nomen P. F. & Sp. S.*

h. e. Testentur per Baptismum fidem suam, in P. F. & Sp. S.

De Sacra Cœna dicitur, Matt. 26. v. 26. 28. Luc. 22. v. 19. 20.

Hoc est Corpus meum : Hoc facite in mei memoriam.

Hoc est Sanguis meus Novi federis, qui pro multis, &c.

vel, *Hoc poculum est Novum fedus, per Sanguinem meum.*

n) inst.

n)inst. Aliter excipiunt; Magnam esse differentiam inter V. & N. T.

Sacramenta Vet. Testamenti significare gratiam:

Sacramenta Novi Testamenti continere, & Conferre gratiam.

resp. Verum quidem est, Differentiam esse V. & N. Testamenti, & Christo exhibitio diffugisse umbras & ceremonias V. T. Col. 2. 17.

Sed in N. T. alia Sacramenta, in locum Sacramentorum V. T. & quidem clariora ac faciliora, sunt substituta.

Non, quasi continerent Christum;

Sed, quæ ostendant Christum, jam exhibitum:

Sicut Sacramenta V. T. ostendebant Christum exhibendum.

Proinde, Sacramenta Vet. Testamenti, fuerunt typi,

Non Sacramentorum N. T. sed ipsius Christi, Col. 2. 17.

Fuerunt autem utraque Sacramenta, *ἀντίτυπα*.

hoc est, Correspondentes typi, arg. 1. Pet. 3. 21.

trans. Pergamus nunc, atque consideremus,

II. Qualia sint Signa ac Sigilla Sacramenta Novi Testamenti?

I. BAPTISMUS successit Circumcisioni, (ut S. Coena Agno paschali.)

Ideòque Baptismus ex Circumcisione optimè potest describi.

1. Signum & Sigillum,

In Circumcisione fuit, Præputium, illiusque Amputatio:

In Baptismo, Aqua, & Aspersio aquæ.

2. Signi significatio.

Primaria fuit;

Promissio Dei, eaque

In Circ. Præputium significabat genitalem pravitatem;
Amputatio præputij Remiss. pecc. & Regener. Sp. S.

In Baptismo, significat,

Aqua, Sanguinem & Spiritum Christi;

Aspersio, Purgationem peccati per Sang. & Spir. Christi.
illa Justificatio, hæc Sanctificatio dicitur.

Repromissio hominis: Testantur,

Circumcisi, Obedientiam Deo ejusque Legi, Gal. 5. 3.

Baptizati, Se habituros pro suo Deo Patrem, F. & Sp. S.

Secundaria fuit;

Circumcisis solis licebat edere Pascha, Exod. 12. 48.

Sic Baptizatis solis licet uti S. Coena.

Circumcisione Israëlita distinguebantur à Gentibus:

Baptismo Christiani, ab Ethnicis Judæis, Turcis.

9)3. Sigilli

3)3. Sigilli Confirmatio, seu Obsignatio, hæc est:
 Circumcisio non conferebat gratiam, sed obsignabat;
 Sic Baptismus non confert gratiam, sed obsignat.
 Adeoque nullum est periculum, de Infantibus fidelium,
 si sine Baptismo decedant, (ut nec de Incircumcisis:)
Non enim privatio Baptismi, sed contemptus damnat.
 Quemadmodum Circumcisione fidelib. V. T. confirmabatur
 Imputata iustitia fidei, & Circumcisio cordis:
 Ità per Baptismum fideles N. T. confirmantur,
 Se tam certò ablutos à peccatis, Sanguine & Spir. Christi;
 Quàm certò extrinsecus asperguntur & abluuntur Aquâ.

1)2. SACRAM COENAM quod attinet; In illa
 1. Signa & Sigilla sunt; Panis, & Vinum: itè,
 Panis fractio, porrectio, acceptio, manducatio, nutritio;
 Vini fusio, porrectio, acceptio, bibitio, resectio.
 2. Signi significatio hæc est:
 Panis significat, Corpus Christi; Vinum, Sanguinem.
 Fractio panis, Fractionem, h. e. crucifixionem, & mortem;
 Fusio vini, Effusionem Sanguinis Christi.
 Manducatio panis, Bibitio vini, significat, Christi
 Carnem, esse Cibum; Sanguinem, Potum spirituale animarum.
 Nutritio & resectio Panis & Vini, ad hanc vitam, significat
 Nutritionem & refectionem animarum, ad vitam æternam:
 Ut de ea testatur ipse Christus, *Joh. 6. cap.*
 3. Sigilli obsignatio talis est:
thes. Quàm certò Panis & Vinum mihi porrigitur, accipitur;
 Tam certò Corpus mihi fractum, Sanguis mihi fusus:
 Hoc est, Tam certò (meæ fidei, Ori spirituali,)
 offertur Remissio peccatorum meorum,
 parta Sanguine & Morte Christi.
 Quàm verè Panis & Vinum alunt corpora nostra;
 Tam verè Corpus Christi fractum, Sanguis ejus fusus;
 Cibus & Potus sunt animarum nostrarum,
 ad vitam spiritualem, beatam, & æternam.
 Quàm verè Panis & Vinum corpori nostro uniuntur;
 Tam verè etiam nos, per Spiritum S. unimur,
 Cum Christo, Redemptore & Capite nostro,
 ut simus unum cum eo Corpus, *Eph. 5. 30. &c.*

Aaa

*) Conf.

*) *Conf.* Propter hanc similitudinem, eamque obfignationem,
verb. Panis vocatur Corpus Christi, *Matt.* 26. v. 26.

Poculum (h. e. Vinum in poculo,) Sanguis Christi, *vers.* 28.
 vel, Novum fedus per Sanguinem Christi, *Luc.* 22. v. 20.

sens. Non, quòd Panis mutetur in Corpus Christi,
 Vinum in Sanguinem; vel, In, Cum, Sub illis lateat, &c.
 Sed, quia Panis non tantum est Signum, sed & Sigillum,
 Nos tam verè esse participes Corporis & Sanguinis Christi,
 (h. e. remissionis peccatorum, illis partæ nobis,)
 quàm verè traditur, & à nobis accipitur, Panis & Vinum.
 Nos tam verè in anima nostra cibari, per Fidem scil.
 ad vitam æternam, merito Corporis & Sanguinis Christi;
 quàm verè in corpore nostro cibamur & potizamur,
 Pane & Vino, ad hanc vitam corporalem.

obj. (*Objectiones Adversariorum, cum Resp.*) Objicitur hîc nobis,
 1. *Obj.* In Testamento verba debent propriè intelligi.

Resp. Non semper propriè, sed verè. An non per tropum dicitur,
*Hoc poculum, i. e. Vinum in poculo? Hoc poculum
 Est novum fedus, i. e. significat novum illud fedus?*

2. *Obj.* Similis loquutio Sacramentalis non exstat in Scriptura.

Resp. Annon dicitur? *Circumcisio est fedus, Gen.* 17. v. 10.
 quod exponitur, *Circumcisio est signum federis, v. 11.*
 Annon dicitur? *Agnus est pascha, i. e. transitus, Exod.* 12. 11.
 quod exponitur, *Signum & memoriale transitus, v. 13. 14.*

Annon dicitur? *Petra erat Christus, I. Cor.* 10. v. 4.
 quid similius huic loquutioni? *Panis est Corpus Christi.*

3. *Obj.* Non invenitur in communi sermone talis tropus.

Resp. Quid frequentius?

Testator in Testamento dicit, *Hæc est ultima mea voluntas;*
 h. e. Signum & descriptio ultimæ meæ voluntatis.

2. Sponsus Sponsæ tradens anulum fidei conjugalis, dicit;
Hæc est mea fides: h. e. Arrha & pignus meæ fidei.

Vendens agrum, Emptori tradit eum, *traditâ stipulâ, gleba;*
 In comædijs dicitur, *Hic est Casar, Hic Pompejus, &c.*

Sic Josephus dicebat, *Gen.* 41. v. 26. 27. *Septem vacca,*
Septem spica, septem anni sunt; i. e. designant.

Sic Christus sæpè loquitur, *Joh.* 10. 7. *Ego sum Ostium.*

Joh. 14. 6. *Ego sum Via. Joh.* 15. 1. *Ego sum Vitis. &c.*

2) 4. *Obj.*

4) 4. *Obj.* Deus est Omnipotens, potest id ita efficere.

Resp. Non est quaestio, quid possit Deus, sed quid velit facere.

Omnipotentia Dei non pugnat, cum eius Immutabilitate:

Proinde, non potest facta reddere infecta;

Nec potest contradictoria, ut aliquid sit, & non sit.

Sicut nec Omnipotentia Dei pugnat, cum eius Perfectione:

Proinde, non potest peccare, mentiri, *Heb. 6. 10.*

Nec potest mutari, mori, *Jac. 1. 17. 1. Tim. 6. 16.*

CONCLUSIO.

R. Audivistis ita, Auditores,

1. Descriptionem, de Signis & Sigillis:

2. Tractationem, de Sacramentis V. & N. T.

quod sint Signa, & certa Sigilla Gratiae Dei, in Christo;
quae Gratiam Dei non conferunt ex se, & vi sibi insita,
sed solummodo Significant & Obsignant.

C. Magna est controversia, in Ecclesia Christi, de Sacramentis:

Magnae lites adversariorum, qui nos vocant Sacramentarios;

Quum nos illos multo rectius Capernaitas dicere possimus.

Sed utinam recte considerarent haec verba Apostoli Pauli, in textu!

Accepit Abrahamus Signum circumcisionis, Sigillum justitiae fidei:

Aequiores sane essent, & pacis studiosiores.

Nos vero haec verba Apostoli ruminemus, & diligenter expendamus:

Sic non errabimus, sed recto tramite Scripturae insistemus:

Multosque errores declinabimus, & refutare poterimus.

Deo autem soli sit gratia,

Quod nos a tam absurdo ac enormi errore liberavit,
clarissimam lucem Verbi sui inter nos accendit:

Quod Gratiam suam, & Justitiam fidei salutarem,
non solum in Verbo suo curat doceri & praedicari;
sed etiam per Sacramenta significari & obsignari.

V. Tandem etiam nobis idipsum concedat Deus gratiofus,

quod nobis nunc Verbo suo praedicat, Sacramentis obsignat:

nempe, Vitam aeternam, Salutem aeternam & gloriosam,
in qua eum aeternum laudemus ac celebremus.

Illi sit laus, honor, & gloria, hic in tempore,

illic in aeternum, Amen, Amen.

C O N C I O XXXIV.

De Promissione Abrahamo facta,
ejusque Medio.

TEXTUS, Rom. IV. vers. 13—16.

Non enim per Legem promissio cessit Abrahamo, aut semini ejus, ut heres esset mundi, sed per justitiam fidei. Etenim, si ij qui ex Lege sunt, heredes sunt, vana facta est fides, & inanis reddita est illa promissio. Nam Lex iram efficit: ubi enim non est Lex, ibi nec transgressio est. Propterea ex fide est hereditas, ut sit per gratiam, Ut firma sit promissio toti semini: id est, non solum ei, quod est ex Lege, verum etiam ei, quod est ex fide Abrahami, qui est pater omnium nostrum.

E X O R D I U M.

TAm artificiosè Apostolus Paulus disputationem de Justificatione Concatenat, ità ut unum ex altero dependeat & probetur; Ut admirandum sit, & facilè perspici possit, quo Spiritu actus fuerit. In proximè præcedentibus verbis dixerat, Illos esse veros & genuinos filios Abrahami, Non, qui tantum circumcisi essent, Sed, qui insuper, etsi incircumcisi, in vestigiis ejus incederent. Adeoque, tum Judæos si credant, veros ejus filios esse, tum Gentes si & ipsæ credant, filios Abrahami esse. Idipsum nunc deducit, & probat hac ratione, Quia Abrahamo non sit facta Promissio per Legem, sed per Justitiam Fidei. Potuisset enim aliquis dicere, ac objicere; An non sufficit ad hanc filiationem, si insistant vestigiis Circumcisionis, vel Operum Abrahami? Respondet Paulus; Legem nihil facere ad hanc filiationem, Sed solam Fidem.

Interim,

Interim dum hoc præstat, introducit aliud Argumentum,
quo probat Justitiam fidei, desumptum à natura Promissionis;
Quia Promissio non possit esse ex Lege, sed ex Fide:

Legem enim iram operari;
Fidem autem fundare se, in sola Dei gratia.

P. Ut hæc hac vice cum fructu considerare possimus,

Duas partes proponemus, in quibus hæc consideranda venient:

I. Dicemus de Promissione; *Qualem Promissionem Abrahamus
cum Semine suo acceperit?*

II. Declarabimus ex textu; *Per quid hæc Promissio sit facta?
utrum per Legem, an per Fidem?*

V. Filius Dei, Jesus Christus, qui nobis & hanc promissionem dedit,

Ubi duo vel tres congregati sint, in nomine suo,
Ibi se in medio eorum futurum;

Nunc quoque sit in medio nostri, suâ gratiâ & Spiritu,
ut hæc consideremus ad divini nominis gloriam,
nostrique consolationem, & æternam salutem: *Amen.*

P A R S I

Primum quod attinet, *Promissionem Abrahæ, & Semini ejus factam,*

Text. Illa ab Apostolo sic describitur; *Ut heres esset mundi.*

Exeg. Quæritur, *Quid per Hereditatem mundi hîc intelligatur?*

hyp. Etenim, nusquam legimus, *Promissam Abrahæ hereditatem mundi.*

thes. Idcirco hæc verba Apostoli non uno modo explicantur.

I. Quidam intelligunt per *Mundum*, terram Canaan:

Quasi sit hîc sermo de illa Promissione, Gen. 15. v. 7. 18.

Tibi, & semini tuo, dedi terram hanc.

Intelliguntque, per terram Canaan, Hereditatem cœlestem.

Resp. Atquæ certum est, ac indubitatum,

Abrahamum non habuisse hereditatem, in terra Canaan;

ne quidem vel pedis vestigium; ut Act. 7. v. 5.

Posteros ejus quidem occupasse illam terram: Sed,

Sæpiùs impugnatos, & expugnatos fuisse;

Aliquando captivos indè fuisse abductos;

Tandem verò planè indè ejectos esse.

Proinde necesse est, sensum horum verborum alium esse;

aliterque hæc verba Pauli esse intelligenda.

A a a 3.

2. Quidam

2)2. Quidam intelligunt, per Semen Abrahæ, Christum:

Qui verè est *Heres mundi*; juxtà Pſal. 2. v. 8.

*Pete à me, & donabo Gentes, in possessionem tuam;
& fines terra, jus possessionis tuæ.*

Cum quo convenit testimonium illud, Heb. 1. v. 2.

Quem constituit heredem omnium, mundo per eum condito.

Resp. Huc quidem tandem venit, in Promissione illa;

Sed genuinus sensus est alius. Nam,

3)3. Primò, quòd hìc dicit Paulus,

Abrahamum debere esse Heredem mundi;

Id idem est, quod antea dixerat, *Abrahamum esse*

Patrem omnium credentium, & ex Circumcis. & ex Præputio.

Quem ergo antea vocaverat, *Patrem omnium credentium;*

hunc jam vocat, *Heredem mundi:*

id est Omnium fidelium, in toto mundo. Etenim,

Sic sæpè vocabulum *Mundi* accipitur, pro *Fidelibus mundi*: ut,

Joh. 12. 47. *Non enim veni, ut damnem Mundum;*

sed, ut servem Mundum. Sic quoque,

Joh. 3. 17. *Non enim misit Deus Filium suum, in mundum,*

ut damnet Mundum, sed ut servetur Mundus per eum.

Respicit ergo Paulus illam promissionem, Gen. 17. 5.

Patrem multitudinis Gentium constitui te.

Deinde, quod attinet Hereditatem, quam

Abrahamus, ad suum Semen, & omnes Gentes, transmisit;

Per illam Hereditatem intelligitur,

àg. Non terra Canaan, quam ad solos carnales filios transmisit:

Non imperium orbis, quod in carnales ejus posteros,
tandem transferendum esse, falsò somniant Judæi.

dic. Sed intelligitur per illam,

1. Hereditas cœli & terræ, Semini ejus Christo promissa:

Matt. 28. 18. *Mihi data est omnis potestas, in cœlo & terra.*

Quod enim Christo est promissum, id cum Abrahamo,
veluti patre ejus, honoris causâ communicatur.

Qualis etiam communicatio fit, in promissione illa,

Gen. 18. 18. *In Abrahamo benedicende sunt omnes gentes.*

Gen. 22. 18. *Benedictæ erunt in semine tuo omnes gentes.*

Confer, Gal. 3. 16. *Non dicit, Et seminibus, ut de multis;
sed ut de uno, Et Semini tuo, qui est Christus.*

2)2. Dignitas

2) 2. Dignitas & Beatitudo Ecclesiæ, ex toto mundo colligendæ:
 Quò pertinent omnia Christi beneficia, & dona,
 quæ in Ecclesiam suam contulit & effudit, *Eph. 4. v. 8.*
 Sunt enim Fideles, *Coheredes Christi*, *Rom. 8. 17.*
Membra ejus Corporis, *Eph. 5. 20.*

3) 3. Jus filiorum Abrahæ, h. e. omnium Fidelium,
 quod habent etiam in hunc Mundum exter num.
 Etsi enim Fideles in hoc mundo exulant, & peregrini sunt,
 & minimam mundi partem obtinent;
 atque filij mundi bona hujus mundi possident:
 Tamen jure hereditario, Omnia sunt Electorum; juxta
test. 1. Cor. 3. v. 22. Omnia vestra sunt:

Vos autem Christi: Christus verò Dei.

*Matt. 5. v. 5. Beati mites: quoniam ipsi
 terram jure hereditario possidebunt.*

*Psal. 25. v. 13. Semen justi hereditario jure
 possidebit terram.*

Psal. 37. v. 11. Mansueti hereditario jure possidebunt terram.

v. 22. Benedicti à Deo hereditario jure possident terram.

*v. 29. Justi hereditario jure possidebunt terram,
 & habitabunt in aeternum super eam.*

rat. Et cur Fideles non essent Heredes mundi?

1. Propter illos hic Mundus creatus est;
 & suâ pravitate corruptus, conservatur tamen;
 tandemque destruetur, & innovabitur, *Rom. 8. 21.*

2. Justi rectè utuntur mundo; Impij abutuntur:

1. *Cor. 7. 31. Et qui utuntur hoc mundo, ut non
 abutentes: præterit enim habitus hujus mundi.*

1. *Joh. 2. 15. Ne diligito mundum, neque ea que in
 mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas
 Patris in eo. Confer, 2. Tim. 4. 10. Demas me dese-
 ruit, amore inductus presentis seculi.*

3. Justi etiam hunc Mundum, ut & Diabolos, judicabunt:

1. *Cor 6. v. 2. 3. An ignoratis, sanctos Mundum judica-
 turos? Quòd si per vos Mundus judicabitur, indigni
 estis minimis judicijs.*

An ignoratis fore, ut Angelos judicemus?

Confer, Matt. 19. v. 28. Apoc. 20. v. 4.

2) Appl.

1) Appl. (in Doct. & Usu.)

Doct. Discimus hinc,

thes. Quæ sit vera Hereditas hujus Mundi?

decl. Non, quum Thefauri, & Regna hujus mundi possidentur;

Sed, quum quis est Coheres Jesu Christi:

Qui est *Heres omnium*, Heb. 1. v. 2.

Cui data est omnis potestas, in cælo & in terra, Matt. 28. 18.

In summa, Quum quis hoc Mundo rectè utitur;

fese in hac vita præparans, ad futuram.

In primis, quum quis in hac vita certus est, fide,

de Hereditate vitæ æternæ, post hanc vitam dandâ;

atque ità certus est illius hereditatis, quam Abrahamus

transmisit ad omnes fideles, eos scilicet,

qui in vestigiis fidei ipsius incedunt.

Usus. Quapropter, Auditores dilecti in Christo,

thes. Præparemus nos ad hanc Hereditatem, verâ fide,

& piâ ac inculpatâ vita: juxta admonitionem Christi,

test. Matt. 6. v. 33. *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus;*
& reliqua omnia adjicientur vobis.

Ibid. v. 19. 20. 21. *Ne thesauros recondite in terra, ubi tinea*

& erosio corrumpit, & ubi fures perfodiunt & furantur:

Sed recondite vobis thesauros in cælo, ubi nec tinea, nec & c.

Nam ubi thesaurus vester est, illic erit etiam cor vestrum.

rat. Certum enim est, quod dicitur in epistola ad Heb. 13. v. 14.

Non habemus hic stabilem civitatem, sed futuram inquirimus.

Verum est, quod de se & omnibus fidelibus testatur David,

Psal. 39. 13. *Peregrinus sum coram te, inquilinus, ut omnes*

majores mei. Sic, 1. Chron. 29. v. 15.

Psal. 119. 19. *Peregrinus sum in hac terra.*

Verum est, quod Paulus dicit, *Phil.* 3. 20. *Πολίτευμα nostrum est*

in cælis, unde etiam Servatorem exspectamus, D. J. Christum.

Quique tandem dicet, *Possidete regnum, & c. Matt.* 25. 34.

concl. Ideoque cum eodem Apostolo, 2. Cor. 5. v. 6. 8. *Scientes, nos*

Dum adsumus in corpore, peregrè abesse à Domino; gratum sit

nobis potius, abesse è corpore, & adesse Domino.

Desideremus dimitti, & esse cum Christo, Phil. 1. 23.

Anhelemus ad illam *Hereditatem, incorruptibilem, incontami-*

natam, immarcescibilem, nobis servatam in cælis, 1. Pet. 1. 4.

PARS II,

P A R S II.

Secundum quod attinet, *Per quid hæc Promissio sit facta?*

Text. De eo sic Paulus; *Promissionem illam, (ut sc. esset heres mundi,) non cessisse Abrahamo, aut Semini ejus, per legem, (vel quod idem est Paulo, per Opera legis,) sed per justitiam Fidei.*

Exeg. In his verbis Paulus suam sententiam nudè proponit;

prop. Per *act. 13. & 14. 15.* In sequentibus autem utramque probat.

tract. Itaque videamus utramque *Propositionem, cum sua Probatione.*

I. Promissionem hereditatis illius non esse, per Legem.

Prob. aliunde. Potuisset hoc probare Paulus, à Tempore:

test. Ut facit in epistola, ad *Gal. 3. v. 17.* ubi dicit;

Legem post annos quadringentos & triginta, post hanc promissionem demum esse latam.

syll. Unde sic licet concludere:

P. Si Lex multo post Promissionem tempore fuit lata, non poterit ex Lege esse promissæ hereditas.

A. At Lex multo post Promissionem tempore fuit lata. |

Nam, quod attinet Legem

Moralem; hæc nondum erat lata, sed 430. annis demum postea fuit lata.

Ceremonialem; hujus basis est Circumcisio: quæ nondum erat, sed post 14. annos demum injuncta fuit.

Naturalem; hæc non erat tam potens in Abrahamo, ut eum potuerit ab idololatria patria retrahere; quod demum factum fuit, Dei gratiâ, *Jos. 24. 2. 3.*

C. Ergo per Legem hæc Promissio non cessit Abrahamo.

Sic, inquam, potuisset aliunde probare propositum;

Prob. ex Textu. Sed argumentatur hîc, ab evidenti Absurditate:

1. text. Dicens; *Si ii, qui ex Lege sunt, heredes sunt,*

Vana facta est Fides, (nempe, Abrahami & Seminis,) &

Evacuata esset Promissio. (nempe, de hereditate illa.)

par. Eodem modo argumentatur alibi:

Gal. 3. 18. Si ex Lege est hereditas,

non jam est ex Promissione.

Gal. 2. 21. Si per Legem est justitia,

Christus frustra mortuus est.

B b b

2)rat.

rat. Ratio connexi, seu Consequentia necessaria est, fluens ex
Vers. 4. hujus Cap. IV. *Operanti merces non imputatur ex gratia,
sed est ex debito.*

Si ergo ex Lege esset Promissio, non esset ex gratia: proinde
Vana facta esset fides Abrahami, & Seminis ejus; &
Evacuata, seu inanis reddita esset, illa Promissio Dei gratuita.

ass. Atqui (vult assumere Paulus,) impossibile est,
Deum vanâ promissione delusisse Abrahamum, &
Abrahamum vanâ in Deum fide ac fiducia delusum esse.

concl. Sequitur ergo, *Per Legem non esse hereditatem illam:*

Id quod iterum evidenti Argumento alio probat,

2. text. Dum. ait; *Lex iram operatur.*

Quâ sic? *Ubi enim non est Lex, ibi nec transgressio est.*

decl. *Lex iram operatur: Iram, hoc est, Iram Dei, Maledictionem;*
Pœnam scilicet justam, transgressoribus Legis denunciata.

Ubi non est Lex, ibi non est transgressio: h. e. non ita cognoscitur.

Ubi verò Lex est, ibi transgressio est; h. e. manifestè cognoscitur.

Nam Omnes declinârunt, non est qui faciat bonum, Ps. 14. 3.

Et Per Legem est cognitio peccati, Rom. 2. 20.

Ubi autem Transgressio est, ibi est Ira & Maledictio; juxta
Deut. 27. 26. Maledictus, qui non præstiterit verba Legis
hujus, faciendo ea. Quod Paulus ita enunciat,

Gal. 3. 10. Maledictus, quisquis non manserit in omnibus,
quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea.

Doct. Videmus hîc, Ex Lege Dei esse, Cognitionem

thes. Non solum peccati; sed & Iræ Dei, adversus peccatum:

hoc est, & Peccati, & Pœnæ peccati.

test. Hujus loci sunt dicta illa;

Rom. 1. 32. Ius Dei est, eos qui talia faciunt, dignos esse Morte.

Sic Rom. 6. 23. Stipendium peccati est Mors.

Rom. 5. 20. Lex præterea introiit, ut amplificaretur delictum:
h. e. gravitas ejus melius cognosceretur.

Gal. 3. 19. Lex transgressionum gratiâ adjecta est.

prol. Quomodo verò Lex, quæ sancta est, & justa, & bona,
Iram efficiat, id fusiùs declarat Paulus, infra,

Rom. 7. v. 12. & seqq. Nimirum fit hoc,

Non vitio Legis, sed vitio hominis corrupti,

Qui Legem non potest præstare.

II. *Promissionem hereditatis illius esse, per Fidem.*

Trans. Postquam probavit Paulus, Promissionem *Non esse* per Legem;

Concludit jam, *Esse* eam per Fidem: Et hoc vult dicere,
Hereditas illa, aut est ex Lege, aut ex Fide:

Sed non est ex Lege; ut probatum jam est:

Ergo est ex Fide. Pergit itaque, sic

Text. Dicens; *Propterea ex Fide est hereditas, ut sit per Gratiam, ut firma sit promissio toti Semini: id est, Non solum ei, quod est ex Lege; Verum etiam ei, quod est ex Fide Abrahami, qui est pater omnium nostrum.*

Exeg. Non solum concludit, ex Fide esse hereditatem; sed etiam
thes. Alio id insuper Argumento probat; artificiosè omnia connectens.

Anteà concludebat; *Non ex Lege, sed ex Fide:*

Nunc autem concludit; *Ex Fide, ergo non ex Lege:*

text. Dum dicit; *Propterea ex Fide est hereditas:*

Ut sit per Gratiam;

Ut firma sit promissio Toti semini: id est,

Non solum ei Semini, quod est ex Lege;

Verum etiam ei, quod est ex Fide Abrahami,

qui est pater omnium nostrum, Credentium scilicet.

decl. Quasi dicat; Necessè est dicere, hereditatem esse ex Fide,
Ob duo incommoda:

1. Quia alioqui hereditas non esset ex Gratia.

Quò sic? Quia Fides & Gratia semper conjuncta sunt.

Fides nititur solâ Dei Gratiâ:

Gratia tantum Credenti promittitur, & datur.

Ut ergo stet Gratia, necessè est stet Fides.

2. Quia alioqui hereditas non esset rata Toti semini.

Quò sic? Propterea scilicet, quia

Si Judæi accepissent promissionem ex Lege,

Quomodo Gentiles potuissent fieri participes

promissionis illius, qui non habebant Legem?

Ut ergo promissio rata sit Toti semini, hoc est,

Tam fidelibus ex Gentibus, quam ex Judæis;

Necessè est, hereditatem esse ex Fide:

quam utrique habent, quæ sola est via salutis;

quâ Abrahamus, pater omnium, salvatus est,

ad testandum, neminem aliter salvari.

n) Appl. (in Doct. & Usu.)

Doct. Hæc mens est Apostoli, in verbis illis; Ubi nota,

thes. Duplicem esse Promissionem,

1. Legalem; *Homo qui fecerit ea, vivet in eis*, Lev. 18. 5.

Quia verò homo Legem præstare non potest,

Hæc promissio Legalis irrita est & nulla.

2. Euangelicam; *Ego ero Deus tuus, Merces tua*, ut suprâ.

Hæc promissio fundata est in Gratia Dei;

Proinde constans est, & rata ac firma fidelibus.

test. Hoc est, quod docet Apostolus Paulus, Rom. 8. v. 3. 4.

Quæ Legis erat impotentia, quum viribus esset destituta in Carne,

h. e. propter infirmitatem corruptæ Carnis;

Deus, suo ipsius Filio misso, in formâ consimili Carni, peccato obnoxia, idque pro peccato, satisfaciendo scil. condemnavit peccatum in carne:

Ut jus illud Legis compleatur in nobis.

Usus. (duplex, 1. Ref. 2. Adm.) Si autem hæc omnia ita sunt; patet,

1. Ref. Quàm impii sint Papistæ,

err. Qui Fidem, & Opera Legis, in pari dignitate ponunt;

imò, Fidei non tam magnum meritum adscribunt,

quantum Operibus; ut suprâ declaravimus.

ref. Atquæ videmus hîc, ex Apostolo Paulo,

Meritum Operum immutabiliter repugnare,

Fidei, Promissioni, Gratia, Hereditati:

Et vana hæc omnia fieri, posito Merito ullo,

sive Fidei ipsius, sive Operum.

Non enim justificamur Fide,

tanquam Bono opere, neque ex dignitate Fidei;

Sed ut Instrumento, quo accipimus, nobisque applicamus

Unicum meritum Christi, Mediatoris nostri,

Extra quod non datur aliud meritum, Act. 4. 12.

2. Adm. Eapropter nos tantùm confidemus Gratia Dei:

thes. Hoc est, Credemus.

rat. Fides enim illud ipsum est, quod

Respicit Gratiam Dei, Meritum gratuitum Christi:

Rejicitque omnia alia Merita, qualiacunque sint,

sive nostra propria, quæ nulla, aut ludicra;

sive Sanctorum, figmenta Supererogationis.

9) prol.

S)prol. Faciemus quidem Bona Opera:

Sed illis non confidemus, ut Meritis.

Semper enim manemus *Servi inutiles*; &

Quicquid boni facimus, id debemus facere, Luc. 17. 10.

Proinde dicit David, *Pfal. 2. 11. Servite Deo, cum tremore:*

sed addit, *Verf. 12. Beati omnes sperantes in eo.*

1) test. Quapropter, dicamus

Cum Davide, *Pfal. 130. 3. Si peccata observabis Jah, Domine, quis consistet? At apud te est condonatio, ut timearis. Et,*

Pfal. 143. 2. Ne congregiaris iudicio cum servo tuo: nam & c.

Cum Daniele, *Dan. 9. v. 8. 9. Penes nos est pudor vultus: at*

Penes Dominum Deum nostrum, miserationes & condonationes.

Cum Esaia, *Esa. 64. 6. (10.) Sumus, ut immundus, omnes nos;*

& ut pannus contaminatissimus, omnes justitiæ nostræ.

Cum Davide, *Pfal. 25. 7. Peccatorum juventutis meæ, & defe-*

ctionum mearum, ne recorderis: Recordare mei, pro benignitate tua, propter bonitatem tuam, Jehova.

C O N C L U S I O.

R. Itaque audivistis, Auditores,

1. Per Hereditatem mundi intelligi, Hereditatem vitæ æternæ; tum etiam Jus filiorum Dei, in bona hujus mundi.

2. Promissionem hujus hereditatis esse, non ex Lege; sed ex Fide; h. e. ex sola Dei gratia.

C. Mirum est, quia Paulus tam multum differit, de Justificatione fidei,

Audere Papistas contradicere, & Merita operum conjungere;

Imò audere dicere, Dubitandum esse de Salute: Nam ajunt,

Magnam temeritatem esse, dicere; Posse aliquem, per Fidem certum esse de sua salute.

Sed Fidem nostram non debere esse conjecturalem, non dubiam,

sed certam, id Deo volente discemus ex sequenti Concione;

in qua nobis Fides Abrahami describitur, quòd crediderit sub spe, contra omnem spem, ubi nulla apparebat spes.

V. Ah Domine, Deus clementissime & optime, Credimus nos,

Succurre tu incredulitati nostræ, & dubitationi molestanti;

Succurre tu infirmitati fidei nostræ, & eam confirma ac auge.

Tibi soli sit laus, honor, & gloria, in secula, Amen.

Bbb 3

CONCIO XXXV.

C O N C I O X X X V .

De Encomio Abrahami, ejusque Fidei.

T E X T U S , Rom. IV. vers. 16—24.

Abrahami, qui est pater omnium nostrum. (Sicut scriptum est, Patrem multarum gentium constitui te:) Coram eo, cui credidit, Deo videlicet, vivificante mortuos, & vocante quæ non sunt, tanquam sint. Qui (Abrahamus) contra spem sub spe credidit, fore ut ipse fieret Pater multarum gentium, secundum id quod ei dictum fuerat, Ità erit semen tuum. Ac minime infirmus fide, non consideravit suum ipsius corpus jam emortuum, quam centum circiter natus esset annos, nec emortuum uterum Saræ. Ad hanc promissionem autem Dei, non addubitavit incredulitate; sed corroboratus fuit fide, tributâ gloriâ Deo. Ac plenè persuasum habens, eum quod promiserat, posse etiam efficiere. Quapropter etiam hoc imputatum est ei, ad justitiam. Non scriptum est autem propter eum solum, quod hoc imputatum fuerat ei: Sed etiam propter nos.

E X O R D I U M .

Initio hujus Capitis IV. diximus, Tres esse partes hujus Capitis:
*In prima Paulus adducit, Exemplum Abrahami,
 Testimonium Davidis, Alia aliquot Argumenta:
 Quibus porrò probat, quod præcedenti Cap. proposuerat,
 nempe; Hominem justificari coram Deo,
 Non Operibus Legis, sed Fide in Christum.*
In secunda commendat laudatque Abrahamum, ejusque Fidem.
*In tertia applicat nobis Fidem Abrahami, docetque
 Nos eodem modo justificari, quo justificatus fuit Abrahamus.*
 Hactenus immorati sumus explicationi *primæ partis*;
 Tempus est, ut quoque nos ad *secundam partem* accingamus;
 P. In qua Apostolus Paulus multis modis laudat,
 I. *Abrahamum ipsum*;
 II. *Fidem Abrahami.*

Confid-

Consideremus hæc duo: Expressè enim in textu prælecto dicitur,
Scripta esse hæc, non solùm propter ipsum Abrahamum;
Sed etiam propter Nos, omnes videlicet Credentes.

V. Deus benignus, & Cœlestis noster Pater, largiatur nobis Spiritum S.
Ut hoc faciamus cum fructu; Regatque nos per eundem,
Ut insistamus vestigiis Patris nostri cœlestis,
vestigiisque fidei Patris omnium credentium, Abrahami:
Ut etiam cum eodem Abrahamo, Isaac, & Jacobo, tandem
in regno cœlorum discumbamus: Amen.

P A R S I.

Primò, *Encomium Abrahami* ipsius, quod attinet,

Prop. Apostolus Paulus duo, in ejus encomium, præstat:

1. Laudat Abrahamum, quòd sit Pater omnium nostrum;
2. Probat idipsum, & ampliùs Declarat.

Tract. Insistamus ordini Apostoli, istaque duo consideremus.

I. *Laudat Abrahamum, quòd sit*

Text. Pater omnium nostrum.

Exeg. Hoc est, Omnium Credentium.

thes. Ut in præcedentibus versibus docuerat, *vers. 11. 12.*

Ut esset Pater omnium Credentium, ex Præput. ex Circumcis.

Hoc est, Non modò eorum, qui ex ipsius posteris credunt,
Sed etiam eorum, qui ex Gentibus credunt.

prol. Quomodo autem Abrahamus sit Pater omnium Credentium,

Dubitet aliquis: quum dicatur apud Prophetam,

Esa. 63. 16. (vel, 64. 2.) Tu, ô Deus, Pater noster es.

Abraham nescit nos, Israël non agnoscit nos:

Tu Jehova Pater noster es, Vindex noster;

à seculo id nomen tibi.

resp. Abrahamus est Pater omnium credentium,

Non, sicut Deus misericors noster Pater est,

qui semper favore paterno nos prosequitur.

Prout Esaias dicit, *vers. præced. Ubi zelus tuus?*

Frenitus viscerum tuorum, & misericordie tuae, erga

me, an continerent sese? At tu Pater noster es, & c.

Id quod non potest dici de Abrahamo,

quòd scilicet tali modo sit noster Pater.

Neq

a) Nec hoc modo, quasi Abrahamus fidem in nobis generet;
 Vel, omnes posterius ipsius, ex ipso geniti, necessariò fideles sint;
 Prout Pater sibi similes generat filios; de qua similitudine
 intelligendus est locus ille, *Gen. 5. v. 3.*

Sed hoc modo,

1. Quia est typus & exemplar omnium fidelium, credentium,
 Qui enim cupit salvus fieri, ex Judæis, ex Gentibus;
 Hunc oportet se conformare Fidei Abrahami.

2. Quia illi facta est Promissio,
 quæ ad omnes fideles, seu credentes, pertinet.

Prout hæc omnia explicavimus suprâ, *Con. XXXII.*

II. *Probat hoc ipsum Paulus; & Declarat.*

1. *Probat hoc Apostolus Paulus, ex Gen. 17. v. 5.*

verb. Ubi sic dicitur;

Patrem multitudinis gentium constitui te:

Non amplius vocabitur nomen tuum ABRAM;

sed erit nomen tuum ABRAHAM.

decl. ABRAM significat, Patrem excelsum:

compositum, ex Abh, Pater, & Ram excelsum.

ABRAHAM autem insinuat, Patrem multorum:

Infertum enim est He multitudinis, ex voce (uti videtur)

Hamon; quæ significat Multitudinem.

Eadem litera He, ex eadem voce, postea est inserta,
nomini uxoris Saræ; quæ eandem ob causam debebat
dici, Sarah, pro Saraj: Ibid. Gen. 17. v. 15.

2. *Declarat, Coram quo debeat esse Pater credentium:*

text. Coram eo, cui credidit, Deo videlicet, vivificante mortuos,
& vocante quæ non sunt, tanquam sint.

exeg. Quasi dicat: Deus eum constituit Patrem Credentium,

Non humano modo; ut Judæi putabant:

Sed spirituali modo; ita scilicet,

ut illi dicendi sint filij Abrahami,

qui ad Abrahami exemplum credunt.

coll. Alij hæc ita exponunt; Pater eris Credentium,

Καταρτι Οἶς, ut sonat in græco textu,

q. d. ex adverso Dei:

Id est, ad similitudinem & exemplum Dei,

cui credidit Abrahamus.

fund.

1) *fund.* Fundamentum hujus explicationis hoc est:

1. Quemadmodum Deus non est Pater partialis,
hoc est, unius tantum populi, sed omnium hominum;
Ita Abrahamus est Pater omnium credentium,
citra discretionem gentium & populorum.

2. Quemadmodum Deus est Pater hominum, credentium,
non Essentiae commixtione & communicatione;
sed gratuita Adoptione, *Eph. 1. 5.*

Ita Abrahamus est Pater spiritualis, solum Credentium:
Corporalis pater est Judæorum, seu Israëlitarum;
Spiritualis verò pater est, tantummodò fidelium,
tùm Judæorum, tüm Gentilium.

concl. Sed res ferè eòdem recidit, nec est pugna.

2) *Usus.* Hoc ipsum verò si ita descriptum est,

hyp. Non solum propter ipsum Abrahamum, sed etiam propter nos,
ut in fine textus dicitur; Quid igitur inde discemus nos?
Quomodo ad usum nostrum transferemus illud ipsum,
quòd Abrahamus est omnium nostrum Pater?

thes. Sic transferemus illud nos, ad usum nostrum; ut credamus.
Nullus potest salvari, nisi sit filius Abrahami: nam,
illi, ejusque semini, facta est promissio, *Gen. 17. 7.*
Quocirca, si velimus salvari, necesse est,
ut simus filij Abrahami, patris omnium credentium.
Ut autem simus filij Abrahami, necesse est,
ut vestigiis fidei ipsius insistamus & incedamus.

test. Christus Judæis, patre Abrahamo gloriantibus, dicit,
Joh. 8. v. 39. Si filij Abrahami essetis,
Opera Abrahami faceretis.

Ibid. v. 44. Vos ex patre Diabolo estis, &
Cupiditates patris illius vestri vultis exsequi.

appr. Unde videmus, Eos, qui non credunt,
sed in peccatis suis vivunt, esse filios Diaboli:
Qui verò opera Abrahami faciunt, adeoque
credunt ad ipsius exemplum, eos filios esse Abrahami.

concl. Quapropter, si velimus veri filii Abrahami esse,
& jure promissionis, ipsi datæ, frui;
Vestigiis fidei Abrahami debemus incedere.

Qualis verò fuerit Fides Abrahami, dicetur nunc *parte II.*

Ccc

PARS II.

P A R S II.

Secundò, *Fidem Abrahami* quod attinet,

Part. Eam commendat Paulus, & describit *quatuor* modis:

I. *Cui Crediderit? Deo scilicet:*

Text. His verbis; *Coram eo, cui credidit, Deo videlicet,*

Vivificante mortuos, & Vocante quæ non sunt, tanquam sint.

Exeg. Quibus verbis Paulus describit Deum,

gen. A duabus Virtutibus, seu Proprietatibus, & Operationibus, naturæ & arti impossibilibus:

Quæ sunt quædam quasi Fulcra, quibus innixa fuit Fides Abrahami; quæque ipsum sublevârunt, ut non posset dubitare de promissionibus divinis.

Spec. Duæ, inquam, proponuntur Virtutes Dei;

I. *Quòd Vivificet mortuos:*

thes. Est enim hoc solius Dei opus.

test. Unde Hanna, mater Samuelis, 1. Sam. 2. v. 6.

Jehova morte afficit, & in vitam restituit;

Demittit in sepulcrum, & educit.

prol. Quidam Prophetæ, ut Elias & Elisæus, itè Apostoli,

leguntur excitasse etiam mortuos. Exempli gratiâ,

Elias, filium viduæ Sareptanæ, 1. Reg. 17. 22.

Elisæus, filium Sunamitidis mulieris, 2. Reg. 4. 35.

itè, abjectum in sepulcrum Elisæi, 2. Reg. 13. 21.

Petrus, Tabitham Joppensem, Act. 9. 40. 41.

Paulus, Eutychem adolescentem, Act. 20. 9. 10.

Verùm id fecerunt, virtute non propriâ, sed Dei, Christi

Petro teste, Act. 3. 12. *Viri Israelitæ, quid miramini*

de hac re? aut quid intentos oculos in nos habetis

quasi propriâ potestate & pietate effecerimus, ut hi

(claudus ab utero matris,) ambulet?

Quod hîc dicitur de Claudio, idè de mortuis censèdum.

ant. Legimus etiam in scriptis Gentilium, satis mira, &

Æsculapium suis medicamentis quosdâ vitæ restituisse.

Verùm, his mendaciis non est credendum:

Potius credendum est Medicis, quum dicunt,

Contra vim mortis non est medicamen in hortis.

2. Quòd

2) 2. Quòd *Vocet quæ non sunt, tanquam sint:*
decl. Hoc est, quòd ex nihilo possit aliquid producere.

Homo quidem solet vocare, quæ non sunt, votis suis:
 Deus verò simul vocat, quæ non sunt, & producit;
 quia est *Omnipotens* solus, Gen. 17. 1. *El Schaddaj.*
rest. Unde illud Davidis, Psal. 33. 9. *Ipsò dicente, est, quicquid est;*
ipso præcipiente, existit.

Patuit id ex prima *Creatione*, Gen. 1. v. 3.
Et dixit Deus, Esto lux; & Fuit lux.

Id quod de prædicat *Apostolus Paulus*, 2. Cor. 4. v. 6.
Deus, qui dixit, ut ex tenebris Lux splenderet.

3) *Concl.* Credidit igitur *Abrahamus*, huic *Deo Omnipotenti;*
Qui vivificat mortuos, & vocat quæ non sunt, tanquam sint:
 Credidit, inquam, *Deum posse vivificare mortuos;*
Posse etiam vocare quæ non sunt, ut sint & existant.
 Atque hoc erat *Fundamentum Fidei suæ.*

II. Quid crediderit?

Trans. Suprà contra *Papistas* probavimus, *Fidem Abrahamæ* respexisse,
 Non solum *Corporalem* promissionem; illam scilicet,
 quæ erat de *multiplicatione seminis*, & *terra Canaan:*
 Sed etiam *Spiritualem*, & *æternam*; illam scilicet,
 quæ erat de *mittendo Messia*, & *propter illum danda,*
 tum *Remissione peccatorum*, tum *Vita æterna.*

Quando scilicet explicabamus dictum illud *Mosis*, citatum à *Paulo*,
 Gen. 15. 6. *Credidit Abrahamus Deo,*
 & hoc *imputatum est ei ad justitiam.*

Idcirco illa hinc non repetemus fusiùs, ac operosè;
 sed manebimus in *textu præsentis*. Nam,

Text. Utramque promissionem comprehendit hinc *Paulus*, dum ait;
Credidit Abrahamus, fore ut ipse fieret Pater multarum gentium,
secundùm id quod ei dictum fuerat;
Ita erit Semen tuum.

Exeg. Nempe, Gen. 15. v. 5. Item, Gen. 22. v. 17.
 Scilicet, ut *Stella in cælo*; ut *Arena maris.*

Ut *fulgidæ* sunt *Stellæ*; Sic erit *Semen tuum gloriosum*;
 Sic tu eris, per *fidem*, *cœlestis gloriæ particeps.*

Ut *innumerabiles* *Stellæ*, Ut *innumerabilis* *Arena maris*;
 Sic *Semen tuum innumerabile*, *innumerabiles credentes filii.*

- 2) *Concl.* Credidit ergo hoc ipsum Abrahamus,
 1. Saram, uxorem suam, adhuc parituram, & ex hoc partu
 magnam gentem exorituram, heredem terræ Canaan:
 2. Christum ex suo femine nasciturum esse, per quem
 non solum ipse Abrahamus salvaretur; sed etiam,
 omnes posterij eius, imò & Gentes, in Christum credentes.

III. Quomodo crediderit?

Prop. Tres modos Fidei Abrahami pandit Apostolus:

1. *Text.* Credidit, contra Spem, sub Spe.

Exeg. Contra Spem; scilicet Humanam:

quæ naturaliter possibilis tantum sperat.

SubSpe; scilicet Divina, & promissionis Dei: hoc est,

Quamvis humaniter ea videretur impossibilis;

Tamen confusus est Dei verbis, promissioni Dei.

2. *Text.* Ac minime infirmus fide.

Exeg. Quasi dicat;

ant. Causa magna erat, cur esset imbecillâ fide Abrahamus:

Habebat enim corpus emortuum, jam centenarius;

Sara, uxor ejus, uterum emortuum, jam nonagenaria.

thes. Nihilominus, non dubitavit de promissione Dei:

*Non consideravit suum ipsius corpus, jam emortuum,
 quum centum circiter annos esset natus.*

Quod tamen integrâ uxore emendari potuisset;

ut testantur liberi, ex Ketura suscepti postea, Gen. 25. 1. 2.

Verum enimverò, Sterilis erat Sara, & annosa. Tamen,

Non consideravit emortuum uterum Sarae.

Quum post quinquagesimum ætatis annum, naturaliter
 non pariant mulieres; (nisi quandoque rarissimè.)

At Sara jam nonagenaria erat, extra omnem spem;

Quia desiderat ei esse, secundum consuetudinẽ mulierum:

Ut & ipsa Sara ait; *Postquam vetula facta sum, foret mihi voluptas, & maritus meus senex est?* Gen. 18. 11. 12.

Sic quum peperisset, ait, Gen. 21. 6. *Risum fecit mihi Deus, quisquis audiet, ridebit:* unde nomen Isaac, à risu.

concl. Adeoque non dubitavit de promissione Dei Abrahamus:

Etsi enim Sara addubitare videretur, & rideret;

Tamen Abrahamus *ad hanc promissionem Dei non addubitavit incredulitate: Sed & c.* (ut porro dicetur.)

*) 3. *Text.*

7) *Text. Sed corroboratus fuit fide.*

Exeg. Hoc est, Fuit non imbecillâ, sed firmâ & robustâ fide.

Quomodo verò? Audi Apostolum:

1. *Tribuit gloriam Deo. At qualem gloriam?*

Primò, Veritatis; Deum promittentem non fallere.

text. Ad hanc promissionem non addubitavit, incredulitate.

decl. Non disceptavit contra promissionem Dei, infidelitate.

Deinde, Potentiæ; Deum promissa præstare posse.

text. Eum, quod promiserat, posse etiam efficere.

decl. Siquidem non est reſpicienda modò Potentia Dei;

sed & Voluntas ejus; juxta illud, Pſal. 115. 3.

Deus noſter in cælis eſt, quicquid vult facit.

appl. Sic ſemper Fides noſtra niti debet,

tùm Potentiæ, tùm Promiſſioni Dei:

Eum, quod promittit, poſſe præſtare.

trans. Atque hoc non ſimpliciter credebat Abrahamus; ſed

2. *Plene perſuaſum habebat: πλὴν φορῆς Θεῶν.*

Longè aliter, quàm Papiſtæ hodie ſtatuunt;

qui docent, Dubitandum eſſe de promiſſione ſalutis.

Abrahamus autem Plene perſuaſus erat.

IV. *Quid credendo impetrârît?*

Text. Quapropter etiam hoc ei imputatum eſt, ad juſtitiam.

Exeg. Hoc ipſum eſt, quod ſuprà allegavit, ex Gen. 15. v. 6.

Credidit Abrahamus Deo, & hoc imputatum eſt ei ad juſtitiam.

Hoc idem ipſum eſt, quod hîc vult probare Paulus;

Fide hominem juſtificari, absque Operibus Legis.

Doct. Nimirum, Certum nobis debet eſſe, & indubitatum hoc;

thes. Fides ſola eſt, quâ Juſtificamur coram Deo, ex gratia.

test. Sic Paulus expreſſè ſuprà, Rom. 3. 28. *Colligimus igitur,*

Fide juſtificari hominem, absque Operibus Legis.

Quod claris verbis repetit, Gal. 2. v. 16. Scientes,

Non juſtificari hominem ex operibus Legis, niſi per Fidem Jeſu

Chriſti; etiam nos in Chriſtum Jeſum credidimus:

Ut juſtificaremur ex Fide Chriſti, & non ex operibus Legis:

Eò quòd non juſtificabitur, ex operibus Legis, ulla caro.

Sic, Eph. 2. v. 8. 9. Gratis eſtis ſervati, per Fidem;

& hoc non eſt ex vobis, Dei donum eſt: Non ex Operibus;

ut ne quis glorietur. Sic alibi, Rom. 5. 1. &c.

Ccc 3

9) *uſus.*

3) *Ufus.* Videte, Audd. sic laudat Apostolus Fidem Abrahami:

text. Quia verò Paulus sub finem prælecti textûs ait;

*Non scriptum est autem, propter eum (Abrahamum) solum,
quòd hoc imputatum fuerat ei, (Fides sc. ad justitiam);*

Sed etiam propter Nos, Eapropter Nobis

thes. Videndum quoque, Quorsum hæc omnia nobis servire debeant?
nempe, Ut Fidem nostram Fidei Abrahami conformemus.

decl. Itaque, pari ratione Nos quoque,

1. Credemus Deo, vivificanti mortuos, vocanti quæ non sunt, ut sint:
hoc est, Ex toto corde credemus, quòd Deus
Potest vivificare mortuos, nedum vivos conservare, juvare;
Potest vocare ea, quæ non sunt, ut sint, impossibilia visa:
Proinde, posse eum omnia facere, quæ promisit; ut
Carnis resurrectionem, Vitam æternam, &c.

2. Hoc fundamento posito, credemus omnibus Dei promissionib.
Sive sint temporales, & corporales: quales sunt,
de nostræ conservatione, & sustentatione, *Psal. 37. &c.*
de nostræ defensione, contrahostes, & pericula, *Psal. 91. &c.*
Sive sint æternæ, & spirituales: quales sunt,
de Remissione peccatorum, & Vita æterna;
de Gloria cœlesti minimè conferenda cum hujus vitæ
perpessionibus, *Rom. 8. 18. 2. Cor. 4. 17.*

3. Et quidem Spem certam habebimus, divinam Spem,
contra omnem Spem & opinionem humanam: hoc est,
Non dubitabimus, etsi Ratio & Caro repugnent, negent;
etiamsi Mundus, & Satanas, contradicant.
Sed firmi erimus fide, & constantes:
Deo tribuentes gloriam, Veritatis juxtà ac Potentiæ;
Plenè persuasi, Deum ea præstare posse,
quæ sanctè nobis promisit, adeoque vult efficere.

4. Sic & nos tandem finem & mercedem Fidei reportabimus;
Salutem animarum nostrarum, *1. Pet. 1. 9.*
Imputatâ etiam nobis, ut Abrahamo, justitiâ:
ut in seqq. verbis *vers. 24.* Paulus dicit.

concl. In summa, Pulcerrimè hîc nobis, in exemplo Abrahamæ, describitur,
Natura & Efficacia Fidei; ut in seq. concione audiemus.

Nunc enim illa omnia adjicere, temporis brevitâs vetat:

Quamobrem hîc jam finiemus.

CONCL.

C O N C L U S I O.

R. Audivistis nunc, in hac concione, Auditores,

1. Encomium Abrahami, Patris omnium credentium:

2. Descriptionem Fidei Abrahami; Cui crediderit?

Quid crediderit? Quomodo crediderit? Quo fructu crediderit?

C. Ut concludamus: Luc. 17. v. 10. Christus ita ait;

Quum omnia feceritis, quae edicta sunt vobis, dicite,

Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.

Ex his verbis dicat aliquis; Cur tantopere laudatur Abrahamus?

quum nihil fecerit aliud, quam quod debuit facere.

Respondetur: Non solum debuit Abrahamus, quod fecit;

Sed etiam, quod crediderit, id non habuit ex se, sed à Deo:

qui eum retraxit ab idolis; juxta *Jos. 24. v. 2. 3.*

Nihilominus laudatur à Spiritu Sancto: Nam,

Sic solet Deus sua dona, in fidelibus suis, coronare.

Quapropter duci nos patiamur à Spiritu S. ad exemplum Abrahæ:

Retineamus fidem, & bonam conscientiam, *1. Tim. 1. 19.*

Tunc, etsi eam non à nobis habemus, sed à Dei gratia;

etiamsi eam, multis modis, Deo debeamus:

Tamen Christus in fine mundi eam laudabit, coram Deo,

coram Angelis, & coram omnibus Electis; juxta illud,

Matt. 10. 32. Quisquis agnoscit me coram hominibus, agnoscam &

ego eum coram Patre meo caelesti. Contrà,

Marc. 8. 38. Quemcunque puduerit mei, & meorum sermonum, in

gente ista adultera & peccatrice; Filium etiam hominis pudebit ejus,

quando venerit in gloria Patris sui, cum Angelis illis sanctis, scil.

ad Judicium extremum.

Tunc adjudicabit nobis hereditatem caelestem, ut *Matt. 25. 34. & c.*

Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, paratum vobis, ante

jaeta mundi fundamenta. Esurivi enim, & c.

Tunc dicet, ut est in *Matt. 25. 21. Euge serve bone ac fidelis, in exi-*

guo fuisti fidelis, super multa te constituam.

Ingredere in gaudium Domini tui.

V. Ad hoc Gaudium nos tandem aliquando, ex gratia, perducatur,

Deus benignissimus, Pater Filius, & Spiritus Sanctus,

Benedictus in omnia secula, Amen.

CONCIO XXXVI.

C O N C I O X X X V I .

Descriptio Fidei.

T E X T U S , R o m . I V . v e r s . 1 8 — 2 2 .

Qui (Abrahamus) contra spem sub spe credidit, ut ipse fieret Pater multarum gentium; secundum id, quod ei dictum fuerat, Ità erit semen tuum. Ac minimè infirmus fide, non consideravit suum ipsius corpus jam emortuum, quum centum circiter natus esset annos, nec emortuum uterum Saræ. Ad hanc promissionem autem Dei non addubitavit incredulitate; sed corroboratus fuit fide, tributâ gloriâ Deo: Ac plenè persuasum habens, eum quod promiserat, posse etiam efficere. Quapropter etiam hoc imputatum est ei, ad justitiam.

E X O R D I U M .

HActenus demonstratum est abundè, ab Apostolo Paulo; Hominem gratis justificari à Deo, per fidem in Christum. Quia autem parùm prodesset, scire, Hominem justificari Fide, si nesciretur, quid sit Fides, quæque ejus sit conditio; Totam disputationem concludit Paulus, descriptione Fidei, qualis vix alibi in sacris literis occurrit: docetque, quid sit Fides, quæque ejus natura & conditio.

Poterat quidem illam describere,

Ut Catechesis nostra, *quæst.* 21. quòd scilicet Fides sit, Non tantùm certa Notitia, quâ firmiter assentimur Verbo Dei, nobis in sacra Scriptura revelato; Sed etiam cordialis Fiducia, lata in gratiam Dei, quæ nobis contingit in Christo Mediatore.

Vel ut alibi eam describit, in epistola ad *Heb.* 11. 1. quòd sit *ὑπόστασις ἐλπίζομένων*, h. e. quo subsistunt quæ speramus, & *ἔλεγχος ἢ βλεπομένων*, h. e. quæ demonstrat non visa; id est, quæ præterita & futura nobis sistit, tanq. in præsentia.

Sed quia Exemplis optimè docemur & informamur, & paulò ante Abrahami, Patris credentium, fecerat mentionem; in illius exemplo Fidem nobis egregiè describit:

P. Et qui-

P. Et quidem, Fidei

I. *Naturam;*

II. *Efficaciam;*

III. *Fundamentum;*

IV. *Premium.*

Quatuor hæc, hac vice, in timore Domini considerabimus.

V. Deus adsit nobis suâ gratiâ, & Spiritu; &
Siquidem Fides non est omnium, sed est donum Dei,
Fidem veram in cordibus nostris accendat, atque det,
ut non imbecillâ, sed firmâ ac robustâ fide simus,
quoad finem Fidei, vitam æternam, accipiamus: *Amen.*

P A R S I.

Naturam & proprietatem Fidei quod attinet, ea describitur

Text. His verbis; *Credidit, contra spem, sub spe,* Abrahamus scil.

Exeg. Hoc est, ut & præcedenti concione diximus; *Credidit,*

Contra Spem, humanam, omnemque carnis & rationis opinionem;

Sub Spe, divina, Deo ejusque promissioni confidens.

Quasi dicat Apostolus: Etsi humanitus nulla spes apparebat;
nihilominus tamen sperabat in promissione Dei.

Doct. Attendendum hîc discrimen, inter Fidem & Spem.

thes. *Fides* respicit, non solum futura, sed etiam præterita:

Futura; ut, Resurrectionem carnis, Vitam æternam:

Præterita; ut, Christum mortuum esse pro peccatis nostris, &
resurrexisse ad nostri justificationem: *ut vers. ult. hujus cap.*

Spes autem tantum respicit futura; adeoque

Sequitur fidem futurorum, continuo: nam,

Quia credimus Resurrectionem carnis, & Vitam æternam,
Speramus quoque, & desideramus, & expectamus eandem.

test. Unde Paulus dicit, Rom. 8. 24. 25. *Spe servati sumus.*

Spes autem, si cernatur, non est *Spes*: Quod enim quis cernit,
cur speret? Si verò, quod non cernimus, speramus, nempe
per tolerantiam expectamus.

Hinc Fidem à Spe describit Apostolus, Heb. 11. v. 1.

Fides est, subsistentia speratorum, (h. e. facit subsistere futura, ea
sistens tanquam in præsentia;) & *demonstratio earum rerum, quæ
non cernuntur,* (sive sint præteritæ, sive futuræ.)

D d d

*) dect.

a) decl. Hæc ergo est Natura & proprietas Fidei,

1. Quòd credit præterita, quamvis non videamus ea.

Unde Petrus Apostolus laudat fideles, 1. Pet. 1. 8. 9.

Quòd Jesum Christum, quem non viderint, diligant;
in quem, nunc eum non videntes, tamen credentes,
exsultent gaudio ineffabili & glorioso.

2. Quòd credit futura, quamvis ea nondum sint.

Ut Johannes Apostolus ait, 1. Joh. 3. 2. *Nunc filij Dei sumus;*
Sed nondum manifestum factum est, quod erimus: & c.

3. Adeoque, non solùm credit futura, sed eadem etiã

Sperat: prout dicit Apostolus, in loco antea citato,
Rom. 8. 24. *Spe jam nos esse servatos.*

Et quidem, non modò ubi est spes aliqua, sed etiam ubi
spes nulla comparet; ut de Abrahamo dicitur.

a) Usus. Mementote hujus, quotquot fideles videri cupitis,

spec. Si dicat Ratio humana, Omnis spes decolavit, periit:

Tu dic, Integra adhuc spes est, Deus etiamnum vivit.

Si dicat Conscientia tua, ut Caino, Gen. 4. 13. *Peccata mea ma-*
jora sunt, quam ut mihi possint remitti:

Tu dic, Gratia Dei major & amplior est, ex Rom. 5. 20.

Ubi amplificatum est peccatum, magnumque apparet;
Ibi superabundavit gratia, majorque est peccatis nostris.

Si hora mortis immineat, & Mundus dicat,

Jam actum est de ipso, ecce, descendet jam in sepulcrum,
ibique delitescet, & computrescet:

Tu dic, ex Joh. 5. 24. *Qui credit in Christum, in Deum, per-*
transivit à morte in vitam. Joh. 11. 25. *Etiam si mortuus fuerit,*
tamen vivet; resurrecturus per Christum.

Si Diabolus urgeat condemnationem, & mortem æternam:

Tu dic, ex Heb. 2. 14. 15. *Christus per mortem abolevit eum,*
penes quem est Mortis potestas, hoc est, Diabolum;

Ut liberos redderet, quotquot metu Mortis, per omnem vitam
damnates erant servitutis maledictæ.

gen. In summa; Ubi nulla Spes humanitus comparet, ibi tu nihilominus

Spem firma in Deo, ejusque salutari Verbo ac promissione:

test. Et arma te verã ac salutari Fide; juxta illud Pauli, Eph. 6. 16.

Supra omnia assumite scutum Fidei, quo possitis omnia jacula
Maligni illius, ignita extinguere.

P A R S II.

Efficaciam & virtutem Fidei quod attinet, consistit ea in duobus:

I. Quod Luctatur cum dubitatione varia.

Text. Id quod indè patet, quia Paulus dicit; Abrahamum,
Non fuisse infirmum fide, non debilitatum in fide;
Sed fuisse robustum fide, & corroboratum eà.

Exeg. Ex quibus verbis patet; Fidem Abrahami, firmam quidem, non
tamen fuisse sine Lucta.

Appl. (in Doct. duplici, cum Usu.)

1. Doct. Discimus hinc,

thes. Etiam Sanctissimis luctandum esse, luctâ spirituali.

text. Expertus id est Abrahamus, ut patet ex textu: nam,
Quamvis esset Pater omnium credentium, tantâque fide;
Tamen Luctandum ei fuit, cum Dubitatione.

exep. Experti id sunt omnes filii Abrahamæ, omnes Credentes.

Annon Jacobo luctandum fuit, cum ipso Deo? *Gen. 32.24.*

Quantopere se opponebat Christus!

Regio, *Joh. 4.48.* Cananæ mulieri, *Matt. 15.22. & c.*

Bone Deus, quantum certamen subière hi duo!

quantas tentationes sustinent! quantas exprobrationes!

test. Non frustra ad hanc Luctam Paulus animat,

Discipulum suum, *2. Tim. 2.3.* Tu igitur tolerans esto afflictio-
num; ut bonus Miles Jesu Christi.

Omnes fideles, *Eph. 6.11.12.* Induite universam armaturam
Dei, ut possitis stare adversus artes Diaboli. Quoniam non
est nobis lucta, adversus sanguinem & carnem; sed adver-
sus imperia, adversus potestates, adversus mundi princi-
pes, id est tenebrarum hujus seculi, adversus spirituales im-
probitates, quæ sunt in sublimi: (conf. cap. 2.2.)

Non frustra Petrus Apostolus ait, *1. Pet. 5.7.8.9.*

Sobrii estote, & vigilate; nam adversarius ille vester, Dia-
bolus, ut Leo rugiens, obambulat, querens quem absorbeat:
Cui resistite firmi, per fidem.

Non frustra Christus dicit, *Luc. 22.36.* Qui nihil habet, ven-
dat pallium suum, & emat Gladium, spiritualem scil.

Matt. 26.41. Vigilate, & orate, ne introëatis in tentatione, & c.

Ddd 2

v) Usus

2) *Ufus.* Quapropter, ô pie, qui sentis talem Luctam,
thes. Ne timeto, neque frangitor animo. Etenim,
hyp. Sanctissimis quibuscunque ita accidit: Imò,
 Abraham, pater credentiũ, non fuit immunis, ab hac lucta.
rat. Quinimò, tali medio Deus tuam fidem vult roborare. Nam,

3) 2. *Doct.* Id quoque hinc discimus;

thes. Quum Fides luctatur, eò magis roboratur.

comp. Reliqui Luctatores, quò diutiùs luctantur, & pugnant;
 eò magis infirmantur, tandemque deficiunt.

Fidei verò alia est ratio: Quò diutius illa luctatur,
 eò magis roboratur & confirmatur.

text. Ut hìc dicitur de Abrahamo, quòd non sit factus *infirmus*,
 sed *roboratus fide*, ac in ea confirmatus & stabilitus.

exēp. Ità, quò diutius Christus obluetabatur, cum Regio illo;
 cum muliere Cananæ; eò magis accrescebat eis fides.

Insigne exemplum Christiani luctatoris habemus, in Petro,
 in ambulante super mare, *Matt. 14. v. 29. & c.*

Credebat, quia Christus ipsum ad se vocabat:

Sed videns ventum validum, metuit, cœpitque mergi:

Christus verò, apprehenso eo, servavit eum.

Ità & nos credimus, quamdiu non urget tribulatio:

Hac verò adventante, incipimus vacillare:

Christus autem nos apprehendit, & sustentat;

ut magis magisque roboremur, tandemque vincamus.

test. Audi ipsum Christum, Petrum sic alloquentem, *Luc. 22. 31. 32.*

*Simon, Simon, ecce, Satanæ appetiit vos, quos ventilaret
 sicut triticum: Sed ego deprecatus sum pro te, ne deficiat
 fides tua.*

Pari modo etiam nos Christus alloquitur; O Christiani,

Satanæ appetit vos, quos ventilet sicut triticum:

Sed ego deprecor pro vobis, ne deficiat fides vestra.

Ufus. Cur ergo tristaremur, & timeremus, quum tentamur?

*Jac. 1. v. 2. 3. 4. Summo gaudio ducite, quoties in tentationes
 varias inciditis: Scientes, explorationem fidei vestra effice-
 re tolerantiam: Ceterum, tolerantia, & c. Sic, vers. 12.*

Beatus vir, qui sustinet tentationem, & c. Conf. Rom. 5. 3. 4. 5.

Rom. 8. 28. Omnia nobis cooperantur, (Dei gratiâ,) ad bonum:

Ergo & Lucta hæc spiritualis bono nostro cedit.

II. *Quòd*

II. *Quod Luctationes omnes vincit tandem.*

thes. Fides enim est Victoria nostra, qua vincit Mundum:

ut ait Apostolus Johannes, 1. Joh. 5. v. 4.

mod. Quomodo autem vincit Fides?

Id discimus in exemplo Abrahami. Attende ad hæc quatuor:

1. *Text.* Non consideravit suum ipsius corpus, jam emortuum;
quum centum circiter natus esset annos:

Nec emortuum uterum Saræ; ut quæ nonagenaria erat,
nec amplius ei esset ex consuetudine mulierum, Gen. 18. 11.

2. *Cont.* Secus Israëlitæ, in deserto, Num. 13. 31. & c.

Considerabant illi vires & potentiam gentis Cananæ;
Idcirco non credebant, se illam debellare posse.

3. *Cont.* Secus Philippus & Andreas, Joh. 6. v. 7. 8. 9.

Considerabant illi magnam turbam, in deserto,
paucosque panes, quos habebant:

Idcirco non poterant credere, posse satiari tantam turbam, &
quidem in deserto, paucis panibus.

4. *Cont.* Secus Tribunus ille Regis, 2. Reg. 7. 2. Si faceret Jehova cata-
ractas in cælo, an posset esse res ista? (cap. 7. v. penult.)

Doct. Sed Fides, è contrario,

thes. Omnes alias cogitationes, & considerationes, missas facit,
Et solam Omnipotentiam Dei respicit, ac Promissionem;
Atque sic Omnia obstacula perrumpit.

text. Ut hinc Abrahamus non absterretur impossibilitate,
quam persuadere conabatur suum & Saræ corpus.

Usus. Sic & tu, ô pie ac fidelis,

Promittente Deo vitam æternam,
ne considera mortalitatem tuam, teque moriturum;
sed respice & crede promissionem Dei omnipotentis.

Promittente Deo Remissionem peccatorum,
ne considera peccati in te reliquias;
sed illam promissionem benignissimi Dei, Esa. 1. 18.

Si fuerint peccata vestra, velut dibapha, tanquam nix ex-
albescent; si rubra, ut coccineum, & c.

Promittente Deo tuæ sustentationem, conservationem,
ne considera paupertatem tuam, pericula, hostes;
sed respice manum Dei, quæ non est abbreviata,
ut promittit per Prophetam, Esa. 59. v. 1.

Ddd 3.

2. Text.

2) 2. Text. *Ad promissionem Dei non addubitavit,*
 | (non disceptavit,) *Incredulitate.*

Exeg. Atqui dicitur, Gen. 17. v. 17. *Abrahamum procidisse super faciem suam, ac risisse: & dixisse, in animo suo; An nato centum annos nascetur proles? An etiam Saræ? an nata nonaginta annos pariet? Videtur ergo dubitasse.*

Responderi potest; Fuisse hunc risum, & sermonem, Abrahami, Non dubitantis, sed lætantis, & admirantis: quasi dixisset, Hoc lætor, hoc miror, me centenarium futurum patrem; Saram nonagenariam, & hæcenus sterilem, parituram.

Si autem dubitavit, vicit tamen omnem dubitationem fide.

Usus. Sic etiam tu, ô pie, vincens & superans omnia dubia, fide, *thes.* Lætare, & admirare Dei potentiam & bonitatem: nempe,

decl. Quòd tibi proprium Filium suum dedit, Propitiatorem;

quòd te mortuum resuscitaturus est;

quòd te loturus est ab omnibus peccatis tuis;

quòd tibi dabit vitam & gloriam æternam;

quòd te sustentabit, ab omnibus periculis conservabit.

Et dic in corde tuo; An Deus hæc faceret? tanta bona?

Imò faciet, quia promisit; & hoc ipso lætor, & miror.

epith. Cave autem, ne Disceptes: nam,

Disceptatio, & Curiosa inquisitio, qualiscunque, fructus est *Incredulitatis.*

Quod insinuat Paulus illis verbis, *εἰ δὲ ἀπεπίσταντες,*

Non disceptavit Incredulitate.

3) 3. Text. *Tribuit gloriam Deo.*

Exeg. Ratio dicebat, Impossibile est:

Incredulitas dicebat, Non credo: Sara verò, ridebat.

Deus autem dicebat, *Fore ut fieret pater multarum gentium;*

Fore, ut in semine suo benedicenda essent omnes gentes: ut sup.

Quid faceret Abrahamus?

Non se convertebat, ad dictamen Rationis; risum Saræ:

Sed *tribuebat gloriam Deo;* illi insolidum credebat.

Usus. Ità etiam tu, ô pie,

Si Caro, si Diabolus, si Mundus, si Ratio humana urgeat, atque impossibilitatem persuadere conetur:

Tu *Deo tribue gloriam;* & quidem gloriam,

tùm Veritatis, tùm Potentiæ: (*ut in conc. preced.*)

4) 4. Text.

4. *Text.* Plenè persuasum habens, (*πληροφρονῆσαι,*) Deum, quod promiserat, posse etiam præstare.

Exeg. Igitur, non simpliciter ac nudè credebat Promissioni Dei; sed etiam plenè persuasus, ac certus erat, de illa.

Ufus. (*refut.*) Quid ad hæc dicent Pontificij?

err. Qui docent; Dubitandum esse de Salute: dicentes, Levitatis esse, dicere, Se certum esse de Salute sua.

ref. Obsecro vos, Perpendite fidem Abrahami:

An ulla in ea inveniatur Dubitatio?

Paulus dicit; Credidisse eum, contra Spem, sub Spe:

Non fuisse eum fide infirmum, sed robustum fide:

Non considerasse eum, corpus emortuum suum, & Saræ:

Non disceptasse eum, incredulitate:

Tribuisse eum gloriam Deo, in recipienda promissione:

Plenè persuasum & certum eum fuisse, de illa.

An Pontificij Abrahamum temeritatis accusarent?

an propterea reprehenderent, & arguerent levitatis?

test. An levitatis nos damnaent? si dicamus cum Paulo,

2. Tim. 1. 12. *Novi, cui crediderim, & mihi persuasum est, eum posse depositum meum custodire, in illum. diem*

Rom. 8. 38. 39. *Persuasum mihi est, neque mortem, neque vitam; neque Angelos, principatus, potestates; neque presentia, neque futura; neque sublimitatem, neque profunditatem; neque ullam aliam rem creatam, posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu, Domino nostro.*

par. An id est Credere, Remissionem peccatorum, & Vitam æternam, si adhuc dubitandum sit de illa? Etenim,

Quàm non est dubitandum, Christum venisse in mundum, crucifixum, mortuum, sepultum esse, & resurrexisse, ascendisse in cælum, sedere ad dextram Dei, &c.

Tàm non est dubitandum, habere nos in eo, & propter eum, Remissionem peccatorum, & Vitam æternam.

Pari enim fide, quâ credimus, Christum esse natum è virgine, passum, crucifixum, mortuum, sepultum, resurrexisse, &c.

Credimus etiam, eadem scilicet & pari fide, reliqua,

Remissionem itè peccatorum, & Vitam æternam.

concl. Sed misos faciamus Papistas, cum sua Dubitatione:

Nos memores simus illius dicti Apostoli, *Jac. 1. v. 6. 7. 8.*

P A R S III.

P A R S III.

- Fundamentum Fidei*, quo ea niti debet, quod attinet,
Text. Id describit Paulus his verbis, ubi dicit; Abrahamum plenè persuasum
 ac certum fuisse, *quod promisit Deus, hoc eum etiam posse efficere.*
Exeg. Habebat Promissionem Dei; certus ergo erat de *Voluntate Dei.*
 Accedebat fides *Omnipotentia Dei*: quia sic se ei patefecerat,
 Se esse *Deum Omnipotentem*, Gen. 17. v. 1. (*El Schaddaj.*)
 Prout & Mosi dicit Deus, Exod. 6. 2. *Ego sum Jehova: Apparui*
Abrahamo, Isaac, & Jacobo, nomine Dei OMNIPOTENTIS; &c.
Doct. Hinc igitur videmus; Fidem nostram debere esse fundatam,
thes. Primo, in Promissione Dei, *deinde*, in Potentia Dei.
test. Utrumque fundamentum comprehenditur in illo dicto,
 Psal. 115. 3. *Deus noster in cælis est, quicquid vult facit.*
ant. Multi dicunt; Deus est Omnipotens, *Potest illud facere:*
 Sed non respiciunt, an *Velit* id facere Deus.
 Nos verò respiciemus, & *Omnipotentiam Dei*,
 & ejusdem *Voluntatem*, quæ lucet in promissione ejus.
Usus. Quapropter, ô fidelis ac pie,
thes. Quum scias, quid tibi Deus in suo Verbo promiserit,
 adeoque, quænam sit *Voluntas Dei*:
 Agè, confugito porrò ad ejus *Omnipotentiam*;
 quòd possit efficere, quæ promisit.
spec. Scis, inquam, *Quid tibi Deus promiserit in Verbo suo*:
 Juvabit te, quum es in angustia, in periculis;
 Consolabitur te, quum tristis es; Sanabit, si æger es;
 Sustentabit te, si pauper es; &c.
 Habes ea de re certam promissionem, *Psal. 91. &c.*
 Dummodò cum invocas, honores, *ibid. & Psal. 50. 15.*
 Porrò, Remittet tibi omnia peccata tua, *Psal. 103. &c.*
 Dabitque tibi vitam æternam, propter Christum;
 Dummodò credas, *Joh. 3. 16. cap. 5. 24. Marc. 16. 16. &c.*
 Scis etiam, *Posse cum hæc omnia præstare, & efficere: Imò,*
 Sapius expertus es potentissimam Dei manum & opem.
concl. Agedum, firmâ fide huic Promissioni & Potentiæ Dei innitere:
 Sic etiam tandem consequeris Præmium fidei; de quo seq.

P A R S IV.

P A R S IV.

Premium & finem Fidei quod attinet, de eo dicit Paulus;

Text. Quapropter etiam hoc imputatum est ei, ad justitiam.

Exeg. Quali dicat; Verâ fide hoc adeptus est à Deo Abrahamus,
ut Justus ac heres vitæ æternæ censeretur.

Doct. Atque hoc ipsum est, quod hætenus multis probavit Paulus;

thes. Hominem justificari à Deo, Fide in Christum,

Gratis scilicet, absque Operibus Legis.

test. Hoc esse Fidei præmium, passim testatur S. Scriptura:

Joh. 3. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum, illum uni-
genitum, dederit: ut omnis qui Credit in eum, non pereat, sed
habeat vitam æternam.

1. Pet. 1. 8. 9. Christum quum non videritis, diligitis, & in eum
creditiss, exsultantes gaudio ineffabili & glorioso: Reportantes
mercedem fidei vestra, Salutem animarum.

prol. Est quidem Donum Dei, Vita æterna, Rom. 6. v. 23. idque,
In Christo Jesu, Domino nostro, ut Ibidem additur:

Cujus merito pretiosissimo eadem nobis est parta, 1. Pet. 1. 19.

Sed non datur illud Donum, nisi Credentibus: Eph. 2. 8.

Gratiâ estis salvati, per Fidem; & hoc non ex vobis,

Dei donum est. Donum Dei, & Fides, & Fidei præmium.

concl. Non opus est pluribus probare: Tota Scriptura nil aliud agit,
quàm ut nobis hoc Fidei Præmium commendet.

Usus. Quapropter, si velimus à Deo justificari, & heredes vitæ æternæ esse,

thes. Credamus: & quidem, ad exemplum Abrahami,

Nihil addubitantes, non fluctuantes;

Sed tribuentes Deo gloriam, ac certò confidentes,

eum, quod promisit, posse etiam præstare, imò & velle;

Luctantes contra omnes tentationes.

test. Sic etiam tandem dicere poterimus, cum Apostolo Paulo,

2. Tim. 4. v. 7. 8. Certamen illud præclarum decertavi, cursum
peregi, fidem servavi. Quod reliquum est; Reposita est mihi
Justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus, in illo die, justus
ille Judex: Non solum autem mihi, sed & omnibus, qui ex-
petiverint illustrem illum ipsius adventum.

Dicamus ad hæc, ex Apoc. 22. 20. Veni igitur, Domine Jesu.

E e e

CONCL-

CONCLUSIO.

R. Haecenus descripta fuit Fides, in exemplo Abrahami: sed,
 Quia in sequentibus verbis dicitur, *Scriptum hoc esse,*
Non solum propter ipsum Abrahamum, quod hoc imputatum sit ei;
Sed etiam propter nos: quibus etiam imputabitur ad iustitiam,
Si credamus in eum, qui suscitavit Jesum, D. N. a mortuis,
Traditum propter peccata nostra, suscitatum ad nostri justificationem.
 Separatim ista considerabimus, in seq. conc.

Audivistis nunc, Fidei Justificantis,

1. *Naturam* & proprietatem; 2. *Efficaciam* & virtutem;
3. *Fundamentum*, quo ea niti debet; 4. *Proœmium* & finem.

Idque ex exemplo Patris omnium Credentium, Abrahami.

C. Proborum liberorum est, Virtutes parentum manifestare, celebrare;
 & exempla eorum præclara imitari.

Virtutes & Fidem Abrahamæ hæcenus ex Paulo descripsimus:

Imitemur etiam illas, & vestigiis ipsius incedamus, atque

1. Credamus quoque, contra Spem, sub Spe.
2. Luctemur quoque cum infirmitatibus nostris;
 easque per Fidem veram subigamus & vincamus. Ità, ut
 Non consideremus nostram impotentiam, sed Dei potentiam;
 Non addubitemus, ad promissionem Dei;
 neque disceptemus, Incredulitate;
 Negligamus, quicquid objiciat Caro & Ratio humana;
 Deo autem soli tribuamus gloriam, Veritatis, Potentia:
 Plenè persuasum habeamus id ipsum, quod credimus;
 nec fluctuemus, aut dubitemus.

3. Fundemus fidem nostram, in Promissione, & Potentia Dei;
 Eum, quod promisit, posse etià efficere, ac velle præstare.

Sic pugnando & luctando reddemur robustiores, & certiores:

4. Tandemque Præmium & finem fidei nostræ impetrabimus;
 nempe, Salutem animarum nostrarum, & Vitam æternam.

V. Ad quam nos promoveat, & adducat, Dux & Consummator fidei nostræ,
 Jesus Christus, Dominus ac Salvator noster fidelissimus:

Cui cum Patre, & Spiritu Sancto, ut uni ac vero Deo,
 sit laus, honor, & gloria, & benedictio,
 in secula seculorum, Amen.

CONCIO XXXVII.

CONCIO XXXVII.

De Usu Sacrae Scripturae, &
De Objecto Fidei.

TEXTUS, Rom. IV. vers. 23. 24. 25.

Non scriptum est autem, propter eum (Abrahamum) solum, quod hoc imputatum fuerat ei: Sed etiam propter Nos, quibus futurum est ut imputetur; iis nimirum, qui credunt in eum, qui suscitavit Jesum, Dominum nostrum, à mortuis: Traditum propter offensas nostras, & Suscitatum ad nostri justificationem.

E X O R D I U M,

Dicitur vulgò, Concludendo probatur bonus Concionator:

(germ. *Am schliessen kennet man cinem Prediger.*)

Paulus quoque, postquam in hoc Cap. IV. ad Rom. adduxisset, Exemplum Abrahæ, Testimonium Davidis, aliasque Rationes, Quibus probat Justificationem, ex Fide, sine Operibus;

Tandem, verbis prælectis textûs, concludit totam disputationem:

(quæ est Tertia pars hujus Capitis IV.) Nimirum,

Ne quis posset dicere, Quid ad me Fides Abrahami?

Quid mihi prodest, si ipse Fide sit justificatus?

Officium facit boni Concionatoris, ritèque concludentis;

Atque nobis Fidem illam Abrahami applicat,

Illamque ad usum nostrum transfert:

Dicitque, hoc ipsum scriptum esse, non propter Abraham solum,

Sed etiam propter Nos. Nam & nobis similiter hoc esse

Imputandum ad justitiam, si similiter credamus.

Ne autem quis erraret, falsòque sibi persuaderet,

habere se Fidem justificantem & salvificam; docet,

Qua in re fundare se debeat Fides nostra? nempe,

In Deo, qui excitavit Dominum Jesum à mortuis; &

In Christo Jesu, qui traditus sit propter peccata nostra,

& suscitatus ad nostri justificationem.

E e e 2

Ità ut

Ita ut duae sint particulae, in hac postrema parte hujus Cap. IV.

In prima docet, Exemplum Abrahamae propter nos esse consignatum:
Proinde omnia, quae in Scripturis consignata sunt,
Ea propter nos esse consignata & scripta.

In secunda docet, Qua in re se Fides nostra fundare debeat;
Scilicet, in solo vero Deo, & quem misit Jesu Christo.

P. Has duas particulas hac vice considerabimus, acturi,

I. *De Usu Sacrae Scripturae:*

II. *De Objecto fundamentalis Fidei nostrae.*

V. Deus largiatur nobis suam gratiam, ut id fiat,

Ad suam gloriam, nostrique aedificationem;

Néve aliud Fundamentum ponamus, praeter id,

quod positum est, nempe Jesum Christum: Amen.

M U P I A R S I.

Primum quod attinet, *Usus S. Scripturae* videlicet,

Text. De eo sic Paulus ait; *Non scriptum est autem, propter eum solum,*
quod hoc imputatum fuerat ei: Sed etiam, propter Nos.

Exeg. Quibus verbis docet, Fidem Abrahami annotatam esse,

I. Propter ipsum Abrahamum. Etenim,

test. Psal. 112. 6. dicitur; *In memoria perpetua est justus.*

Idcirco annotatum hoc est, (vult dicere Paulus,)

In Laudem Abrahami, Patriarchae sanctissimi.

exep. Prout & Christus dicit, de Muliere ungente ipsum,

Matt. 26. 13. *Amen dico vobis; ubicunque predicabitur*
hoc Euangelium, in toto mundo, etiam quod haec fecit di-
cetur, ad memoriam ipsius.

2. Propter Nos, & quidem principaliter:

fin. Ut sciremus, Nullum esse medium aliud, perveniendi ad
Salutem, quam per Fidem.

decl. Adeoque, ut sic concluderemus:

Abrahamus justificatus est Fide; ergo & Ego sic justificor:

Quia propter Me scriptum est hoc etiam.

Hac Consequentia valet: Nam,

I. Unica tantum est salutis Via; juxta

Act. 15. 11. *Credimus nos salvatum iri, sicut & illi.*

Heb. 13. 8. *Christus est idem, heri, hodie, & in secula.*

2. Deus

2. Deus non est acceptor personarum; juxta illud
 Pauli, Rom. 2. 11. *Non est personarum acceptio apud Deum.*
 Petri, Act. 10. 34. 35. *Verè deprehendo, Deum non respicere
 ad personam: sed, in quavis gente, acceptum ei esse quem-
 vis, qui eum timeat, & operam det justitiæ.*
 Adeoque incredibile est, Deum velle justificare hominem,
 hunc hoc modo, alium verò alio modo.
3. Sicuti privilegia quædam dantur singularibus personis,
 non etiam eorum liberis & posteris:
 Alia verò privilegia sic conceduntur, veluti Vasallis,
 ut etiam in omnes eorum posteros extendantur.
 Tale est hoc privilegium, Abrahamo datum;
 utpote futuro Patri omnium Credentium. Quapropter,
 Sicuti Abrahamo fuit imputata Fides, ad justitiam;
 ita & omnibus Credentibus eadem imputabitur.

β) Appl. (in Doct. & Usu.)

Doct. Discimus hinc,

thes. Omne id, quod consignatum est in sacris literis,
 Propter nos consignatum esse.

text. Si enim hoc exemplum Fidei Abrabæ propter nos scriptum est,
 necessariò sequitur, & reliqua omnia in S. Scriptura scripta,
 Scripta esse propter Nos: nempe, ad nostri Doctrinam,
 Admonitionem, Consolationem, & Correctionem.

test. Ut expressè & disertis verbis Apostolus Paulus docet,
 Rom. 15. 4. *Quæ antè scripta sunt, ad nostram Doctrinam antè
 scripta sunt: ut per tolerantiam & Consolationem Scriptu-
 rarum spem habeamus.* Itè,

2. Tim. 3. 16. 17. *Tota Scriptura divinitus est inspirata; & Uti-
 lis, ad Doctrinam, ad Redargutionem, ad Correctionem,
 ad Disciplinam in justitia: Ut perfectus sit homo Dei, ad
 omne opus bonum perfectè instructus.*

exèp. Idcirco & Christus Judæos ad Scripturam ablegabat, dicens,
 Joh. 5. 39. *Scrutamini Scripturas: nam illæ sunt, quæ testantur
 de me.* Confer exemplum Christi, Luc. 24. v. 27.

Exemplum hujus studii, in evolvenda Scriptura, habemus in
 Bereensibus, Act. 17. 11. *Qui quotidie examinabant Scriptu-
 ras, an hæc ita se haberent; Quæ scilicet Paulus & Silas dice-
 bant, de Christo, ejusque redemptione.*

Ecc 3.

γ) Usus.

2) Usus. (duplex, 1. Refutationis, 2. Admonitionis.)

I. Ref. Ex his, jam dictis, perspicere licet,

1. Errare illos, qui dicunt,

err. Hæc & alia exempla annotata esse, ob tempora illa priora,
propter homines illos, qui tunc temporis vixerunt:
Proinde, ad nos non attinere.

ref. An non ad nos attinerent ista? Atqui scripta sunt,
Non tantum propter illos, ut ait Apostolus *in textu*;
Sed etiam propter Nos, in N. T. fideles omnes.

2. Quantum Theaurum Papistæ suis Laicis, ut vocant, eripiant;

err. Dum illis interdicitur legere Sacram Scripturam.

Prætexunt quidem periculum hæreseos;

Nec non exempla lapsuum, in sanctis etiam.

ref. Sed abusus Scripturæ, non tollit ejus usum.

Prætexunt quidem suæ causæ, speciem prudentiæ;

Sed nullo veritatis fundamento. Nam,

Quasi verò hæses ex S. Scriptura discantur,

ac non potiùs ex ignoratione, & non lectione Scripturæ?

test. Contrarium de Scriptura verum est, teste Davide,

Psal. 119. v. 105. *Lucerna pedi meo Verbum tuum est, &*

Lux itineri meo. Cum quo convenit illud Salomonis,

Prov. 6. 23. *Lucerna est præceptum, & Lex Lux est.* Sic,

2. Pet. 1. 19. *Lucerna, splendens in obscuro loco.*

Si Scriptura esset officina hæresium, cur Christus Judæis di-

ceret, *Joh.* 5. 39. *Scrutamini Scripturam?*

Cur Berceenses laudarentur à generositate, præ aliis,

quòd *quotidie examinabant Scripturas?* *Act.* 17. 11.

concl. Verior causa hujus prohibitionis Pontificiæ est, quia

Commentis, & imposturis suis, malè metunt;

Ne scilicet lectione & scrutatione Scripturæ detegantur.

II. *Adm.* Ne nos simus adeò stulti, ut nos patiamur sic circumveniri:

Thef. Ne nobis Biblia sacra è manibus excuti inamus;

Sed diligenter illa volvamus ac revolvamus,

Cogitantes, quicquid in illis scriptum est, id scriptum esse,

Propter nos: cum primis præclara illa, & dilucida Exempla.

Spec. Si peccas, ac legis, ut alii ob peccata sint puniti, castigati:

Cogita, propter te hoc scriptum esse;

Te similiter puniendum, aut castigandum esse,

nisi in tempore, & feriò resipiscas.

δ) Si pecc-

2) Si peccatis tuis tibi iram Dei conciliaſti, & pœnam;
& legis, ut Deus gratiam fecerit reſiſcentibus;

Cogita, propter te hoc ſcriptum eſſe;

Tibi etiam gratiam eventuram, ſi reſiſceas.

Si ſis ſub cruce, viſitatus afflictionibus variis;

& legis, ut alij liberati ſint, ex periculis & malis, ab hoſtibus,
à morbis, poſtquàm Dei opem implorârunt:

Cogita, propter te hoc ſcriptum eſſe;

Te quoque ſimiliter liberandum eſſe,

Si ſcilicet Deum in anguſtia tua invocaveris.

Si te Conſcientia tua arguat peccati, timeasque damnationem;

& legis, Abrahamum juſtificatum eſſe Fide:

Cogita, propter te hoc ſcriptum eſſe etiam, (ut eſt in textu);

Tibi quoque remiſſum iri omnia peccata tua,
imputandamque à Deo ex gratia juſtitiam,

Dummodò & tu credas, ſicuti Abrahamus.

Obj. At objiciat aliquis;

Fides mea infirma eſt, Fidei Abrahami minimè comparanda.

Reſp. Non dicit Paulus, *Sitam firmiter credamus*, ut Abrahamus;

theſ. Sed hoc ſolummodò inſinuat, *Si credamus*. Quasi dicat,

decl. Dummodò Fides noſtra non ſit fucata,

non obelt, etiamſi ea ſit infirma. Nam,

teſt. *Arundinem quaſſatam Chriſtus non confringet,*

Ellychnium fumigans non exſtinguet: Matt. 12. 20. ex *Eſa. 42.*

Venientem ad ſe nequaquam ejiciet foràs, Joh. 6. 37.

Imò, vocat ad ſe omnes laſſatos & fatigatos, Matt. 11. 28.

Si habeatis fidem, quantulum eſt granum Sinapis, dicetis Monti,

Transgreditor hinc illuc; & transgredietur: & nihil impoſſibile

vobis erit. Sic, Luc. 17. 20. (de eradicatione Arboris.) Nota,

Non dicit hîc, Si habeatis fidem, ut Montem, ut Lapidem molarem,

ſed ſicut *granum Sinapis*, cujus ſemen eſt ex minutiffimis; ut

dicitur etiam, *Matt 13. 32.* Sic Fides infirma, eſt etiam fides.

caut. Cavendum tamen, ne in infirmitate illa Fidei maneamus;

ſed ut cum illa luçtemur, quemadmodum Abrahamus:

quò tandem eam expugnemus, & vincamus.

Oremus autem, cum infirmo illo & miſero viro, Marc. 9. 24.

Credo, Domine, ſuccurre tu incredulitati meæ: & cū Diſcipulis,

Luc. 17. 5. Domine, Adde & adauge nobis fidem.

PARS II.

P A R S II.

Secundum quod attinet, *Objectum fundamentale Fidei*,

Prep. Fides qua in re fundetur, potuisset monstrari exemplo Abrahamæ, qui eam fundabat, in Promissione & Potentia Dei: *ut sup.*

Verùm, ne quis diu detineretur inquisitione illius rei, dicit breviter & succinctè Apostolus Paulus;

Text. Fidem nostram debere esse fundatam,

1. In Deo, qui excitavit Jesum Dominum à mortuis:

2. In Christo, eoque Tradito propter peccata nostra; & Resuscitato, ad nostrè justificationem.

Exeg. Notandum hïc, quod dicit Apostolus,

text. Justitiam imputatum iri iis, qui credunt in Eum, & c.

græcè, τῶν πιστῶν ἐπὶ τὸν ἰησοῦν. Ε'πὶ, inquit:

decl. Diximus suprà; Esse aliquam differentiam, inter hæc tria,

Credere Deum; videlicet, *Esse Deum*:

Credere Deo; scilicet, dicenti aliquid, aut promittenti:

Credere in Deum; hoc est, Fiduciam locare in Deo.

Requiritur ergo vera Fides, ac cordialis Fiducia;

quæ appellatur in S. Scriptura,

Perfuasio: juxta illud, quod dicit Paulus, *πίπισμα*,

2. Tim. 1. 12. Rom. 8. 38. *Persuasum mihi est; certus sum.*

Confidentia, *πιστιθῆσις*: ut Eph. 3. 12. *In quo habemus libertatem, & aditum, cum Confidentia, per fidem ipsius.*

Plenitudo, *πληροφορία*: ut sup. Rom. 4. 21. *πληροφορηθεὶς.*

Heb. 10. 22. *Accedamus cum vero corde, in πληροφορία fidei.*

Libertas, *περὶνῆσις*: ut Eph. 3. 12. *In quo, Christo scilicet, habemus Libertatem, & aditum, & c. ut sup.*

test. Quod verò ad duplex illud Objectum attinet, Deum, & Christum;

Utrumque illud quoque conjungit Christus, Joh. 17. v. 3.

Hæc est vita eterna, ut cognoscant Te, illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.

Tertia persona necessariò adjicienda est, Spiritus Sanctus. Nam,

Joh. 4. 24. *Deus est Spiritus, & qui ipsum adorant, oportet ut Spiritu ac veritate adorent.*

1. Cor. 12. 3. *Nemo potest dicere Jesum, Dominum, nisi per Spiritum Sanctum.*

2) Doct.

2) *Doct.* Perſpicimus hinc, Fidem noſtram fundatam eſſe debere,

1. In Deo Patre: & quidem, quòd is ſit, qui Chriſtum

Pro nobis in mortem tradidit;

ut nos ab æterna morte liberaremur:

A morte ſuſcitavit in vitam;

ut nos in illo haberemus vitam æternam.

2. In Filio Dei, Jeſu Chriſto, Salvatore noſtro:

Et quidem, quòd ille

Peccata noſtra in ſe receperit, & pro illis mortuus ſit;

ne nos æternâ morte mulctaremur, & periremus:

Reſurrexerit à morte, tertio die, in certum ſignum,

Nos perfectè juſtos eſſe coram Deo,

nullumque peccatum ſuper-eſſe, in credentibus,

pro quo ipſe non perfectiſſimè ſatiſfecerit.

Siquidem non manſit in morte, ſed reſurrexit:

Si enim unicum peccatum reliquum fuiſſet,

pro quo non ſatiſfeciſſet Chriſtus;

Non potuiſſet reſurgere à morte,

ſed in carcere mortis detentus fuiſſet.

Habemus quidem plura, credenda de Chriſto:

Nempe, Conceptum eum è Sp. S. Natum ex Maria virgine;

Aſcendiſſe ad cælos, Sedere ad dextram Dei,

Indè venturum eſſe ad judicandum vivos & mortuos:

Sed hoc præcipuum eſt, de Morte & Reſurrectione ejus.

Nam hoc Fides noſtra potiffimùm diſtinguitur,

à fide Judæorum, & Turcarum, aliorum.

Illi enim quidem etiam credunt, Chriſtum mortuum, &c.

ſed non credunt, eum mortuum eſſe pro noſtris peccatis,

ſuſcitatumque propter noſtri juſtificationem.

3. In Spiritu Sancto: qui nos de his omnibus certos reddit.

Dum enim credimus in Patrem, & Filium ejus Chriſtum,

In Patrem, qui excitavit Chriſtum à mortuis;

In Chriſtum, qui pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit:

Credimus etiam ſimul in Spiritum Sanctum, illique confidimus;

utpote cujus gratiâ credimus hæc, & de his obſignamur, tanq.

Arrhabone indito cordibus noſtris, Eph. 1. 13. 14. 2. Cor. 1. 22.

per quem clamamus, Abba Pater, Rom. 8. 15. Gal. 4. 6.

per quem Chriſtum dicimus, Dominum noſtrum, 1. Cor. 12. 3.

Fff

n) *Quæſt.*

*) *Quaest.* Quærat hîc aliquis;

thes. Talemne Fidem etiam Abrahamus habuerit?

resp. Omnino : ut est in superioribus concionibus declaratum. Nam,

Sicuti nos credimus *in eum*, qui Christum suscitavit à mortuis;

Ita etiam Abrahamus credidit Deo, *vivificanti mortuos.*

Sicuti nos credimus in Christum, Mediatorē ac Sponforem nostrum;

illius morte nos esse liberatos, ab æterna morte:

Ità etiam Abrahamus credidit in eundem, in Messiam scilicet.

in quo omnis benedictio sit futura; juxta illud,

In Semine tuo benedictæ erunt omnes gentes, Gen. 22. 18.

In Semine tuo, id est, in Christo, ut Gal. 3. 16.

diff. Cæteroqui, est etiam Differentia, inter Fidem Abrahæ, & Nostram;

1. Abrahamo, præter promissionem illam Seminis benedicti,

Promissa erat terra Canaan, Multiplicatio seminis;

Nec non Paternitas illa, quâ futurus erat *Pater credentium*;

Nos verò non habemus illam promissionem, de terra Canaan;

sed de cœlesti ac spiritali Hereditate Abrahami.

2. Abrahamus credebat, in Messiam venturum;

tradendum in mortem, propter sua ac electorum peccata;

resuscitandum, propter sui ac electorum justificationem:

Nos autem credimus in Christum, qui jam venit;

qui jam traditus est in mortem, propter peccata nostra;

qui jam resuscitatus est, propter nostri justificationem.

conv. In hoc autem Conveniunt, Fides nostra, & Abrahami:

1. *Objecto.*

Sicut Abrahamus credidit, in *ἐγείροντα* mortuos:

Ità nos in eundem credimus; & quidem in specie,

Quòd Christum excitaverit à mortuis.

Sicut Abrahamus innitebatur promissioni, de semine benedicto:

Ità & nos credimus in Christum; & quidem in specie,

Quòd ipse pro peccatis nostris sit mortuus, &

propter justificationem nostri sit excitatus.

2. *Πληροφορία.*

Sicut Abrahamus, non simpliciter ac nudè credidit;

sed *πληροφορηθεις*, posse eum promissa efficere:

Ità Fides nostra, non est simplex ac nuda Notitia;

sed etiam certa Fiducia, quâ firmiter assentimur,

& confidimus, promissæ nobis à Deo gratiæ in Christo.

3. *Effecto.*

3) 3. *Effecto.*

Sicut Abrahamo Fides sua fuit imputata, ad Justitiam:
Ità & nos non aliter justificamur; nimirum,
Solâ Fide, in Jesum Christum, ejusque meritum,
Absque Operibus Legis, & absque proprio Operum merito.

CONCLUSIO.

R. Hæc de præsentî textu hac vice dicta sufficiant.

Possemus quidem pergere, & ex *versu ultimo* hujus text. & Cap:
de fructu Mortis & Resurrectionis Christi agere:

Sed ne detineamini diutius, & ultra tempus constitutum,
de illo agemus, volente Deo, in sequenti Concione.

Audivistis nunc, de his duobus,

1. De Usu Sacræ Scripturæ,

2. De Objecto fundamentalî Fidei salvificæ.

C. Deut. 30. v. 12. 13. 14. dicit Deus, de Lege à se lata;

Præceptum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, occultum non est à te, neque longinquum. Non est in cælo, ut dicas, quis ascendet in Cælum, qui accipiat id indè nobis, & enunciet nobis illud, ut faciamus illud? Neque est ultra mare, ut dicas, quis sumat & adferat id indè nobis, & enunciet nobis illud, ut faciamus?

Sed propinquum est vobis verbum hoc valde, in ore tuo, & in corde tuo, ad faciendum illud.

Apostolus Paulus id accommodat ad Fidem, Rom. 10. v. 6. 7. 8.

At quæ est ex Fide justitia, ità dicit; Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cælum? hoc est Christum ex alto deducere.

Aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere. Sed quid dicit? Prope te verbum est, in ore tuo, & in corde tuo: Hoc est verbum illud Fidei, quod predicamus.

Nimirum, Verbum Fidei prope nos est:

Paulus id brevibus verbis, in textu prælecto, exponit:

Verba illa non sunt difficilia: Sed praxis fortè difficillima.

Tantò fortius luctemur, & pugnemus: Donec tandem

Fidei finem reportemus, Salutem animarum nostrarum.

V. Ad quam nos, suo tempore, promoveat Deus, Pater Filius, & Sp. S.

Deus benedictus in omnia secula, Amen.

Fff 2

CONCIO XXXVIII.

C O N C I O X X X V I I I .

De Fructu Mortis, & Resurrectionis Christi.

T E X T U S , Rom. IV. vers. 25. ult.

Christus, Traditus propter offensas nostras, & Suscitatus ad nostrî justificationem.

E X O R D I U M .

Verba hæc textûs prælecti, ac ultima Cap. IV. sunt verba
Brevia, ac pauca: quia duobus verbis totam rationem
 Salutis nostræ proponunt, *Morte & Resurrectione* Christi.
Longa, ac copiosa: quia continent universum mysterium
 Redemptionis nostræ, per Christum factæ; totiusque
 Scripturæ summam, cum Legis, tum Euangelii. Nam,
Finis Legis est Christus, ad justitiam cuius credenti, Rom. 10. 4.
Summa Euangelii est Christus, Mortuus pro peccatis nostris;
& Suscitatus, in signum perfectæ justificationis nostræ.
Aurea, ac insignia: dignissima consideratu, quippe quæ nos
 Plenè informant de fundamento Fidei Christianæ, &
 Conscientias turbatas solidè consolantur.

Audivistis in præcedenti concione, *In quo fundari debeat Fides nostræ?*
 In uno vero Deo, & quem is misit Jesu Christo.

His verbis docemur, *Quid credere debeamus de utroque?*
 De Patre; quòd is Filium tradiderit in mortem, & suscitârit:
 De Filio; quòd is Traditus sit, propter peccata nostra, &
 Suscitatus propter nostrî justificationem.

P. Promissimus nuper, nos occasione horum verborum acturos,
 De Fructu Mortis, & Resurrectionis Christi.
 Itaque attendite ad has duas partes,

I. *Quid nobis proffit Mors Christi?*
II. *Quid nobis proffit Christi Resurrectio?*

V. Christus mortuus, & resuscitatus, resurgat quoque in cordibus nostris:
 Ut & nos veterem hominem mortificemus, novumque vivificemus;
 Quò sanctè vivendo, perveniamus ad æternam Vitam: *Amen.*

P A R S I .

P A R S I.

Fructum Mortis Christi primò quod attinet,

Text. Paulus breviter dicit; Christum esse *Traditum*, propter *offensas nostras*.

Part. Duo dicit in his verbis Apostolus; 1. Quid, 2. Cur sit factum?

I. TRADITUM.

Exeg. Intellige, *Traditum in mortem*.

sens. Prout communiter vox illa, *παρίδαντι*, in s. literis accipitur:

Ut, Rom. 8. 32. *Is qui proprio suo Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus Tradidit eum, &c.*

Tradidit eum, inquit, *in mortem* scilicet; & quidem, in Mortem crucis, ignominiosam juxta ac dolorificam.

Videtur, ad cavendum scandalum infirmorum, subticere vocem *Mortis*, simpliciter dicens *Traditum*.

scop. Vult autem nos hoc ipso deducere Paulus Apostolus,

Ad primam Redemptionis nostræ causam, nempe, ad æternum Dei consilium, decretum, propositum:

Esse Christum mortuum, non temere & fortuito,

Non naturæ imbecillitate, & hostium violentiâ;

Sed destinato Patris sui consilio, & voluntate:

Dicitur enim *Traditus*, à Patre scilicet.

hom. Traditus quidem etiam fuit Christus,

A Juda, Proditore; *Matt. 26. 15. 21. &c.*

A Judæis; eum tradentibus Pilato, *Matt. 27. 2. Joh. 19. 11.*

A Seipso; nam & Christus Seipsum tradidit in mortem:

Ut ait ipse, *Joh. 10. v. 8. Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus: Sic, v. 17. 18. item, Joh. 15. 13.*

Unde Paulus, *Gal. 2. 20. Filius Dei, qui dilexit me, & Semetipsum tradidit pro me.*

concl. At hîc ducimur ad Deum Patrem, qui ceu manu suâ

Filium suum tradidit, occidendum, crucifigendum:

Absque hoc fuisset, Judæis, & Pilato, & Judæ, nulla fuisset potestas in Christum; ut ipse Christus ait Pilato,

Joh. 19. 11. Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi hoc tibi datum esset superne. Sic de Juda,

Matt. 26. 24. Filius quidem hominis abit, sicut scriptum est de eo; sed va, &c. Sic ibid. v. 54.

Fff 3

a) Appl.

*) Appl. (in Doct. & Usu.)

Doct. Disce ergo hinc,

thes. Decretum & Consilium Dei æternum, de Morte Christi.

test. De quo etiam suprâ testatus fuerat Paulus, Rom. 3. v. 25:

Quem Præstituit Deus, ut esset Placamentum, per fidem, in Sanguine ipsius, ad demonstrationem justitiæ suæ.

De quo etiam testantur Apostoli, in precibus suis, Act. 4. 27. 28.

Congregati sunt in hac civitate, verè adversus sanctum Filium tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & populis Israelis: Ut facerent, quæcunque manus tua, & consilium tuum, prius prædestinavit ut fierent.

Usus. Ad Deum ergo convertemur, in hoc negotio, oculos nostros.

hyp. Deus Pater est principalis causa Redemptionis nostræ:

Ille solus est Fons & Origo nostræ Salutis.

Ille est, qui proprio suo Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus (credituris sc.) tradidit eum, Rom. 8. 32.

Ille est, qui coniecit in eum peccata omnium nostrum, Esa. 53. 6.

A Deo plagâ affectus est, percussus & afflictus, Ibid. v. 4.

Jehova delectatus conterere ipsum, morbo affecit, verl. 10.

Filius tamen Dei consensit in hanc voluntatem Patris: ut, Esa. 53.

v. 10. *Quandoquidem exponebat seipse, sacrificium pro reatu.*

v. 11. *Quorum iniquitates ipse bajulaverit.*

v. 12. *Profundit in mortem seipsum: ipse peccatum multorum perferens, pro defectoribus intervenit.*

thes. Proinde, illi soli gloriam Redemptionis nostræ tribuemus.

test. Prout Paulus, Gratiam Christi commendans, solet conjungere Amorem & charitatem Patris; ut, Cor. 13. v. 13.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, & Charitas Dei, Patris, & Communicatio Spiritus S. sit cum omnibus vobis, Amen.

Sic, Rom. 5. 8. *Commendat suam erga nos Charitatem Deus, eò quòd quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit.*

Sic, Eph. 1. 3. *considerans opus Redemptionis, per Christum factæ, erumpit in laudem Dei; Benedictus esto Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nobis omni benedictione spirituali, in cælestibus, in Christo: conf. v. 6. 7. 8.*

Sic Petrus, I. Pet. 1. 3. *Benedictus esto Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui ex multa sua misericordia, regenuit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.*

II. PROPTER

II. PROPTER PECCATA NOSTRA.

Exeg. Profectò, Mortuus est Christus,

æg. Non, propter *Sua* peccata. Etenim,

Non noverat ipse peccatum, 2. Cor. 5. 21.

Dolus in eius ore non est inventus, Esa. 53. 9. (indè,)

Non peccavit, nec inventus fuit dolus in ore eius, 1. Pet. 2. 22.

Talis Sacerdos nos decebat, sanctus, ab omni malo alienus, sine

labe, separatus à peccatoribus, & sublimior cælis factus: Cui

non sit quotidie necesse, ut illis Sacerdotibus, prius pro peccatis

propriis victimas offerre, deinde pro peccatis populi: Hoc enim

fecit semel, quum seipsum obtulit, Heb. 7. 26. 27.

Obtulit Seipsum, Inculpatum, Deo, Heb. 9. 14.

Agnus fuit Inculpatus, & incontaminatus, 1. Pet. 1. 19.

Pro peccatis passus fuit, Justus pro injustis, 1. Pet. 3. 18.

Unde etiam ipse Judæos ita alloquitur, Joh. 8. 46.

Quis ex vobis arguit me de peccato?

Sic. Sed, propter peccata *Nostra*: ut est in textu.

test. Sic passim S. Scriptura de eo testatur:

Esa. 53. 6. 7. *Omnes nos, ut ovis, erravimus; quisque in viam suam nos convertimus: Et Jehova facit, ut incurrat in eum peccatum (leu pœna peccati) omnium nostrum: Exigitur pœna, & ipse affligitur: v. 4. Morbos nostros tulit, &c.*

Rom. 5. v. 6. *Christus pro impijs mortuus est.*

v. 8. *Mortuus pro nobis peccatoribus Christus.*

Sic multis aliis in locis; ut videbitur infrà, in *Doct.* & in *Usu.*

fin. Hoc autem fine, mortuus est Christus pro Peccatis nostris;

Ne nos moreremur, sicut peccatis nostris merueramus.

Quinimò; jam mortui eramus, & naturâ filij iræ, Eph. 2. 1. 3.

Sed ne in morte maneremus, Christus pro nobis mortuus est.

fund. Quia enim peccaveramus, moriendum nobis erat: juxta

Gen. 2. 17. *Quo die comedes (fructum vetitum,) morte morieris.*

Ezech. 18. 20. ex Deut. 24. *Anima quæ peccat, ipsa morietur.*

Rom. 1. 32. *Digni morte, talia facientes, ex jure Dei.*

Rom. 6. 23. *Stipendium peccati est, Mors.*

Christus verò, Sponsor noster factus est, ex voluntate Dei:

Heb. 7. 22. *Tantò melioris pacti Sponsor factus est Jesus.*

Heb. 10. 7. *Tunc dixi, Ecce adsum, ut faciam, ô Deus, vo-*

luntatem tuam: (Christus, ex Psal. 40. 7. 8. 9.)

β) Appl.

β) Appl. (in Doct. & U(u).)

Doct. Discimus hinc,

thes. Non remitti peccata à Deo, nisi prius satisfiat iustitiæ ejus,

test. Unde in descriptione Misericordiæ Dei, idipsum adjicitur,

Exod. 34. v. 6. 7. *Jehova, Jehova, Deus misericors & graciosus, longanimis, & multus benignitate ac fide: custodiens benignitatem millibus, condonans iniquitatem & defectionem & peccatum: Et qui ullo pacto non absolvit fontem; visitans iniquitatem patrum in filios, nepotes, abnepotes.*

Repetitur hoc, Num. 14. v. 18. & multis in Psalmis, &c.

Atque hoc est, quod dicit Apostolus, in epist. ad Heb. 9. v. 22.

Absque Sanguinis effusione non fit Remissio.

appr. Ea de causa Christus pro nobis suum Sanguinem profudit: ut,

Matt. 26. 28. *Hoc est Sanguis meus Novi federis, qui pro multis effunditur, in remissionem peccatorum.*

1. Pet. 1. 18. 19. *Redempti estis, non corruptibilibus rebus, argento vel auro; sed pretioso Sanguine Christi, utpote Agni inculpati & incontaminati.*

1. Joh. 1. 7. *Sanguis Jesu Christi, Filii Dei, purgat nos ab omni peccato. Conf. cap. 2. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis.*

Rom. 3. 25. *Christum præstituit Deus, ut esset Placamentum, per fidem, in Sanguine ipsius. c. 5. 9. Justificati ejus Sanguine.*

Heb. 9. 14. *Quantò magis Sanguis Christi emundabit nos, &c.*

typ. Eadem de causa Deus in V. T. instituerat Sacrificia, quæ mactabantur, sanguine eorum spargendo & adolendo Deo; in sacramentum effundendi Sanguinis Christi, in remissionem peccatorum: ut docetur in epist. ad Heb. 9. & 10. & passim.

Idipsum quoque significatū fuit Sanguine Agni Paschalis, postibus ostij domus aspergendo, in sacramentum Sanguinis Christi.

quo aspergenda erant corda nostra, ut tuta essent à Diabolo, (grassatore in peccata cōstituto, Heb. 2. 14.) Vide Exod. 12. 13. 23.

concl. Quum ergo Sanguine Christi dicimur justificari, intelligitur

Mors Christi, quæ fuit cruenta, in cruce effuso ipsius Sanguine; ut testatur de eo Evangelista, Joh. 19. 34.

Omnesque ejus Passiones antecedentes; ut, 1. Pet. 2. 23.

Nulla enim pars Passionis excluditur, à Satisfactione Christi:

1. Pet. 3. 18. *Christus, passus pro peccatis: sequitur, Mortificatus.*

Phil. 2. 8. *Factus obediens; usque ad mortem.*

v) U sus

2) *Usus.* (*Refutationis, contra Socin.*) Contra docet Socinus,
Err. Remitti nobis peccata à Deo, sinè ulla Satisfactione pro illis:

Impugnans nostram doctrinam, atque contendens,

1. Non posse alioquin dici Gratuitam remissionem: quum
 Deus remittat peccata, *per viscera misericordiae suae*, Luc. 1. 78.
2. Non pugnare cum iustitia Dei, remittere sinè Satisfactione:
 Nam debere & nos remittere proximo, sinè satisfactione:
 Deum autem *remittere nobis, sicut & nos remittimus.*
3. Pugnare cum iustitia Dei, ut alius pro alio puniatur: juxta
 Ezech. 18. 20. *Anima quae peccat, ipsa morietur: Filius non
 feret propter Iniquitatem patris; nec pater & c.*
4. Non esse proportionem, inter mortem Christi triduanam,
 & æternam quam nos eramus meriti.

Proinde verba Pauli, *in textu*, detorquet, atque sic exponit;

Christum esse *Traditum propter peccata nostra*, in mortem,
 non satisfactoriè, sed exemplariter: hoc est,

Non aliam ob causam, quàm ut nos ejus exemplo moti,
 nosmet à peccatis retrahamus, iisque moriamur.

Profert etiam exemplum simile, ex 1. Reg. 14. 16. ubi dicitur

Deus traditurus Israël, *propter peccata Jeroboami:*

Non quòd Israël satisfactorius esset, pro peccatis Jeroboami;

Sed, quia Jeroboamus non solùm ipse peccaverat,

Verùm etiam peccare fecerat Israël.

Adducit etiam simile Mercatoris, qui Propter divitias ac opes, trans
 mare currit, naufragium patitur, jacturam facit:

non sic promerens opes, sed propter eas hæc agens, patiens.

Ref. Sed facilis est ad has Objectiones responsio.

Quod attinet ratiunculas ejus, argutæ illæ sunt, at falsissimæ.

I. Non posse alioqui Gratuitam dici remissionem peccatorum,

Falsum hoc est: nam,

Quamvis Christus Remissionem peccatorum nobis meruerit;

Tamen eadem Grátis nobis contingit & datur,

A parte Christi eadem est Debita, quia eam promeruit;

A nostra verò parte est Gratuita, quia eam nobis dat.

Nos Remissionem peccatorum non meremur; sed,

Promeruit eam nostro loco Christus: Hæc ejus est gratia.

Deus accipit Satisfactionem, non à nobis; sed,

à Christo, Filio suo: Hoc utique etiam est Gratiæ.

Ggg

2. Non

2. Non pugnare cum iustitia Dei, remittere sine Satisfactione, Falsum hoc quoque est: nam, teste Apostolo, Heb. 9. v. 22. *Absque sanguinis effusione non fit Remissio.*
 Dicimus itaque nos, Iustitiam Dei postulare, ut peccata puniantur, vel in nobis ipsis, vel in alio, Sponsore scilicet commodo. Atqui impossibile erat, nos posse ipsos satisfacere, &c.
 Ergo Sponsore Christo opus fuit: (ut docetur in Catech. nostra.) Quod autem dicit, *Deum remittere, sicut & nos remittimus*, ex Orat. D. Magna est inæqualitas, inter Deum & nos: Urget Christus, in Oratione Dominica, non omnimodam æqualitatem; sed aliqualem conformationem, in remittendis debitis. Adhæc, quum Proximo remittimus, non fit id sine reconciliatione: Ità & Deus nobis remittit, intercedente reconciliatione Christi; Juxta Rom. 5. 10. *Reconciliati Deo, per mortem Filij sui.*
3. Injustum esse, unum pro alio (eoque innocente) punire: Verum id quidem est, nisi positis his conditionibus,
 1. Si ad hoc ipsum sit natus, & à Deo datus:
 2. Si quis sese Sponsorem ultrò offerat:
 3. Si emergere possit è pœna, quam subit pro alio.
 Atqui Christus Jesus, Salvator noster,
 1. Non solum ad hoc ipsum fuit natus, & à Deo datus, Gal. 4. 4.
 2. Sed etiam ultrò se Sponsorem obtulit, Heb. 10. 7.
 3. Poterat quoque emergere è pœna, quam pro nobis subiit; ut, Joh. 10. 18. *Auctoritatem habeo deponendi animam, & auctoritatem habeo rursus eam assumendi.*
4. Mortem triduanam Christi non æquipollere, æternæ nobis debitæ: Considerandum est, Christum, qui pro nobis mortuus est, Non esse simplicem personam, sed ipsum Filium Dei: Unde Mors ejus tridua, multò pretiosior est nostrâ æternâ. Hinc dicitur, 1. Joh. 1. 7. *Sanguis 7. Christi, FILII DEI, purgat &c.* Item, Heb. 9. 14. *Quantò magis Sanguis Christi nos purgabit, qui per Spiritum æternum (h. e. Deitatem suam) se obtulit Deo.* Adhæc, Si Mors dilectorum Dei pretiosa est in oculis Dei, Psal. 116. 15. quantò pretiosior erit mors dilecti & unigeniti Filij ejus? Dignitas illa quoque dependet, ab Innocentia Christi; ut Ibid. Heb. 9. 14. *Semetipsum obtulit Inculpatum Deo.*
 1. Pet. 1. 18. *Redempti pretioso Sanguine Christi, ut Agni Inculpati & Incontaminati.* Conf. 1. Pet. 3. 18. 1. Joh. 2. 1. &c.
 2) Quod

7) Quod attinet exceptionem Socini, Christum esse Redemptorem Exemplarem, exemplo patientiæ nobis præeunte ad Salutem: Verum quidem est, etiam hoc fine mortuum esse Christum, ut & nos peccatis moriamur, & resurgamus cum eo novâ vitâ; juxta, 1. Pet. 2. 21. *Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplar, ut subsequeremini vestigia ipsius. Sic, vers. 24.* Confer, Rom. 6. 4. 5. 6. & c.

At verò, non tantummodò propterea est mortuus Christus; Sed etiam, & quidem præcipuè, Satisfactionis fine.

Nam, nimis manifesta sunt illa dicta S. Scripturæ,

1. Joh. 2. v. 2. *Christus est Propitiatio pro peccatis nostris.*

Rom. 3. 25. *Quem præstituit Deus Placamentum, in Sang. ipsius.*

Heb. 7. 27. *Obtulit Christus se victimam, non pro propriis peccatis, sed pro peccatis populi.*

Matt. 26. 28. *Sanguis Christi effusus, in remissionem peccatorum.*

Infinita talia testimonia passim occurrunt, in Scriptura: Sed

Extra omnem exceptionem sunt ea dicta, quibus dicitur,

Christum moriendo persolvisse λύτρον pro nobis; e. g.

Matt. 20. 28. *Filius hominis non venit, ut sibi ministretur, sed ut ministret, detque animam (h. e. vitam) suam, in redemptionis pretium pro multis: λύτρον ἀντὶ πολλῶν.*

1. Tim. 2. 6. *Qui sese ipse dedit redemptionis pretium, pro omnibus (credituris sc:) ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων.*

Cognatæ sunt voces, ἀπολυτρώσις, h. e. Redemptionis;

item, Sacrificii θυσίας, Oblationis προσφορὰς,

Propitiationis ἱλασµὸς, ἱλασθεῖς: (de quibus pag. seq.)

8) Exemplam Jeroboami quod attinet, non bene convenit id ipsum:

Nisi velit dicere Hæreticus, Christum esse traditum propter peccata nostra, non solùm, quia nos peccaverimus;

sed etiam Christum peccare fecerimus: quod blasphemum esset.

Non sic inde concludendum esset; sed potius hoc modo,

Sicut Israël puniebatur, propter peccata Jeroboami;

quia peccatis ejus communicaverat, peccata patrando,

quibus Jeroboamus impius occasionem dederat:

Sic Christus fuit punitus, propter nostra peccata;

quia peccatis nostris communicaverat,

non quidem peccata patrando, similia nostris,

sed illa in se recipiendo, ac pro illis spondendo.

1) Simile Mercatoris prorsus non quadrat:

Nec enim vox *Propter*, δια, semper uno modo accipitur; ut patebit ex seq. *Propter justificationem nostram*: (ut part. II.)

Favet tamen nobis jactura mercium, pro vita conservanda:

Merces projectæ pereunt; Vita navigantium conservatur.

Sic Christi mors, nostra est vita.

*) *Inst.* Instant Adversarii, dicentibus nobis, Christum esse mortuum *thes. Pro nobis*, i. e. loco nostro: ex, Rom. 5. v. 6. 8.

| Itèm, 1. Cor. 11. 24. 2. Cor. 5. 21. & alibi passim.

exc. Excipiunt Sociniani, *Pro*, non esse *Loco nostro*;

| sed, *In commodum nostrum*: (ut, Eph. 6. 18. 19. &c.)

resp. Verùm, quis non videt, in hoc negotio, verba illa *Pro nobis*, accipienda esse, quasi dicatur, *Loco nostro*?

An aliter potest accipi, quod dicit Paulus? Rom. 5. 7.

Enimvero, vix *Pro* justo quisquam moriatur:

Nam Pro bono viro forsitan aliquis etiam mori sustineat.

Et quid aliud sibi volunt verba illa Davidis?

2. Sam. 18. v. ult. (vel, cap. 19. 1.) Fili mi, Absalom,

Utinam ego mortuus essem Pro te! (hebr. *Tachtoeba.*)

Sic etiam à nonnullis exponitur locus ille difficilis,

1. Cor. 15. 29. *Quid facient, qui Pro mortuis baptizantur?*

i. e. loco mortuorum, ex voce Syriaca, *Chalaph.*

prob. Denique, quid aliud insinuant voces, suprâ allatæ?

λύτρωσις ἀντι πολλῶν, Matt. 20. 28.

ἀντιλύτρωσις ὑπὲρ πάντων, 1. Tim. 2. 6.

ἀπολύτρωσις, Rom. 3. v. 24. &c.

(*exc.* Moses λυτρωτής, Act. 7. 35. sed typicus.)

ἱλασμός, 1. Joh. 2. 2. ἱλασθεῖον, Rom. 3. 25.

θυσία, Heb. 7. v. 27. cap. 10. v. 12. &c.

προσφορά, Heb. 10. v. 5. 8. itèm, v. 11. 12. &c.

*) *Caut.* (Nota: In docto auditorio, & ubi cognita est heresis Socinianorum,

hæc ita breviter tractari possunt. At in auditorio hominum simpli-

cium, quibus hæc heresis nondum innotuit, melius hæc heresis retice-

tur: idque, juxta admonitionem Sculteti, in Axiomatibus Concio-

nandi; ut & in Concionatoria mea, Paradigmaticis subjecta monui.

Omissa igitur disputatione, solummodo testimonia Scripturæ inde ad-

duci possent, quibus sententia nostra confirmatur; mutato Usu Re-

futationis, in Usum Consolationis.)

P A R S II.

Fructum Resurrectionis Christi secundo loco quod attinet,
Text. Paulus Christum breviter dicit, *Suscitatum ad nostri justificationem.*
Part. Duo ergo dicit; 1. Quid, 2. Quo fine, sit factum?

I. SUSCITATUM.

Exeg. Intellige, *Suscitatum à morte.*

sens. Ut autem non dicit, *Mortuum esse*; sed, *Traditum in mortem*,
 scilicet à Deo, Patre, (ut suprâ parte I. vidimus:)

Sic quoque hîc non dicit, *Resurrexisset* Christum;

sed *Resuscitatum esse*, scilicet à Deo, Patre, (ut v. 24.)

test. Ut & dicitur, Heb. 13. 20. *Deus ille pacis, qui magnum illum*
Ovium Pastorem, D. nostrum ꝑ. Christum, ex mortuis reduxit.

scop. Non, quòd Potentiæ Christi quicquam velit derogatum:

Sed, ut Deo Patri, tanquam authori & fonti, opus Redemptio-
 nis adscribat, ad nostri consolationem.

Veruntamen, quia *Quæcunque Pater facit, hæc etiam*

Filius pariter facit, ut ait Christus ipse, Joh. 5. v. 19.

Et *Pater omnia operatur per Filium*, Joh. 14. 10.

Eapropter & hoc opus Resuscitationis est Filii; adeoque;

Sicut Filius traditus est à Patre in mortem;

itâ quoque Filius seipsum tradidit in mortem:

Sicut Pater suscitavit Filium à morte, tertio die;

itâ etiam Filius seipsum suscitavit à morte.

Doct. Itaque, utrumque verum est.

thes. Et Filium excitatum esse à Patre; &

Filium seipsum excitasse, ac propriâ potentiâ resurrexisse.

test. Itâ enim testatur Scriptura, de Filii ista potentia:

Joh. 2. 19. *Destruite templum hoc, (inquit Christus, de templo*
corporis sui, ut v. 21.) & intra triduum illud excitabo.

Joh. 10. 18. *Potestatem habeo, deponendi animam meam;*
 & *potestatem habeo, rursus eam assumendi.*

Joh. 5. 21. *Sicut Pater suscitât mortuos, & vivificat;*

Itâ etiam Filius, quos vult, vivificat. Voluisse autem
 Filium seipsum vivificare, quis dubitet? quum dicat,

Joh. 5. 26. *Sicut Pater habet vitam, in seipso;*

sic dedit & Filio habere vitam, in seipso.

CONC. XXXVIII. in Rom. 17. v. 25.

14) *Ufus.* Facesat ergo Hæreticorum inanis argutia,

err. Qui Christum Deitate suâ spoliare nituntur, dicentes;
Non potuisse Christum seipsum excitare,
Sed opus ei fuisse, ad hoc, auxilio Patris.

ref. Contrarium certum est, ex Scriptura; quæ testatur,
Patrem, & Filium, esse unum, Joh. 10. v. 30.

Quicquid Pater facit, id & Filium pariter facere, Joh. 5. v. 19.

Imò, Christus templū sui corporis destructū restituit ipse, Joh. 2. 19.

trans. Sed pergamus ad secundum membrum, Quo fine sit suscitatus?

II. AD NOSTRI JUSTIFICATIONEM.

Exeg. Vel, Propter justificationem nostram. Nam,

verb. Ut dixerat antea, διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν;

Ita nunc dicit, διὰ τὸ δικαίωμα ἡμῶν,

ant. Quidam hæc verba ita explicant: Christum esse

Traditum morti, propter peccata nostra; ut & nos ejus exēplo,
moriāmur peccatis, & mortificemus veterem hominem:

Suscitatum propter justitiam nostram; ut & nos, ejus exemplo,
resurgamus in novitate vitæ, vivificantes novum hominem.

Prout diximus *part. I.* de Socinianis, sic statuentibus:

Verum Paulus hinc nondum agit de Sanctificatione,

Sed de Justificatione; de Sanctificatione acturus, *Cap. VI.*

sens. Hæc autem est vera mens Apostoli; Christum resurrexisse,

Non solum, ut Justitiā, morte sua partā nobis applicare posset;

Sed etiam, ut Resurrectione suā, tanquam certo pignore,
confirmaret, omnia peccata nostra plenè esse expiata.

rat. Ratio subest evidentissima. Etenim,

Si Christus in morte mansisset, utique

Mortem non expugnasset, debellasset ac vicisset;

Sed victus à Morte fuisset, magno nostro malo.

Si vel unicum peccatum inexpiatum mansisset,

Christus æternū à Morte fuisset detentus; nempe,

In carcere illo, quo ultimus quadrans exigitur, *Matt. 5. 26.*

test. Hinc Paulus Apostolus ait, 1. Cor. 15. v. 17. Quòd si

Christus non est excitatus, inanis est fides vestra; &

Adbuc estis in peccatis vestris, q. d. vobis ipsis ea luenda sunt.

Contrà verò ait, Rom. 10. v. 9. Si professus fueris ore tuo

Dominum Jesum, & credideris in corde tuo, quòd

Deus cum suscitavit ex mortuis, salvaberis.

→) *Ufus.*

¶ *Ufus.* Est ergo, cur lætemur ob gloriosam Christi Resurrectionem.

ant. Nulla major est miseria, quàm conflictari & luctari,
cum Ferrosibus mortis, & Metu æternæ abjectionis.

thes. Nulla præsentior consolatio, contra hos Terrores, hunc Metum,
quàm Resurrectio Christi ex mortuis.

test. Ut enim olim servabantur, quotquot erant in Arca Noæ:
Ità, quotquot Resurrectionem Christi credunt, salvantur;
Prout docet Apostolus Petrus, 1. Pet. 3. v. 21.

Etenim, *Per Baptismum in Resurrectionem Jesu Christi,*
Partum est credenti *ἐπιγαθήματα ἀγαθῆς συνείδησις,*

Interrogatio bonæ conscientie apud Deum, (ut ibid.)

Adeò ut liberrimâ conscientia Deum interrogare audeat;

An non Filius ille tuus pro me est mortuus?

meâque causâ molem iræ tuæ subiit?

Imò, mortuus est, & subiit, imò vicit:

Quis ergo me condemnabit? Deus est, qui justificat;

Christus est, qui mortuus est; imò, qui suscitatus est:

ut est in Epistola, ad Rom. 8. v. 33. 34.

exmp. Atque hæc est causa, cur Christus, excitatus à mortuis,
Bono animo nos esse jusserit.

Hæ enim sunt ejus, post Resurrectionem, voces;

Ad Mariam Magdalenam; *Mulier, quid fles? Joh. 20. 15.*

q. d. Causam nullam flendi habes, postquàm resurrexi.

Ad Mulieres reliquas; *Ne metuite, Matt. 28. 10.*

q. d. Nulla causa metûs superest, postquàm resurrexi.

Ad Discipulos suos; *Pax vobis: Quid turbati estis? &*

Quare disceptationes subeunt corda vestra? Luc. 24. 38.

Quasi dicat; Non habetis nunc amplius causam,

Flendi, Metuendi, Turbato animo disceptandi:

Nam, Resurrexi gloriosè, atque vici Peccatum,

exarmavi Mortem, ligavi Diabolum,

dirui Infernum, sustuli Damnationem,

reclusi Cælum, reduxi Vitam.

concl. Adeòque possumus nunc dicere, cum Paulo, 1. Cor. 15. 55. 57.

Absorpta est Mors ad victoriam: Ubi tua, ô Mors, victoria?

Ubi tuus, ô Inferne, aculeus?

Deo autem habetor gratia, qui dedit nobis victoriam,

per Dominum nostrum Jesum Christum.

CONCL.

C O N C L U S I O.

R. Audivistis ità, Auditores, Fructum Mortis & Resurrectionis Christi:

1. Mortuum eum esse, propter Peccata nostra;
2. Resurrexisse eum, propter Justificationem nostrî.

C. Dicat aliquis; Cur distinguit Paulus effecta Mortis & Resurr. Christi? quum unicus sit fructus omnium, quæ Christus fecit & passus est; nempe, Justificatio nostrî gratuita coram Deo, per fidem.

Respondeo: Salus & Justificatio nostra tribuitur, modò Morti Christi; ut *Rom. 3. 24. 25. cap. 5. 10. Eph. 1. 7.* modò Resurrectioni Christi; ut, *Rom. 10. 9.* itèm, *hic in text.*

Unde constat, hæc Beneficia Christi communia esse, & indivisa.

Idcirco ea Paulus hîc, non dividit, sed distinguit;

Eaque discernit modo quodam: ut doceat, Christum, Morte suâ nobis acquisivisse Remissionem peccatorum, proinde, Justificationem nostrî coram Deo;

Resurrectione verò suâ ostendisse, nos justificatos esse perfectè, nihilque ad nostrî Justificationem deesse.

Verùm, his diutiùs non immorabimur: Hoc tantùm addo, ex

2. Tim. 2. 8. *Memento, Jesum Christum suscitatum esse à mortuis.*

Mementote & vos, Aud. Christum mortuum, propter peccata vestra:

Mementote, Christum suscitatum, propter justificationem vestrî.

Mementote, inquam, hujus rei,

Ut & vos peccatis moriamini, mortificando veterem hominem;

Ut & vos in novam vitam resurgatis, piè ac sanctè vivendo.

Nam, Si Christus propter Peccata vestra est mortuus,

Quodomodo non, ut hostem, fugiatis peccata vestra?

Certè, si porrò in peccatis vixeritis, ostendetis eo ipso,

Vos Mortem Christi nihili facere, aut parvi pendere.

Si Christus propter Justitiam vestram est suscitatus,

Cur & vosmet ipsos non excitaretis, ad novam vitam?

Certè, si in peccatis porrò manseritis sepulti, ostendetis,

Nihil vobis prodesse Resurrectionem Christi;

Eamque ad vos non pertinere.

V. Christus verò, qui resurrexit potenter à mortuis, resurgat etiam

in cordibus nostris, nosque sanctificet ad vitam æternam;

in qua eum æternùm laudemus & celebremus, Amen.

CONCIO XXXIX.



C O N C I O XXXIX.

De Pace Spirituali cum Deo.

T E X T U S, Rom. V. vers. 1. 2.

Justificati igitur ex fide, Pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum. Per quem etiam fide adducti sumus (aditum habuimus) in hanc gratiam, per quam stamus.

E X O R D I U M.

Non malè judicavère, qui Epistolam Pauli ad Romanos vocârunt, Compendium totius Doctrinæ Christianæ. Nam, Omnia, quæ Christiano sunt factu & scitu necessaria, Ea Apostolus Paulus in hanc Epistolam congeffit; Idque valde artificiosè, & optimâ methodo. Etenim, Quemadmodùm peritus Architectus laborat, hoc agens, vt bonum fundamentum structuræ suæ jaciât; quò ædificium tantò sit firmitus ac constantius, tantòque aptius ad futuram inhabitationem: Ità etiam Apostolus Paulus, in hac ad Romanos epistola, Primò omnium jacit fundamentum Spiritualis ædificij, hoc est, Doctrinæ Christianæ: Id quod est, doctrina de Justificatione hominis coram Deo; Hominem scilicet justificari, non priorum operum meritis; Sed solâ Fide, quæ se fundat in solo merito Christi. Hac Doctrina fundamentalis est, (unâ cum doctrina de Deo.) Qui in hac doctrina nobiscum conveniunt, eos meritò pro confortibus fidei agnoscimus & habemus, etiamsi in quibusdam aliis exiguis punctis, fundamentum non tangentibus, à nobis dissentiant. Qui autem in fundamento errant, eos meritò vitamus, & ut hæreticos ac falsos doctores reputamus. Hanc doctrinam, de Justificatione hominis coram Deo, Paulus in præcedentibus capp. cum primis III. & IV. tractavit; ut in explicatione eorundem hætenus intellexistis.

Hhh

Hoc verò

Hoc verò Capite V. ad Rom. Apostolus Paulus,
 Primò describit Fructus, è Justificatione provenientes;
 Deinde comparat gratiam Jesu Christi, cum lapsu Adami,
 nostraque transgressione; simulque ostendit usum Legis.
 Fructus Justificationis duo, initio hujus Capitis, enarrantur: nempe,
 1. Pax fidelium, quam habent cum Deo;
 2. Gloratio fidelium, quam habent, tum de Gloria,
 tum de Afflictionibus, tum de Deo ipso.
 P. Hac vice primum Justificationis fructum declarabimus,
 Pacem nimirum, quam habemus cum Deo; atque dicemus,
 I. De Pace ipsa, cum Deo:
 II. De Privilegio & Certitudine illius Pacis.
 V. Deus Pacis adsit nobis suâ gratiâ, regatque nos Spiritu Pacis,
 Ut Pacem illam spiritualem, quam habemus cum Deo,
 non modò in conscientiis nostris sentiamus;
 Sed etiam Pacificè inter nos vivamus,
 quoad perveniamus ad æternam Pacem: Amen.

P A R S I.

Pacem ipsam divinam quod attinet,
 Text. De ea Paulus in textu ita ait; *Justificati igitur ex fide,*
Pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum.
 Part. In quibus verbis Apostolus tria docet;
 1. *Qualis sit illa Pax?* Divina scilicet, cum Deo:
 2. *Unde hæc Pax oriatur?* A Fide justificante:
 3. *Per quem hæc Pax procuretur?* Per J. Christum, D. nostrum.
 Tract. Tractemus hæc tria, ex verbis Apostoli Pauli.
 I. *Qualis sit illa Pax?*
 Text. *Pacem habemus erga Deum:* πρὸς τὸν Θεόν.
 Exeg. Hoc est, *Erga Deum;* vel, *Ad Deum;* vel, *Apud Deum.*
 thes. (quæ est ipsa Doct.) Pax igitur hæc est,
 Non Mundana; quam cum mundo habemus, & mundanis;
 quæ inconstans est, & sæpè fallax.
 Sed Divina, & Spiritualis; quam habemus cum Deo.
 Text. Ità enim ait Apostolus; *Habemus pacem, Erga Deum:*
 Sive, ut dictum est, *Ad Deum, vel Apud Deum;*
 Hoc est, *Cum Deo.*

*) decl.

decl. Pax illa est, Reconciliatio nostrum cum Deo;
Unde oritur in cordibus fidelium, Tranquillitas mentis,
& solida Lætitia animarum nostrarum: nimirum,
Quòd scimus, Habere nos, non iratum & infensum Deum,
sed propitium & reconciliatum Deum.

prol. Inquiat aliquis; An ergo offensio & Bellum fuit antea?
Resp. Maximè: Bellum fuit antea, & Discordia summa,
inter nos, & Deum nostrum. Etenim,
Rom. 5. 10. *Inimici Dei eramus: Propter peccatum scil. Nam,*
Esa. 59. 2. *Iniquitates vestrae disterminant, inter vos, & Deum*
vestrum; & Peccata vestra faciunt, ut occultet faciem suam à vo-
bis, inquit Propheta: Et Paulus,
Eph. 2. 12. 13. *Eramus extranei, quoad pactorum promissiones,*
spem non habentes, & absque Deo in mundo: Longinqui:
Col. 1. 21. *Abalienati, & hostes, mente operibus malis intenti.*

ampl. Considerate quæso hoc Bellum spirituale, Auditores:

Ira Dei adversum nos castra movet: nam,

Qui manet in peccatis suis, super eum manet *Ira Dei*, Joh. 3. 36.

Atqui, semper peccamus; semper igitur manet super nos *Ira Dei.*

Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, Rom. 3. 12.

Errores quis intelligat? Psal. 19. 13. &c.

Lex Dei, Dux est in hoc bello, & quidem primarius,

Gerens in vexillo suo illa verba, Deut. 27. 26. Gal. 3. 10.

Maledictus, qui non præstat verba Legis, faciendo ea.

Symbolum ejus hoc est, quod dat inter suos, ex Deut. 24. 16.

& Ezech. 18. 20. *Anima que peccat, ipsa morietur.*

Peccatum, Dux est in castris nostris: nam,

Penes nos est Peccatum, & pudor faciei, Dan. 9. 8.

Quodnam verò est *Stipendium Peccati?* *Mors:* Rom. 6. 23.

Conscientia nostra inflat tubas transgressionum nostrarum, &

Suggerit illud, Prov. 16. 14. Ira regis, nuncius mortis.

Diabolus, falsus nuncius est, inequitans castra peccatorum nostrorum;

Annuncians, paratum esse Deum, ad nos invadendos,

& funditus extirpandos, propter peccata nostra.

Ipsè est Explorator in castris nostris; imò Delator,

Accusans nos, in conspectu Dei, die ac nocte, Apoc. 12. 10.

Infernus, & Mors, parati sunt, hiantque ingenti rictu,

ad nos absorbendos & deglutiendos, postquam victi sumus.

a) opp. O infelix bellum! ô hostilitatem tremendam!
 Quò nos vertamus? quid consilii? quodnam effugium?
 Eja adest Euangelium, annuncians lætam Pacem:
 Imò illam Pacem,

test. Quam nobis annunciant Angeli, è cælo, Luc. 2. 14.

Gloria in excelsis Deo, Pax in terra, hominibus Benevolentia.

Quam Paulus initio epistolæ hujus precatur, Rom. 1. 7.

*Gratia sit vobis, & Pax, à Deo Patre nostro, & à Domino Je-
 su Christo.* Sic ubique, in reliquis epistolis, 1. Cor. 1. 7. &c.

Quam Johannes precatur Ecclesiis, Apoc. 1. v. 4. & seqq.

*Gratia sit vobis, & Pax, à Qui est, & Qui erat, & Qui fu-
 turus est; & à Spiritu S. qui in conspectu throni ejus est; & à
 Jesu Christo, qui est fidus ille testis, &c. Amen.*

Qualem nos vobis, jussu Dei, precamur, Num. 6. 24. 25. 26.

Benedicat vobis Dominus, & custodiat vos:

Illuminet faciem suam vobis, & gratiam faciat vobis:

Attollat Deus faciem suam erga vos, & det vobis Pacem:

(ubi per *Pacem* intelligitur omnis generis benedictio,
 non tamen exclusâ hac præcipuâ *Pace* spirituali.)

Non qualem mundus dat, sed qualem Christus, Joh. 14. 27.

Pacem relinquo vobis, Pacem illam meam do vobis:

Non sicut mundus dat, ego do vobis: quomodo ergo?

Ne turbator cor vestrum, neque formidato.

De qua Pace Paulus Apostolus alibi etiam testatur,

Rom. 14. 17. *Non est regnum Dei, Esca & Potus;*

sed Justitia, & PAX, & Gaudium per Spiritum S.

Phil. 4. 7. *PAX illa Dei, quæ exsuperat omnem mentem, præ-
 sidio custodiat corda vestra, & mentes vestras, in Christo
 Jesu.*

v) Usus. (Doctrina est, ipsa Exegetis.) O Anima pia ac fidelis,

thes. Quam potes hac consolatione habere majorem, meliorem?

decl. Ira Dei, Lex Dei, Peccatum, Conscientia tua, Diabolus,

Infernus, & Mors æterna, te territant simul omnes: &

Clamant tantummodò Bellum, Arma, Mala cuncta:

Euangelium autem contrà, & doctrina de Justificatione,

Consolatur te, & annunciat Pacem, omniaque pacifica; nam,

Postquàm sumus *Justificati ex Fide*, (inquit Paulus,)

Pacem habemus cum Deo, per D. N. J. Christum.

II. Unde.

II. Unde hæc Pax oriatur?

Text. Paulus ait; *Iustificati ex Fide*, Pacem habemus cum Deo.

Exeg. (quæ est ipsa Doctrina.) Unde videmus,

thes. Extra iustitiam Fidei, hanc Pacem nusquam reperiri.

comp. Quærunt quidem multi Pacem & Tranquillitatem animi,

In hoc Mundo: Sed mundana Pax vix unquam reperitur;

Si inveniatur, inconstans est, nec diu durabilis.

Laudatur quidem ea, quòd sit *Triumphis innumeris potior*;

& exoptatur, *Pacem te poscimus omnes*;

Sed, ut dixi, Inconstans est; ob inconstantiam hominum,
variaque discordiarum & inimicitiarum semina.

In Divitiis: At frustra; Pax & tranquillitas in illis nulla.

Avari animus nunquam est quietus; semper plura expetit:

Quò plura habet, eò plura petit; quadratque in eum hoc:

Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Conscientia eum sæpius vexat, & inquietat,

quòd pleraque, quæ habet, malè sint parta.

Denique, videt sibi omnia esse relinquenda, post mortem:

Psal. 49. 18. Non enim in morte sua assumpturus est quicquam.

Psal. 39. 7. Congregat, sed nescit, quis recepturus sit ea.

Hoc quoque angit & excruciat Divites.

In Honoribus: At nec in illis inveniunt, quod quærunt.

In quanto altiori gradu honorum versantur,

tantò majoribus tremoribus sunt subjecti;

semper somniant, de volubilitate Fortunæ.

Vident etiam, quòd *Mors sceptris ligonibus aquat*;

& moriendum sibi tandem esse, *Psal. 39. 13.*

Hinc semper irrequieto sunt animo.

In Voluptatibus hujus mundi; præsertim *Ebrietate*:

Multi putant, se Ebrietate oblituros malorum;

at deceptos se inveniunt, quia hoc medio animus,

non solum non quietatur, sed & magis inquietatur:

estque perinde, ac si oleum camino affundant.

Libidine etiam, & deliciis, non expletur, sed exhauritur animus:

Hos. 4. 11. Scortatio, vinumque, & mustum, intercipit mentem.

In Atheismo: putantes, se non posse esse tranquilliores,

quàm excussâ omni Religione, ut mentis Carnificinâ.

At & hi tandem se deceptos invenient, conscientiam evgilante.

3) *In Meritis operum*: ut, Phariseus ille superbus, *Luc. 18. 11. 12.*
 item, Philosophi, summum bonum in actione virtutis statuentes:
 item, Monachi, Papistæ, cœlum operibus mereri satagentes.
 Sed & hi deceptos se invenient, nec verè pacificabuntur: nam,
 Quia animadvertunt quotidie, adeoque experiuntur ac sciunt,
 se non posse esse perfectos in hac vita, quicquid agant;
 Quomodo igitur possunt in conscientiis suis tranquillari?

4) *opp.* Hasce erroneas opiniones omnes refutat Apostolus Paulus,
text. Dum ait; *Iustificati Fide*, Pacem habemus cum Deo.
rat. *Fides* enim perfectè potest conscientias tranquillare.

decl. Etenim,

Ira Dei castra movet, ac minitatur pœnam debitam:

Fides nunciat, *Iram Dei* jam evanuisse, ac sedatam esse.

Lex Dei, annunciat Maledictionem:

Fides verò contrà, annunciat Benedictionem.

Peccatum paratum est, cum suo Stipendio, Morte scilicet:

Fides distribuit Vitam æternam, ut donum Dei, *Rom. 6. 23.*

Conscientia nostra, testatur de Peccatis nostris:

Fides testatur, de Misericordia Dei, & Remissione peccatorum.

Diabolus accusat nos, de Peccatis nostris:

Fides absolvit nos, per Sanguinem Christi, *Rom. 3. 25.*

Infernus, & Mors, dilatant fauces suas, ad nos deglutiendos:

Fides fauces illas calcando claudit, cœlum recludit.

5) *Ufus.* (*Doct. est ipsa exeg.*) O Anima turbata ac sollicita,

thes. Quæ Consolatio major ac melior tibi contingere potest,

quàm hæc ipsa, quam suppeditat *Fides* in Christum?

decl. *Ira Dei*, *Lex Dei*, *Peccatum tuum*, *Conscientia tua*, *Diabolus*,

Infernus, & Mors æterna, territant simul omnes,

Clamantque, *Bella, Arma*:

Fides autem clamat *Pacem*, dulcissimam *Pacem*.

Postquàm enim sumus *Iustificati ex Fide*, (inquit Paulus)

Pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum J. Christum.

rest. Hic verum fit illud, quod canitur ex *Psal. 85. 9.*

Jehova eloquitur *Pacem*, erga populum suum: & *vers. 11. 12.*

Benignitas & *Fides* occurrent inter se,

Iustitia & *Pax* osculabuntur se;

Fides è terra germinabit, & *Iustitia* è cœlis prospectabit.

Hæc est *Fides illa Dei*, quam apprehendit nostra *Fides*.

III. Per

III. Per quem haec Pax procuretur?

Text. Docet idiplum quoque Paulus in verbis textûs prælecti, ubi ait;

Per Dominum nostrum Iesum Christum, Pacem illam habemus.

Test. Ille enim est, qui nos reconciliavit Deo, per Mortem suam, quum
essemus Inimici, Rom. 5. 10. Mortuus, pro nobis peccatoribus, verl. 8.

Ille est unicus ille Mediator inter Deum & homines; qui sese ipse dedit
vires, redemptionis pretium, pro nobis, 1. Tim. 2. 5. 6.

Ille est, qui fecit Pacem, per Sanguinem crucis suae, ut reconciliaret
omnia, tum quae in terra, tum quae in caelis sunt, Col. 1. 20.

Ille est, cujus Sanguis potiora clamat, quam sang. Abelis, Heb. 12. 24.
Sanguis Abelis clamabat Vindictam, Gen. 4. 10.

Sanguis Christi clamat Pacem: nam Sanguis Iesu Christi, Filij
Dei, purgat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. 7.

Ille, inquam, est, qui Veniens euangelizavit Pacem, Eph. 2. 17.

qui est Pax nostra; qui utraque fecit unum, & intergerini parietis
septum solvit, inimicitias abolitis, Ibid. v. 14.

Ille est, qui suis fidelibus Pacem dedit, non prout mundus dat;

sed istam, No turbator cor vestrum, neque formidato, Joh. 14. 27.

Quique dicit, Joh. 16. 33. Haec loquutus sum vobis, ut in me Pacem
habeatis: quiq; dixit, Joh. 20. 19. 26. Luc. 24. 36. 38. Pax vobis:

Quid turbati estis? quare disceptationes subeunt corda vestra?

Ille est, à quo Paulus initio epistolarum suarum Pacem precatur;

A Domino Iesu Christo scilicet: qui est

Princeps Pacis; ut vocatur, Esa. 9. 6. Et

A Patre; qui est, Deus Pacis, 1. Thess. 5. 23. Heb. 13. 20.

& Dominus Pacis, 2. Thess. 3. 16.

Doct. Quapropter, qui Patrem habet, qui Christum habet,

thes. Is veram Pacem habet; etsi omni pace mundanâ destitutus.

ant. Contrà, qui non est in Christo Iesu,

Is nunquam in conscientia sua potest tranquillari; &

Licet per totam vitam suam in pace mundi confideat,

tamen aeternâ Pace carebit.

test. Imò, Christus est verus Princeps Pacis, & Pater aeternitatis;

qui nobis aeternam Pacem conciliavit, Esa. 9. v. 6. item,

vers. 7. Amplitudini illius Principatus, & Paci nullus erit

finis: durabit ea in omnem aeternitatem.

Christus est, qui nos armat, præparatione Euangelii pacis, Eph. 6. 15.

qui dat Pacem Dei, quae exsuperat omnem mentem, Phil. 4. 7.

) decl.

1) *decl.* Considerate hanc Pacem Christi, Auditores.

Ira Dei movet castra, adversum nos, & adversus peccata nostra:

Christus se medium interponit, inter Deum & Homines.

Lex Dei maledictionem contra nos fert, ex Deut. 27. 26.

Christus nos redemit à maledictione Legis; dum pro nobis factus est maledictio, Gal. 3. v. 10. & 13.

Peccatum nos in servitutem redegerat, Rom. 6. 17. 20.

Christus verò, *Filius Dei*, nos in libertatem vindicavit, ut verè liberi simus, Joh. 8. 36.

Imò, per mortem suam liberos fecit, quotquot metu mortis per omnem vitam, damnates erant servitutis, Heb. 2. 15.

Conscientia nostra, producit chirographum peccatorum:

Christus chirographum illud transfixit, & Cruci affixit, adeoque è medio sustulit, Col. 2. 14.

Diabolus accusat nos in conspectu Dei, die ac nocte, Apoc. 12. 10.

Christus, per mortem suam, abolevit eum, penes quem erat potestas mortis, hoc est, *Diabolum*.

Infernus, & *Mors aeterna*, contra nos dilatant os suum:

Christus est *Dux & Princeps Vita*, Act. 3. 15.

Per quem Deus nobis dedit victoriam, ut possimus dicere;

Ubi tua, o Mors victoria? Absorpta est Mors, ad victoriam:

Ubi tuus, o Inferne, aculeus? 1. Cor. 15. 54. 55. 57.

2) *Usus.* O Anima afflicta & turbata, huc attende:

thef. Quæ major Consolatio tibi potest accidere, quàm ista,

Christum tibi Pacem conciliasse, Pacem conscientiae restituisse;

decl. *Ira Dei*, *Lex Dei*, *Peccatum tuum*, *Conscientia tua*,

Diabolus, *dominus mortis*, *Mors ipsa aeterna*,

Infernus & *Damnatio aeterna*, in te conspirant omnes.

Christus autem, *Dominus Pacis*, adest, *Pacem faciens*, &

Adducit *Pacem*, *charam illam* & *suavem Pacem*,

imò, *aeternam Pacem*:

ut nunc certi simus, contra omne *Bellum*,

Irae Dei, *Legis*, *Peccati*, *Conscientiae*,

Diaboli, *Inferni*, & *Mortis aeternae*.

concl. Annon lataremur animitus, hoc *Pacificatore*?

Certè, læti hunc *Pacificatorem* excipiamus:

Pacem etiam intra corda nostra recipiamus,

& *pacificè* cum *Proximo nostro* vivamus.

PARS II.

P A R S II

Privilegium & Certitudinem Pacis hujus quod attinet,

Text. Ità pergit Apostolus, in textu; *Per quem* (Christum scil.) *etiam fide*
aditum habemus in hanc gratiam, per quam stamus.

Part. Quibus verbis duo insinuat Apostolus Paulus,

1. Privilegium Pacis; *Aditum in Gratiam;*
2. Certitudinem Pacis; *In qua Stamus.*

Traët. Paucis etiam utrumque consideremus:

I. *Privilegium Pacis.*

Text. *Per quem* (Christum sc.) *etiam Fide Accessum habuimus,*
 (τὸ πρὸς πατέρα ἐρχόμενοι,) *in hanc Gratiam.*

Exeg. Hoc vult dicere Apostolus, Christum, in quem credimus,
 Non solum Pacem fecisse, inter nos & Deum;
 Sed etiam liberum ad eundem fecisse *Accessum, (Aditum,)*
 sive, Fide nos adduxisse, *in illam Gratiam.*

Doct. Hoc sanè singulare est Privilegium.

comp. Multis Subditis pax est cum suo Principe:

At non continuò liber illis est accessus ad Principem.

Qui autem hanc Pacem spiritualem consequuti sunt,

Illi adducuntur in Gratiam Dei reconciliati;

Adeò ut pateat illis liberrimus ad Deum accessus.

text. Ut hìc dicitur, in textu; *Per quem etiam fide habuimus,* (imò, &
 jam habemus, & semper,) *aditum in hanc Gratiam.*

test. Idem expressit & alibi Paulus, (retentâ voce πρὸς πατέρα,))

Eph. 2. 18. *Quoniam utrique, per Christum, habemus aditum,*
 (seu, accessum, adductionem, per unum Spiritum, ad Patrem.)

Eph. 3. 12. *In Christo habemus libertatem, & Aditum, cum*
fiducia, per Fidem ipsius.

rat. Nec sinè ratione: Christus enim est,

Ostium illud Oviium, Joh. 10. 7. conf. v. 9.

Via: nemo venit ad Patrem, nisi per ipsum, Joh. 14. 6.

Advocatus ille noster apud Patrem, 1. Joh. 2. v. 1.

qui pro nobis interpellat, Rom. 8. 34. Heb. 7. 25.

qui pro nobis compâret apud faciem Dei, Heb. 9. 24.

Velum illud; per quod habemus libertatem ingrediendi Sacra-
rium, per Sang. Jesu, câ viâ, &c. Heb. 10. 19. 20.

*) *Usus.* (duplex, 1. *Refutatorius*, 2. *Admonitorius.*)

1. *Ref.* Errant proinde Pontificij;

err. Qui per alios aditum ad Deum quærunt, ac Christum solum; putà, per Mariam, matrem Christi; itèm, per Angelos, aliosque Sanctos.

fund. Dicunt; non decere, ad ipsum Christum statim irruere, Deumque. Si ad Principem aliquem terrenum eatur, priùs compellari alios, qui aditum faciant: Sic ad Deum, ad Christum ipsum, non licere irruere, sinè internunciis commodis, viam præparantibus.

resp. Quin è contrario id maximè decet:

Deus enim nos, ad se vocat ipsum; ut Psal. 50. 15.

Invoca me tempore angustia, eripiam te, ut honores me.

Sic quoque, Psal. 91. 15. & alibi, passim.

Si tamen velimus Mediatore uti, apud Deum, ut convenit;

Unus est Mediator Dei & hominum, Christus, 1. Tim. 2. 5.

Ille est Advocatus noster apud Patrem; qui ipse est & Propitiatio pro peccatis nostris, 1. Joh. 2. v. 1. 2.

Hic honor nulli alij debetur, quam Christo, *per quem habemus aditum in hanc gratiam, ut in textu, &c.*

comp. Si Princeps aliquis nos ad seipsum vocaret, non opus esset alios *πεποινημένους* compellari.

Atquè Christus nos ad Se vocat, blandissimis verbis,

Matt. 11. 28. Venite ad me omnes, qui fatigati estis, & onerati;

ego reficiam vos. Non dicit, Venite ad meam Matrem, ad Sanctos:

sed, *Venite ad ME, EGO reficiam.*

Cur ergo hunc honorem alii deferremus?

2. *Adm.* Quapropter, Auditores, si sumus afflicti, sub cruce,

thes. Ad ipsum Deum accedamus; ad Christum, & per eum solum.

test. Heb. 4. 16. *Accedamus igitur ad thronum gratia, cum libertate; ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus, ad opportunum auxilium.*

Heb. 6. 18. 19. 20. *Ut validam consolationem habeamus Nos, qui cursum eò corripuimus, ut Spem propositam retineamus, (Fidem sc. illam, quâ habemus aditum ad hanc gratiam; ut est in textu:)*

Quam Spem, velut animæ ancoram habemus tutam ac firmam, & ingredientem usque in ea, quæ sunt intra Velum; Quò præcursor pro nobis ingressus est, Jesus.

II. Certis-

II. Certitudinem Pacis quod attinet,

Text. De hac ita Paulus; In hanc gratiam, in qua Stamus.

Exeg. In gratia stare est, De gratia certum esse.

par. Ut & Rom. 11. 20. Tu verò per fidem stas. Itèm,

Act. 26. 22. Auxilium à Deo nactus, perstiti in hunc usque diem.

caus. Stamus autem in Gratia Dei,

non nostris viribus, nostrisve meritis;

sed Fide: hoc est, Gratiâ Dei, Merito Christi, Ope Sp. S.

quibus innititur Fides nostra.

test. 1. Cor. 15. 10. Gratiâ Dei sum id, quod sum, & c.

Joh. 10. 28. 29. Oves meae non peribunt, inquit Christus,

Neque rapiet eas quisquam, è manu mea:

Neque quisquam potest eas rapere, è manu Patris mei.

Joh. 15. 5. Sine me nihil potestis facere, ait idem Christus.

1. Pet. 1. 5. Qui virtutis Dei presidio custodimini, per Fidem, ad salutem, paratam revelari praestituto tempore.

Eph. 1. 13. Per Euangelium etiam, posteaquam credidistis, obsignati estis Spiritu illo promissionis Sancto: Qui est arrhabo (seu, pignus) hereditatis nostrae. Sic quoque,

2. Cor. 1. 21. 22. Qui nos confirmat in Christum, & qui unxit nos, Deus est: Qui etiam obsignavit nos, indiditque arrhabonem Spiritus, in cordibus nostris. Sic, 2. Cor. 5. 5.

Doct. Disce igitur hîc,

thes. Fideles in Gratia Dei Stare, h. e. Certos esse;

nec vacillare, aut excidere posse.

obj. At Paulus ait, 1. Cor. 10. 12. Qui stat, videat ne cadat.

Videtur igitur, non tam firmiter stare fideles;

Quin possint etiam cadere.

resp. Cadunt quidem Fideles, sed non excidunt gratiâ Dei: ut,

Psal. 37. 24. Justus quidem cadit, sed non dejicitur;

quia Jehova sustentat manum ejus.

Prov. 24. 16. Septies cadit justus, exsurgit tamen.

Septies, hoc est, Sæpius: Conf. Luc. 17. 4. Matt. 18. 21. 22.

Salutem quidem suam conficiunt cum timore & tremore;

ut monentur, Phil. 2. 12. Sed, Persuasum habent,

Deum in ipsis efficere & Velle & Perficere, ut Ibid. dicitur:

Eundem etiam quod incepit bonum opus in ipsis, perfecturum

usque ad diem Jesu Christi, ut ibid. Phil. 1. 6.

- 1) *Ufus. (refutationis)* Errant proinde Pontificii,
err. Dicentes; Dubitandum esse de Gratia Dei.
ref. Quomodo hoc ipsum consistere potest, cum eo? quod Paulus ait.
 Hic in textu; *Stamus in Gratia Dei.*
 Itèm, 2. Tim. I. 12. *Novi, cui crediderim, & Persuasum mihi est, eum posse depositum meum in illum diem custodire.*
 Itèm, Rom. 8. 38. 39. *Persuasum mihi est, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque Principatus, neque Potestates; neque presentia, neque futura; neque sublimitatem, neque profunditatem; neque ullam aliam creaturam, posse Nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.*
exc. At inquit, Paulo extraordinariam revelationem factam, ex qua certior ipse potuerit esse: Nostram verò aliam esse rationem, nec posse idem pariter de omnibus dici.
Resp. Verùm satis constat, Paulum id de se solo non dixisse, sed de omnibus credentibus; quia dicit, non posse hæc omnia Nos separare à charitate Dei: Non ME, sed NOS.
 Sic in textu dicit; *In qua gratia Stamus:* non ego, sed nos omnes. Scribit enim hæc ad Romanorum consolationem; Proinde, eosdem his verbis vult consolari, expressè dicens, *Stamus, non ego solus, sed omnes credentes, in gratia Dei.*
inst. At inquit porrò;
 Si tam firmiter stant fideles in gratia Dei,
 Cur Apostolus Paulus alibi tam sollicitè monet?
 I. Cor. 10. 12. *Qui stat, videat ne cadat.*
 Rom. 11. 20. 21. *Illi rami defracti sunt, per incredulitatem; Tu verò per fidem stas: Ne effertor animo; Sed Metue, ne tibi quoque non parcat.*
Resp. His admonitionibus Apostolus, ut & reliqua Scriptura, utitur, ad nos firmandos & stabiliendos. Etenim,
 Per nos quidem satis infirmi sumus, & labiles in horas:
 Sed Dei gratia vincit nostram infirmitatem. Itaque,
 Non est quæstio, *An possimus labi?* sed, *An labamur?*
 Sitne gratia Dei potentior nostrâ infirmitate? 2. Cor. 12. 9.
concl. Sed in hoc ipso nos non amplius detinebimus:
 Jaceant Papistæ in sua dubitatione, siquidem iis ita videtur;
 Nos verò, cum Apostolo Paulo, & cum omnibus fidelibus,
Stabimus firmi & immoti in Gratia Dei.

CONCL

C O N C L U S I O.

R. Concludamus igitur nunc: Audivistis, Auditores,

1. De Pace; fructu Justificationis ex Fide:

Qualis sit illa? Spiritualis, quam habemus cum Deo.

Unde oriatur? Ex Fide justificante.

Per quem procuretur? Per J. Christum, Dominum nostrum.

2. De Privilegio, & Certitudine hujus Pacis:

Per quam habemus *Accessum* in hanc gratiam;

In qua gratia *Stamus*, & perseveramus.

C. Tria sunt, quæ miserum peccatorem variis modis angunt:

Primò, etsi scit, Christum pro peccatis ipsius esse mortuum;

tamen sollicitus est, de peccatis ulterioribus.

Deinde, cogitat, Deum esse Ignem consumentem, inaccessibleem;

ad quem non detur, sine periculo, accessus.

Denique, subrepunt sæpissimè hæ cogitationes;

quid si Deus cum gratia sua à me discederet?

Paulus, fidelis Christi Apostolus, Peccatorem consolatur,

in jam explicatis verbis, ad illas tres tentationes omnes;

atque eundem quasi his verbis alloquitur:

1. Si superest in te infirmitas, ne abjice animum;

Habemus enim jam *Pacatum* Deum:

Nihil, jam est periculi, Pace reductâ.

2. Ne etiam cogita, Deum etiamnum iratum esse; quia

Reconciliatus jam es ei, per Christum: per quem, si

Accedas ad Deum, accedes non ad Ignem consumentem;

sed tanquam ad propitium & benignum Patrem.

3. Ne timeto denique, fore periculum, ut excidas gratia Dei;

Nam *Stas in gratia Dei*, idque per gratiam Dei:

Ille te sustentabit, & confirmabit.

V. Ille nos sustentet & corroboret in Gratia illa, in qua *Stamus*,

ad finem miserrimæ hujus vitæ usque,

imò, in omnem sinè fine æternitatem:

Illi Deo nostro, Patri, Filio, & Spiritui Sancto,

Deo illi unico & æterno, clementissimo, optimo, sit

Laus, honor, & gloria, in sempiterna secula,

Amen, Amen, Amen.

C O N C I O XL.

De Gloriatione Fidelium.

TEXTUS, Rom. V. vers. 2--5.

Et gloriamur sub spe gloriae Dei: neque id solum, sed etiam gloriamur de Afflictionibus: scientes, quod Afflictio tolerantiam efficiat; Tolerantia verò experientiam; Experientia autem spem: Porro, Spes non pudefacit.

E X O R D I U M.

GLoriationem fidelium aggredimur, hac vice explicandam.

Audivistis nuper, Paulum, in prima parte *Cap. V. ad Rom.* enarrare & declarare fructus ex Justificatione ortos:

Atque ejusmodi fructus duos esse;

1. *Pacem*, quam Justificati ex fide cum Deo habent;

per Dominum nostrum Jesum Christum:

2. *Gloriationem*, quam fideles justificati habent,

partim, de Spe futurae gloriae, à Deo dandae;

partim, de Afflictionibus hujus vitae temporalis;

partim, de Deo ipso; quem Deum suum esse,

Justificati ex fide, optimo jure gloriantur.

Primum fructum quod attinet, Pacem videlicet, informati estis nuper,

1. De Pace ipsa:

Non esse eam mundanam, sed spiritualement, cum Deo;

Oriri illam ex vera Fide, in nostris conscientiis;

Christum illam nobis acquisivisse.

2. De Pacis illius,

Privilegio: Habere nos, non solum Pacem cum Deo;

sed etiam liberum ad eundem *Accessum*,

per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, in fide.

Firmitate & Certitudine: *Stare* nos in gratia Dei.

Sequitur nunc, ut de altero fructu Justificationis agamus,

nimirum, de Gloriatione fidelium;

quae triplex est, (ut pag. seq.)

Gloriatio

Gloriatio fidelium Justificatorum triplex est: Gloriantur enim,

1. De Spe futuræ Gloriæ, à Deo dandæ;
2. De Afflictionibus hujus vitæ temporalis;
3. De Deo ipso; ut infrà, *vers. II.* Apostolus inquit,
Neque id solùm, verùm etiã gloriamur de Deo, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem recepimus.

P. Hac vice dicemus de Gloriatione fidelium, quam illi habent,

I. De Spe futuræ Gloriæ, à Deo dandæ:

II. De Afflictionibus vitæ hujus temporalis.

Tertiam Gloriationem, de Deo ipso, differemus in suum usque tempus, ubi ad *vers. II.* ex ordine explicandum pervenerimus.

V. Deus, in quo gloriamur, adsit nobis suâ gratiâ & Spiritu, ut duas istas priores consideremus, in suam gloriam, nostrique solatium: Idem largiatur nobis invictam conscientiam, & vires Spiritûs Sancti, ut in Afflictionibus hujus vitæ tale gaudium percipiamus, quod exsuperat omnem intellectum, quoad perveniamus ad speratam illam Gloriam vitæ æternæ: *Amen.*

P A R S I.

Principiò videndum nobis est, quid significet, *Gloriari?*

Præp. Gloriari est, de aliquo ingenti bono, quod habeas, vel certò speres, gestu & verbis lætari & exultare.

Talis Gloriatio duplex est, Carnalis, & Divina.

Carnalis ac mundana gloriatio vana est, & inconstans;

Quum quis gloriatur de re aliqua in mundo, extra Deum:

Proinde prohibetur ab Apostolo, ex Propheta, *1. Cor. I. 29. 31.*

Ut ne gloriatur ulla caro, in Dei conspectu: sed,

Qui gloriatur, in Domino gloriator.

De tali etiam gloriatione Paulus suprâ dixerat,

Rom. 3. 27. Ubi igitur Gloriatio? Exclusa est.

Divina verò gloriatio constans est, & vera Gloriatio;

Quum bonum, de quo quis gloriatur, verè bonum est, quumque illud verè possidet, & certò habet in Deo, illudque Deo soli acceptum fert.

De tali Gloriatione Paulus hîc in textu agit, dum ait;

Gloriamur sub Spe gloriæ Dei, (seu, à Deo dandæ:)

Neque id solùm, sed etiã gloriamur de Afflictionibus, &c.

a) Prop.

*) Prop. Primò igitur gloriamur, de Spe Gloriam futura, à Deo nobis danda.

Text. Ut Paulus ait; *Et gloriamur sub spe gloria Dei: (in' id' id.)*

Exeg. Lutherus hæc verba paraphrasticè, explicationis ergò, ità vertit;
thes. Gloriamur de Spe gloriæ futuræ, à Deo dandæ.

decl. Nam, intelligitur hîc per Gloriam Dei,

agr. Non illa Gloria, quam Deus in sese habet; de qua,

Pfal. 104. 1. *Jehova Deus mi, magnus es valde,*

Decorem & Majestatem induisti. Sic, Psal. 8. 2. 10.

Esa. 6. 3. *Sanctus, sanctus, sanctus est Jehova exercituum,*
implet totam terram Gloria ejus.

Sic. Sed illa Gloria, quam Deus fidelibus suis præparavit, de qua,
Rom. 8. 18. *Reor, minimè pares esse presentis temporis*
perpeffiones, Gloria in nobis revelanda.

2. Cor. 4. 17. *Illico prateriens levitas afflictionis nostræ, ex-*
cellenter excellentis Gloriæ pondus aterni conficit nobis.

lim. Hanc Gloriam nondum habemus, sed Spe possidemus:

Ideò non dicit Apostolus, Gloriamur de Gloria;

Sed dicit, *Gloriamur de Spe gloriæ Dei: (sub spe, in spe.)*

cond. Hæc verò Spes certa est, & constans ac firma;

Non inconstans ac vana, ut Humana spes,

quâ sæpè aliquid speratur & expectatur, at frustra:

Est enim hæc Spes Divina; quæ non pudefacit, ut *inf. v. 5.*

quâque jam *Servati esse* dicimur, *Rom. 8. 24.*

Doct. Discimus itaque ex his verbis Pauli Apostoli,

ant. Errare Papistas, qui dicunt,

Oportere nos metuere, & dubitare de Gratia Dei;

Non posse nos esse certos, de finali perseverantia.

Longè aliter hîc Paulus, *Gloriamur in Spe gloriæ Dei:*

Si gloriamur in ea, de ea, & sub ea, utiq; non dubitamus.

thes. Atque hac in re, sumus felicissimi omnium hominum;

Licèt illis miserrimi appareamus, spe illâ.

test. Unde Paulus Apostolus ait, *1. Cor. 15. v. 19.*

Si in hac solùm vita speraremus in Christum,

Miserrimi omnium hominum essemus: qui sumus felicissimi.

opp. Mundus gloriatur, de potentia, de honoribus, de divitiis,
de valetudine firma, de amicis, aliisque rebus:

Nos nihil tale jactamus, ut qui non sumus de hoc mundo; juxta

Joh. 15. 19. Non estis ex hoc mundo, sed ego elegi vos ex mundo.

*) subj.

subi. Interim non deest nobis materia gloriandi,
Non, de corruptibilibus bonis hujus mundi;
Sed, de Spe Gloriæ futuræ, & à Deo dandæ nobis.

obj. Qui carnaliter affecti sunt, censent hanc stultissimam esse gloriationem,
In media miseria gaudere; & gloriari de Gloria,
Quæ demum post hanc vitam sit revelanda & danda.

resp. Sed, quicquid rideat Mundus, verè bonum est, quo nos gaudemus:
Verèque futuri sumus heredes futuræ Gloriæ Dei; adeoque,
Rectè gloriamur, de ventura in nostandem illa gloria.

Etenim, ut ait Apostolus, 1. Joh. 3. 2. 3. *Nondum quidem manifestum factum est, quod erimus: Scimus autem fore, ut quum ipse factus fuerit manifestus, similes ei simus; quoniam videbimus eum, sicuti est. Et hanc Spem habemus in eo sitam, &c.*

sim. Quum nobilium potentium ac divitum filij peregrinantur,
Atque in peregrinis locis, à patria semotis, versantur,
audiuntque, multos illius regionis incolas variè se jactantes,
ac gloriantes, hunc de his, alterum de aliis rebus;
peregrinosque omnes præ se despicientes:
Taciti rident isti peregrinantes, seque consolantur, quia sciunt,
Apud suos parentes, in patria, sibi tantas opes esse,
Quæ ne quidem in comparationem debeant venire,
cum illis opibus, de quibus incolæ isti gloriantur.

Sic nihil morantur filij Dei, qui in hoc mundo peregrinantur,
& extra suam patriam cœlestem absunt;

Rident jactantiam impiorum in hoc mundo,
qui gloriantur propter singularem illam felicitatem,
quam ipsi possident in temporali hac vita.

Sciunt enim, & ex Verbo Dei didicerunt,
Temporalem felicitatem vanam esse, & evanidam,
atque terminandam æternis ærumnis & mileriis:

Se verò contrà habere *Hereditatem,*
incorruptibilem, incontaminatam, immarcescibilem,
quæ ipsis servatur in cœlis, 1. Pet. 1. v. 4.

Hac sese consolantur, & dicunt cum Paulo, 2. Cor. 5. v. 1.

Scimus, nos, si terrestris hujus domus nostræ tabernaculum dis-
solutum fuerit, ædificium ex Deo habituros; domicilium, non
manu factum, sed æternum in cœlis. Et, vers. 6. 8.

Scimus, nos, dum adsumus in corpore, peregrinè abesse à Domino, &c.

v) Usus. Respice & perpende hanc cœlestem Hereditatem, ô Christiane,
cas. Contemplare æternū hoc Domiciliū, in omnibus hujus vitæ malis:
 quum pauper es, inops, & derelictus;
 quum æger es, invalidus, & infirmus;
 quum contemptus es, oppressus, & rejectus;
 quum tristis es, & sine consolatione hominum;
 quum hostis invadit, teque spoliat tuis bonis;
 quum hæc vita relinquenda, tibi que moriendum est.

thes. Imò, Gloriare, in media
 Paupertate, de Cœlestibus divitiis & thesauris;
 Infirmitate, de Potentia Dei, in infirmis efficace;
 Ignominia, de Spe Gloriæ futuræ, tibi à Deo dandæ;
 Tristitia, de Gaudio cœlesti, & æterna Consolatione;
 Spoliatione, de Hereditate æterna & incorruptibili;
 Morte, de Vita æterna, beata, ac gloriosa.

rat. Certè, qui credit, se esse justificatum Fide,
 eaque fundatâ in solo Merito Christi, meraque Dei Gratia;
 ille de his omnibus verè gloriari potest, & dicere,

test. Cum Apostolo Paulo, 2. Cor. 4. v. 7-10.
Habemus thesaurum hunc, in testaceis (fragilibus) vasculis;
ut hæc hujus potentie supereminentia sit Dei, & non ex nobis:
Dum in omnibus affligimur, at non coarctamur;
hesitamus, at non prorsus hæremus:
Persequutionem patimur, sed in ea non deserimur;
dejicimur, at non perimus:
Quolibet tempore mortificationem Domini Jesu Christi
in corpore nostro mortali circumferimus,
ut etiam vita illa Jesu in corpore nostro manifesta fiat.

Cum Davide, Psal. 23. v. 4. & 6.

Etiam quum ambularem per vallem lethalis umbræ,
non timerem malum, quia tu ô Deus mecum es;
Scipio tuus, & Pedum tuum, ipsa consolantur me.
Nihil nisi bonum & benignitas prosequuntur me, omnibus die-
bus vitæ meæ; & requiescam tandem in domo Dei, æterna
illa ac cœlesti cum primis, in longitudinem dierum, imò in
omnem æternitatem.

trans. Atque hæc est prima gloriatio, de Spe futuræ Gloriæ Dei:
 Sequitur altera, quæ est de Afflictionibus hujus vitæ.

P A R S II.

Secundum quod attinet, *Gloriationem de Afflictionibus*,

Prop. Proponit Apostolus Paulus, de illis,

1. Gloriationem ipsam;
2. Gloriationis illius causam.

Tract. Utrumque ex ordine consideremus.

I. *Gloriationem ipsam* quod attinet,

Text. Sic dicit Paulus, in textu prælecto; *Neque id solum, sed etiam gloriamur de Afflictionibus: (vel, in Afflictionibus.)*

Exeg. *Neque id solum*, inquit, h. e. non gloriamur tantummodo, *thes.* De spe Gloriæ Dei; *sed etiam de Afflictionibus.*

obj. Objiceret enim aliquis; Quid juvat hoc miseros homines, Habere amplissimas spes, Futuræ gloriæ, & de his gloriari, Interim esse miserrimos omnium hominum, in hoc mundo, & Cruce ac variis Afflictionibus opprimi?

resp. Respondet Paulus:

Non tantum gloriamur de Spe futuræ Gloriæ;
Sed etiam de Afflictionibus ipsis.

decl. Quasi dicat: Tantum abest, ut Afflictiones hujus vitæ Spem illam fidelium enervent & elidant;
Ut etiam de illis Afflictionibus ipsis gloriantur.

Doct. Hoc verò aliquid miri est,

ant. Quodque ratio humana non potest comprehendere, & homines mundani ac terreni derident.

decl. Nam, obsecrò, Ostende mihi aliquem Philosophorum, Eorum scilicet, qui tam multa de Summo bono scripsere; Qui Crucem, & Afflictiones hujus vitæ collaudarit, seque per illas felicem & beatum esse judicaverit: Neminem, puto, invenies.

thes. Solorum hoc est Christianorum:

Hi soli gloriantur etiam de Afflictionibus.

exēp. Hinc Apostoli, cæsi à concilio Judæorum, Act. 5. v. 41.

Gaudentes profecti sunt à conspectu concilii, quòd essent Digni habiti, qui pro nomine Jesu contumeliâ afficerentur.

test. Hinc Paulus Apostolus ait, Gal. 6. 14. *Absit à me gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi.*

II. *Causam Gloriationis* quod attinet,

Prop. Cur gloriantur Fideles in Afflictionibus, & de Afflictionibus?

Quia sciunt, non exiguos fructus inde ad se redire,

Text. Audi hac de re Paulum: *Scientes, quod Afflictio tolerantiam efficiat;*

Tolerantia verò experientiam; Experientia autem spem:

Porro, Spes non pudefacit.

Exeg. Attende hinc ad singula verba:

1. *Scimus*, inquit Paulus, & quidem,

mod. Non conjecturaliter, nec dubiè;

sed ex evidentibus causis, & certissimè: idque,

caus. Ex testimonio Spiritus Sancti; qui

Testatur unà cum spiritu nostro, nos esse filios Dei:

Quòd si filii, etiam heredes; heredes quidem Dei,

coheredes autem Christi: si modò cum eo Patimur,

ut etiam cum eo Glorificemur. Rom. 8. 16. 17.

test. De hac certa *Scientia* etiam Paulus agit,

Rom. 8. 28. *SCIMUS* autem, iis qui diligunt Deum,
omnia simul adjumento esse ad bonum.

Rom. 8. 38. *PERSUASUM* mihi est, neque mortem, neque vitam, neque &c. (ut sup. pag. 436.) posse nos separare, à
Charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

2. Cor. 5. 1. *SCIMUS* enim, si terrestris hujus domus nostræ
tabernaculum dissolutum fuerit, nos ædificium ex Deo habituros, domicilium videlicet, non manu factum, sed æternum in cælis. Sic vers. 6. 11. Scimus, &c.

2. Tim. 1. 12. *SCIO*, cui crediderim, & *PERSUASUM* mihi est, eum posse depositum meum custodire, &c.

2. *Quòd Afflictio, &c.*

dist. Afflictiones dupliciter considerantur:

Natura suâ, & per se, sunt malæ & dolorificæ,

atque propter peccata immittuntur:

Impiis quidem, in pœnam, & ad desperationem;

Piis verò, in castigationem, & ad salutem.

Per accidens verò sunt bonæ, Piorum scilicet illæ;

idque per misericordiam & gratiam Dei,

qui illas eò dirigit, ut piis valde sint utiles.

concl. Ideoque de illis non immeritò gloriantur pii, quia sciunt,
Non exiguos eas fructus ipsis proferre: ut seq.

3. Sequuntur fructus quatuor, elegantissimè subordinati:

text. *Afflictio tolerantiam efficit; Tolerantia experientiam;*

Experientia spem; Spes verò non pudefacit.

decl. Hi sunt fructus Afflictionis, quos Apostolus Paulus elegantissime subordinat, quasi *Scalâ* ex illis factâ; concatenatque, quasi *Catenâ*, quatuor annulis constante.

par. Perinde alibi *Catenam Salutis* connectit, Rom. 8. 29. 30.

Quos Præscivit (vel, prædecrevit,) eos etiam prædestinavit conformâdos imagini Filii sui, ut is sit primogenitus &c.

Quos verò Prædestinavit; eos etiam vocavit:

Quos Vocavit (donatâ fide;) eos etiam justificavit:

Quos autem Justificavit; eos etiam Glorificavit.

trans. Catenam fructuum Afflictionis, in seq. *Doct.* enodabimus.

1) *Doct.* Quinam ergo sunt Fructus Afflictionis?

part. Quatuor Fructus Afflictionis eleganter concatenat Apostolus.

I. *Afflictio efficit Tolerantiam.*

dist. Per *Afflictionem* intelliguntur omnis generis Mala hujus vitæ, qualiacunque ea sint, Corporis & Animi.

Quantquam cum primis hîc intelligatur illa Angustia, quâ afficiuntur fideles propter confessionem Euangelii.

text. De hac *Afflictione* Apostolus Paulus dicit, quòd

Efficiat Tolerantiam, sive Patientiam.

thes. Est ergo *Patientia* primus fructus Afflictionis.

decl. Non, quòd Afflictiones in se habeant hanc vim;

Sed, quòd iis Spiritus S. utitur, ad efficiendam Patientiam:

Idque ex consideratione Voluntatis Dei, ex verbo Dei.

test. Sciunt enim Fideles, Voluntatem Dei esse hanc, Act. 13. 22.

Oportere se per multas afflictiones introire in regnum Dei.

Oportet ità; propter consilium & voluntatem Dei.

Quapropter, quum invadunt eos Afflictiones variæ,

Patienter se Voluntati Dei submitunt,

Considerantes illud Apostoli, Heb. 10. v. 36.

Tolerantiâ vobis opus est, ut Voluntati Dei

obsequuti, reportetis promissionem illam.

sim. Porro, quò sæpius fideles Cruci submituntur, eò redduntur

ipsi patientiores: imò, per illam exercitationem tandem

Magistri fiunt in Patientia; quemadmodum

Artificium manuale addiscitur usu, & exercitatione.

II. *Tolerantia efficit Experientiam.*

sim. Quemadmodum Magister aliquis, artificium diu exercens, tandem in magnam experientiam venit:

Ita etiam Pii; postquam per multas Afflictiones acquisiverunt sibi Patientiam, postea, unâ & alterâ afflictione sustentatâ ac toleratâ, veniunt in magnam Experientiam.

test. De qua etiam Jacobus Apostolus testatur, Jac. 1. v. 3. 4.

Illud scientes, Explorationem fidei vestrae efficere Tolerantiam: Caterum, Tolerantia opus integrum habeto, ut sitis integri & toti, in nullo deficientes: experti scil. Dei gratiam.

decl. Experientia hæc efficitur à Patientia nostra, quâ experimur,

Quàm admirabilis sit Deus, in sua gubernatione;

Quàm mirabiliter suos probet, & exerceat;

Quàm mirabiliter ac potenter, suos defendat & liberet;

Quàm bonam intentionem habeat, in castigationibus suis.

exēp. Hanc Experientiam fatetur David, in Psal. 119. v. 71.

Bono mihi fuit, me affligi; ut discerem statuta tua.

III. *Experientia efficit Spem.*

decl. Hoc est, Memoria præteritæ liberationis, excitat Spem futuræ liberationis.

Quia enim experti sunt fideles, patiendo & perferendo mala,

Deum bonam intentionem habere, tandemque liberare;

Idcirco Spem etiam in futurum concipiunt, Deum se etiam in futurum tam clementem & sapientem præbiturum.

exēp. Prout David passim testatur in Psalmis suis: e. g.

Psal. 27. 9. *Auxilium meum fuisti, ne deseras me, ne derelinquas me, Deus salutis meæ.*

Ibid. v. 13. *Nisi crederem, (vel sperarem tot exemplis edoctus,) me fruiturum bonitate Jehovæ, (quâ hæctenus fui expertus.)*

Tandem igitur subjicit, versu ultimo, nempe

Ibid. v. 14. *Exspecta Jehovam, confirmare, & fortificabit animum tuum: Itaque expecta Jehovam, h. e. Spera in eo.*

test. Unde & in alio Psalmo dicit, nempe Psal. 2. v. 12.

Beati omnes, qui Sperant in eo. Itèm,

Psal. 118. 8. 9. *Melius est, sperare in Deo, quàm fiduciam habere in ullo homine: Melius est, sperare in Deo, quàm fiduciam habere in ingenuis. Unde autem hæc Spes Davidi orta fuit?*

Ex Experientia: ut testatur ipse, in vers. seqq. 10—19.

IV. *Spes*

IV. *Spes non pudefacit.*

dist. Duplex est Spes, Mundana & Divina; ut & *sup.*

Mundana sæpè pudefacit, quia nititur lubrico fundamento,
Vel, Promissis hominum; vel, Propriâ opinione.

At Hominibus nihil est mutabilius, aut instabilius: ut,

Pfal. 62. 10. *Tantummodo vanitas sunt, nati plebejo ho-*
mine; mendacium sunt, nati præstante viro: Lancibus
simul impositi illi, ascensuri essent super vanitatem; hoc
est, leviores ipsâ Vanitate.

Pfal. 146. 3. 4. 5. *Ne fiduciam habetote in ingenuis,*
in ullo filio hominum, penes quem nulla est salus.

Exit spiritus eius, revertitur in terram suam,
die eodem pereunt omnes cogitationes eius. At,

Beatus, cui auxilium est Deus, cujus Spes est,
in Jehova Deo suo. Hæc est Spes divina, quæ sequitur:

Divina nunquam pudefacit: de qua Paulus in textu;

text. Spes non pudefacit: scilicet, Divina Spes non pudefacit; hoc est,
decl. Nunquam ea est frustranea, sed certa:

quia nititur firmo ac stabili fundamento; scilicet,

Verbo Dei, & certitudine Fidei, quâ Spiritus Sanctus obsignat
in cordibus nostris, ut est in verbis textum sequentibus.

Nunquam (inquam) hæc Spes, vana est & frustranea, sed certa;

quia nititur Promissione & Potentiâ Dei: ut in citato illo psal.

Pfal. 146. 5. 6. *Beatus, cujus spes est in Jehova Deo suo:*

Qui fecit cælos & terram, mare, & quicquid est in eis;
qui servat fidem in seculum.

Ecce, hoc fundamentū hujus Spei, in Deo locatæ: nempe,

Potentia Dei Creatoris, & Veritas ac fides ejus in promiss.

rest. De Spe humana verum est illud Rabsakæ, 2. Reg. 18. 21.

Ecce, fiduciam habebis in scipione arundineo, quo si quis innixus
 fuerit, intrans volam ejus, perforabit eam.

At de Spe divina dicitur,

Pfal. 34. 9. *Beatus vir ille, qui sperat in Deo. Psal. 2. 12. sup.*

Pfal. 84. 13. *Beatus homo, qui fiduciam habet in te, ô Deus.*

Pfal. 31. 2. *In te speravi, ne erubescam in seculum. Psal. 25. 27.*

Pfal. 125. 1. *Qui sperant in Deo, non dimovebuntur, permanebunt*
in seculum, sicut mons Sionis: &c. In summa,

Wer Godt vertraut, Hat wol gebawt, Im himel und auf erden.

§) concl.

concl. Hic est ille Sorites Apostoli, ex quo sequitur tandem,
Ergo, Afflictiones nostræ non pudefacient.

Si enim Afflictio parit Patientiam, Patientia Experientiam,
Experientia Spem, Spes verò non pudefacit;
Ergo, nec Afflictio pudefacit.

usus. Si verò tam præclari Fructus proveniunt ex Afflictionibus,
thes. Cur Cruci nos subtraheremus, aut eam averfaremur?

Cur nos puderet aliquid pati, affligi, persequutionem pati?

Cur non potiùs gauderemus afflicti? Imò,

Cur non gloriaremur in Afflictionibus? ut est *in textu.*

test. Jac. I. v. 2. 3. 4. Summo gaudio ducite, fratres mei, quoties in tenta-
tiones varias incideritis: scientes, Explorationem fidei vestræ
efficere Tolerantiam. Caterum, Tolerantia opus integrum habeto,
ut sitis integri & toti, in nullo deficientes.

Ibid. v. 12. Beatus vir, qui sustinet tentationem: nam,
Probus compertus, accipiet coronam vitæ, quam promisit
Dominus iis, à quibus ipse diligitur.

Heb. 12. v. 11. Omnis castigatio in præsens quidem non est gaudii,
sed tristitiæ: At postea fructum tranquillum justitiæ reddit iis,
qui per eam fuerint exercitati. Substernit hoc admonitioni,
quam præmiserat, vers. 5. & seqq. Fili mi, ne parvi facito
castigationem Domini, neq; animo frangitor, quum ab eo argueris.
Quem enim diligit Dominus, castigat, &c.

spec. Quoniam igitur Deus modò virgam suam agit; quid fit?
Omnes spem habemus, Mox fore meliùs:
Nihil libentiùs audimus, quàm bona nova:
Si malè res geratur, dolemus, concidit spes nostra,
indignamur, putantes hîc illic aliquid neglectum esse.
Rectiùs nos præpararemus ad Crucem: nam,
Necessè est, ut ita fiat; Sic oportuit, sic oportebit.
Gloriamur nos de Afflictionibus, inquit Paulus:
Id verò longè aliter sonat; quàm ut fugiamus,
ut rebus nostris prospiciamus, ut tuta petamus.
CruX, CruX patienter est exspectanda:
illa bono nostro immittitur, illa bono nostro cedit.
Consideremus constantiam martyrum;
Perpendamus misericordiam Dei, & potentiam;
Expendamus fructus Afflictionis, jam explicatos.

CONCL-

C O N C L U S I O .

R. Sed de his & alijs fusijs: Audivistis nunc, Aud. Gloriationem,

1. De Spe Gloriæ futuræ, à Deo dandæ;
2. De Afflictionibus vitæ hujus præsentis.

C. Conclusionis loco consideremus illud Pauli, 2. Tim. 2. v. 19.

Solidum fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc;
Novit Dominus eos, qui sunt sui.

Quoad hoc fundamentum stabit, (stabit autem in æternum,) Omnia nobis, etiam ipsa mala, servient ad bonum, & in Salutem nostram: juxta Rom. 8. 28.

Quapropter meritò gloriamur,

De Spe futuræ Gloriæ, in filiis Dei revelandæ: Certè, Rom. 8. 18. *Minimè pares sunt perpeffiones præsentis temporis, Gloriæ in nobis revelandæ.*

2. Cor. 4. 17. *Illico præteriens levitas afflictionis nostræ, excellenter, excellentis Gloriæ pondus æternum conficit nobis.*

Neque id solùm, sed etiam gloriamur,

De Afflictionibus ipsis: siquidem intelleximus, quòd Afflictio parit Patientiam, Patientia verò efficit Experientiam, Experientia verò conciliat Spem, Spes autem non pudefacit aut confundit.

Quæ Spes, (ut ait idem Apostolus, Heb. 6. v. 19. 20.) est

Certa & firma Ancora animarum nostrarum:

Quæ etiam ingreditur, in interius Velum,

quò præcursor noster Jesus Christus præivit;

hoc est, in æternam Beatitudinem: (1. Cor. 2. 9.)

quam nec oculus vidit, nec auris audivit,

nec ullus homo cogitatione comprehendit.

V. Ad quam nos disponat, præparet, tandemque deducat Deus,

Pater, qui nobis dedit Filium unigenitum, Propitiatorem;

Filius, qui pro nobis mortuus Pacem à Deo restituit;

Spiritus Sanctus, qui nos de his omnibus obsignat & confirmat:

Deus ille unicus, æternus, ac verus, sit benedictus,

hîc in tempore, quoad in hac misera vita sumus,

illic in æternum, per omnia secula, Amen.

C O N C I O X L I .

*Ex parte II. precedentis Concionis plenius diducta ;
Habita in die Precum, 1627.*

De Gloriatione Afflictorum, &
de Fructu Afflictionis.

TEXTUS, Rom. V. vers. 3.4.5.

Gloriamur etiam de Afflictionibus: scientes, quòd Afflictio tolerantiam efficiat; Tolerantia verò experientiam, Experientia, autem spem: Porro, Spes non pudefacit.

E X O R D I U M .

LEgimus in libro Judicum, Cap. 2. Vers. 1-4.

Angelum, sive Nuncium Dei, venisse ad Israëlitas, in Bochim, Illisque exprobrasse, quòd perceptis maximis hactenus beneficiis, à Deo discessissent, ejusque fedus deseruissent;

Ob eamque causam iisdem pœnam Dei denunciasset.

Populum verò Israëlis, hoc audito, vocem suam extulisse ac flevisse:

Ideoque locum illum *Bochim*, h. e. *Flentium*, dictum fuisse.

Non solùm Israëlitæ, tunc temporis, habebant flendi causas;

Verùm etiam nos, qui in hæc tristia tempora incidimus, in quibus Deus suas pœnas, non tantùm annunciari curat, sed easdem etiam, modò in hos, modò in illos, exferit,

Habemus, inquam, & nos lacrymandi ac flendi causas.

Teruntamen sic; ut etiam habeamus causas gaudendi, & gloriandi.

Etenim, qui verè sunt Christiani, illi glorientur etiam de Afflictionibus; ut Paulus ait in textu prælecto.

Homines hodierno tempore aliter sunt affecti:

Quum aliquid patiendum est, consternantur:

Si eò deveniretur, ut patiendum ipsis esset aliquid mali, aut ignominia, propter Religionem; timendum esset, ne ad mortem usque eos puderet, multùmque erubescerent.

An gauderent ipsi, pati aliquid hodie cum reliquis fidelibus?

Imò, gauderent potiùs falsis novis, quæ spem eis faciunt, de mutanda alea ac fortuna hostium, de cesaturis pœnis Dei.

At, cred-

At, credite mihi, Auditores,

Non est jam tempus sperandi meliorem conditionem,
quàm habuere hactenus confortes fidei nostræ:

Æquè enim peccavimus, ac ipsi,
neque exemplo ipsorum cautiores facti sumus.

Potius est jam tempus præparandi nos, ad Crucem, ad persecutiones:
tempus, inquam, potius est discendi, quomodo Crux, à Deo immissa,
patienter sit suscipienda, atque ferenda.

P. Hoc fine, in hac die Precum, habiturus sum concionem,

Non Invektivam: tales enim conciones hodie parùm curantur;
frustra est, quicquid arguimus & monemus.

Sed Crucis-concionem: quia nihil certiùs est,
quàm bibituros nos quoque ex Poculo Afflictionis;
quod usque huc plenum propinatum est fratribus nostris, à Deo.

Habebo autem illam Crucis-concionem, ex verbis textûs prælecti;
atque ex illis, de his duobus, dicam:

I. *Gloriandum etiam & gaudendum nobis esse,
in temporalibus Afflictionibus.*

II. *Causas, cur àe malis gloriari & gaudere debeamus?*

V. Deus, qui omnia quæ patimur, quæque deinceps passuri sumus;
in suis manibus habet; det nobis veram ac salutarem Patientiam,
omniaque patienda nobis in salutem nostram convertat: *Amen.*

P A R S I.

Primum quod attinet, *Gloriationem ipsam,*
Text. Dicit Paulus; *Gloriamur etiam de Afflictionibus.*

Exeg. Attende hîc, *separatim* ad singula verba, deinde *conjunctim.*

Sep. I. Gloriamur. Gloriari significat,

def. De aliquo ingenti bono, voce vel gestu exsultare.

dist. Talis gloriatio duplex est:

Carnalis, quû quis gloriatur de rebus carnalib. extra Deû.

Hæc inanis est & vana Gloriatio:

Proinde in sacris literis vetatur; ut,

1. Cor. I. 29. 31. *Ut ne gloriatur ulla caro, in conspe-
ctu Dei; sed, Qui gloriatur in Domino gloriator: si-
cut scriptum est; nempe, Jer. 9. v. 23. 24.*

Rom. 2. 27. *Ubi gloriatio? Exclusa est: conf. v. 19.*

LII 2

n) Divina,

a) *Divina*, quum quis gloriatur de Deo, ejusque gratia;
Adeoque de re divina, verè & constanter bona.

Talem Gloriationem Paulus intelligit hîc, *in textu*.

b) 2. *De Afflictionibus*. Afflictiones sunt duplicis conditionis:

1. *Per se*, & naturâ suâ, omnes Afflictiones sunt malæ,
atque dolorificæ, & propter peccatum immissæ.

Hoc respectu immittuntur Impiis; apud quos efficiunt
tristitiam mundi, quæ mortem parit, 2. Cor. 7. 10. h. e.

horrores, angores conscientiæ, desperationem denique.

2. *Per accidens* verò, quædam Afflictiones sunt bonæ:

Scilicet, quæ Pii immittuntur. Hæ sunt bonæ,

Nô, propriâ virtute: Omnes enî dolorificæ, *Heb. 12. 11.*

Talesque debent esse, ac sentiri; juxta illud,

Jer. 5. 3. Percutis eos, sed non dolent, &c.

Verùm, per gratiam Dei; quæ illas eò dirigit,

ut serviant ad ipsorum salutem, *Rom. 8. 28.*

Per has Afflictiones, intelliguntur,

in genere, Omnia mala, quibus Pii in hac vita subjecti;

in specie, Persequutiones, quas patiuntur ob fidem.

2) *Conj.* De his Afflictionibus omnibus, quibus pii in hac vita obnoxij sunt,
text. Dicit Paulus; quòd *Glorientur de illis Fideles*,

tanquam de re læta, grata & accepta.

decl. Non, quasi absque omni sensu essent, &

quasi castigationes Dei illis dolorem non afferrent:

Sed gaudent & gloriantur de Deo, in media calamitate;

Quia sciunt ex Verbo Dei,

*Act. 14. 22. Oportere nos, (qui credimus,) per multas afflictiones
ingredi, in regnum Dei. Confer, Apoc. 7. v. 14.*

*2. Tim. 3. 12. Omnes, qui volunt piè vivere in Christo Jesu,
persequutionem patientur.*

*Heb. 12. 6. Dominum castigare eum, quem diligit; flagellare autem,
quemcumque; filium agnoscit. v. 8. Participes castigationis esse omnes.*

*1. Cor. 11. 32. Dum judicantur, (affliguntur fideles,) à Domino,
castigari, ne cum mundo condemnentur.*

*Rom. 8. 28. Omnia (etiam ipsa mala) diligentibus Deum coo-
perantur ad bonum, & ad salutem ipsorum.*

Text. Afflictiones parere Patientiam, Experientiam, Spem;
Spem autem non pudefacere: ut in parte II. dicetur.

δ) *Appl.*

2) Appl. (in Doct. & Usu.)

Doct. Disce hic paradoxum illud Christianum,

thes. Afflictiones hujus vitæ piis esse materiam Gloriandi.

ant. Id verò aliquid miri est, Gloriari in Afflictionibus;

quod Ratio humana non comprehendit,

& homines mundani non intelligunt, imò derident.

Nam, obsecrò, Ostende mihi aliquem ex veteribus Philosophis,

Qui tam multa de Summo Bono scripserunt,

id modò in hac, modò in illa re, statuentes;

Qui ex his, inquam, Crucem collaudârit,

quique se felicem sub Afflictionibus judicârit.

Non invenies, puto:

Fuère quidem Stoici, qui dissimulare voluerunt Dolorem,

indè *ἀναισθητοί* dicti; quasi ipsis non doleret,

si quid ipsis morbi, mali, aut calamitatis accideret:

dicentes, *O dolor, nihil agis;*

fatentes Dolorem, at non sentientes, ut præ se ferebant.

At non fuère ex illis inventi,

qui felicitatem & beatitudinem in patiando quærerent.

rep. Nam Soli id facere possunt Christiani. Illi enim sunt, Qui

test. 2. Cor. 6. 10. *Ut tristes, semper tamen gaudentes; ut pauperes, sed multos ditantes; ut nihil habentes, sed omnia obtinentes.*

Jac. 1. v. 2. *Pro summo gaudio ducunt, quoties in tentationes varias incidunt; seque Beatos ex illis censent, v. 12.*

Heb. 12. 11. *Ut ut Castigatio in præsens quidem non videatur esse lætitiæ, sed tristiæ; sciunt tamen, eandem postea fructum tranquillum reddere iis, qui per eam fuerint exercitati.*

Identidem recordantur, & consolationis, & admonitionis

Christi, Matt. 5. 10. 11. 12. *Beati, quos persequuntur homines justitiæ causâ; quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

Beati eritis, quum vos convitiis affecerint, & persequuti fuerint, & mentientes dixerint quidvis mali adversus vos, propter me.

Gaudete, & exsultate, quia merces vestra multa est in cælis: ita enim persequuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.

Pauli, Phil. 4. 4. *Gaudete in Domino semper:*

Iterum dico, Gaudete. Nec sinè ratione: nam, Vers. 7.

Pax illa Dei exsuperat omnem mentem.

e) *exēp.* Atque hæc est causa, ob quam

Apostoli, cæsi à concilio Judæorum, gavisi sunt, quòd digni habitì essent, qui pro nomine Jesu contumelià afficerentur, Act. 5. 41.

Paulus Apostolus se tam magnificè effert, quòd tam multa, & ignominiosa esset passus, propter Christum, 2. Cor. 11. 25--30.

Hebræi sunt? sum & ego: Israëlita sunt? sum & ego: Semen Abrahami sunt? sum & ego: Ministri Christi sunt? (desipiens loquor,) superior sum ego; in laboribus, ampliùs; in plagis, supra illos; in carceribus, ampliùs; in mortibus, sæpè.

A Judæis quinques accepi quadragenas plagas, minus unâ:

(ex traditione Judæorū, legē Mosis sic mitigantib. Deut. 25. 3.)

Ter virgis cæsus fui, semel fui lapidatus, ter naufragium feci, noctem ac diem in profundo egi.

In itineribus sæpè fui, in periculis fluminis, periculis latronum, periculis à meis gentilibus, periculis à Gentibus, periculis in civitatibus, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis inter falsos fratres: In labore & arumna, in vigiliis sæpè, in fame ac siti, in jejuniis sæpè, in frigore & nuditate. Absque iis quæ extrinsecus, &c. &c. Si gloriari oporteat, de iis, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor.

appr. Ecce, hoc verè Christianum sonat, Gloriari de Afflictionibus, imò & de Ignominia. Hodie sanè puderet aliquem, si ter virgis cæsus esset, si quinques à carnifice vapulasset.

O quot fuere Martyres, qui lætati sunt, euntes ad mortem; qui coronam martyrii hujus mundi thesauris non permutassent!

Et reverâ, Recht Christen bluth, Macht diesen muth,
ut gaudeat de Afflictionibus, & de Persequutionibus.

caut. Dummodò attendatur ad illud Petri Apostoli, 1. Pet. 4. v. 15. 18.

Ne quisquam vestrum malo afficiatur, ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienarum rerum inspector:

Sed, si ut Christianus, ne pudefiat; imò glorificet Deum hoc respectu.

Quinimò, ut ibidem Petrus ait, vers. 13. 14.

concl. In eo, quòd consortes estis afflictionum Christi, gaudete;

ut, quum revelabitur gloria ipsius, gaudeatis exsultantes.

Si convitiis afficiimini in nomine Christi, beati estis;

Quoniam & ille gloria, & ille Dei Spiritus super vos quiescit;

Qui, quod ad illos (persequutores scil.) attinet, blasphematur;

quod ad vos autem, glorificatur.

2, Usus.

2) *Ufus.* Si ergo Christiani de Afflictionibus etiam gloriantur,
thes. Cur nos Cruci subtraheremus, Virgamque Dei fugeremus?

Cur nos puderet aliquid pro Euangelio pati?

Cur non honori potius id nobis duceremus?

Cur impatientes essemus sub cruce, murmurantes,
 quasi nihil tale simus meriti?

ant. Quoniam Deus, his temporibus, iudicia sua exercet, in Ecclesiã suã,

Nulla fere alia spes concipitur, quàm fore mox melius;
 tantum abest, ut homines gloriantur de Castigationibus.

Imò censent hodierni Christiani, magno dedecori fore Deo, ac

Religioni Reform. si non citò juvet Deus, hostesq; confundat.
 Et quid libentiùs audimus, quàm bona nova?

Ah! quàm lætum nuncium Christianis olim fuit,
 debere se pati propter fidem Christianam!

Nunc autem hæc consolatio nostra est, si audiamus,

Rem bene cedere: Contrà verò,

Si res malè cedat, dolemus, miros audias discursus,

Hic, ibi, aliquid esse neglectum;

Proditores, & Exploratores, nimis multos esse;

Hostem nimis fortem esse, nostros nimium torpere,

veterem virtutem bellicam in fastum conversam;

In summa, potuisse rem melius geri:

Bone Deus, quàm contrariatur Crux infirmitati hominum!

rep. Multò melius esset, Patientes esse nos, atque

Non concipere nos spem, de terrena aliqua felicitate;

Sed præparare nos, ad suscipiendam & portandam Crucem.

rat. Etenim, 1. Sic fieri oportet, & 2. Gloriarì convenit de istis.

1. *Oportet sic fieri.* Cur autem Oportet?

1. *hyp.* Mundus planè corruptus est:

Non sumus frugi, quotquot sumus:

Summi, imi, defecerunt omnes pariter.

Imò, qui volunt esse justissimi Pharisei,

pestimi fiunt Publicani & peccatores:

Faxit Deus, ut resipiscamus cum Publicanis, &

cũ peccatoribus, ad Christũ accedentib. *LUC. 15. 1.*

Unusquisque in seipsum descendat, seque examinet;

qui integro & sincero est animo, fatebitur,

non sinè ratione Ministros Verbi clamare, &c.

thes.

1) *thes.* Quia verò tales sumus, & non resipiscimus moniti.

| Oportet ità, & necesse est, ut Deus castiget.

prol. At inquis, Hostes nostri pejores sunt nobis.

Resp. Incipit iudiciùm à domo Dei, 1. Pet. 4. 17.

Nos jam bibimus, ex poculo iræ Dei;

Sed impij faces exhaurient tandem: *Psal.* 75. 9.

Si non hïc, in hac vita; certè ibi, in futura.

2) *hyp.* Nostra Salus in eò est sita.

ant. Impios non sic punit Deus, in hac vita, ut solet pios castigare:

| Cum Impiis non tam exactas rationes init, quàm cum piis:

| Differt eas, reservatque Impios æternæ pœnæ.

thes. Pios verò hïc castigat, ne cum mundo damnentur, 1. Cor. 11. 32.

| Peccamus, certum est: Veruntamen,

| Si castigamur, Deus nos diligit, & Salutem nostram amat;

| Si non castigamur, non sumus filij, sed spurij, Heb. 12. 8.

conf. Cur ergo tam impatienter ferremus Crucem?

| Necesse est, ut sic fiat: Nostro id fit bono.

| Patienter ferendum est, quod mutari nequit:

| Cur ergo nos non feramus, quod in commodum nostrum fit?

rest. Heb. 12. 9. 10. *Patres quidem carnis nostræ castigatores habuimus, & reveriti sumus: annon multò magis subjiciemur Patri spirituum, & vivemus? Nam illi ad paucos dies, prout ipsis videbatur, nos castigabant; hic autem ad commodum nostrum, ut participes fiamus sanctimonie ipsius.*

2. *Gloriari decet de Afflictionibus.* Sic enim Paulus, in textu.

thes. Hæc est altera ratio Patientiæ nostræ:

| Gloriandum est nobis de Afflictionibus;

| Cur ergo impatienter illas subiremus, & ferremus?

ant. Hoc profectò aliter sonat, quàm ut Afflictionibus terreamur,

| Virgamque Dei, quum venerit, formidemus;

| Fugamque meditemur, quando ingruit Persequutio.

| Prout multi sunt, qui in omnè eventum dispiciunt loca tutiora, quò constituerunt fugere, si appropinquet malum.

| Christus quidem dicit, Matt. 10. 23. *Quum persequentur vos, in ea urbe, fugite in aliam.*

| At dicit & Apostolus, Heb. 12. 8. *Quòd si estis absque castigatione, cujus participes sunt omnes, nempe Suppositicii estis, non filii.* Participes ergo nos decet esse, 2. Cor. 1. 7.

λ) *ampl.*

λ) *ampl.* Obsecrò, Cordatiores simus, Auditores in Christo dilecti:
 Considerate, 1. Constantiã martyrum, 2. Auxilium Dei, 3. Fructus crucis.

1. *Constantiam Martyrum*, qui ante hæc tempora vixerunt:

thes. Quàm læti erant tempore persecutionum?

Existimabant aurum pluuisse, illic locorum,

Ubi martyres torquebantur, trucidabantur.

ex ep. Sinite vobis unicam historiam referam,

ex Ruffino, *lib. 2. cap. 6.* ex Sozomeno, *lib. 6. cap. 18.*

Edesieni, quum ipsis ab Imperatore Valente, Arianæ hæresi
 addicto, Ecclesiã interdictum esset, in urbe adeundã,
 magno numero extra urbem, in campis, conventus egere,
 Christumque magno animo, spretis infidelium minis,
 docuerunt, & confessi sunt.

Quibus auditis, Imperator Modestum, præsidem generalem,
 contumeliosis verbis adortus, pugnum maxillæ ejus inflixit,
 eò quòd extirpandis fidelibus minùs strenuam operam locasset;
 eique præcepit, ut armatã manu obrutos, quoscunque extra
 urbis incœnia congregatos inveniret, interimeret.

Clàm submoniti Edesieni, ut à periculo sibi caverent,
 nihilominus, majori etiam quàm antea studio ac fervore,
 consuetum locum petentes compleverunt.

Modestus igitur, mandata Imperatoris exsequuturus,
 cum sua cohorte in campum illum ire contendit.

Ibi ecce Muliercula, parvo secum tracto filio,

Amiculo etiam negligentius, quàm deceret, circumjecto,
 quasi ad rem optatam festinans, turmas militum perumpit:

Hanc Modestus conspicatus ad se vocat, causam festinationis
 rogat; tum illa, ut ocyùs ad campum illum perveniam.

Modestus contrà, Tunc sola nescis, præsidem eò venturum,
 omnesque, quos ibi congregatos offendet, interfectorum?

Mulier respondet, Imò audivi, ideòque cursu mihi opus est,
 ne veniam post tempus, & destinato martyrio priver.

Modestus rogat, Cur ergo puerum tecum ducis? respondet,

Ut & ille communis martyrij particeps fiat,

parque præmium, à Deo fidelibus oblatum, consequatur.

Mirus profectò, & propè nimius fervor ac zelus!

quem Præses Imperatori referens, iram ejus mitigat.

Quid ad hæc dicetis, vos pusillanimes?

M m m

u) *Auxilium*

2. *Auxilium Dei* potentissimum & sapientissimum.

thes. Deus semper sibi, in mediis persecutionibus & calamitatibus,
| Ecclesiam conservavit, tandemque emergere fecit.

cont. Imò, quod mirum est, Persecutionibus Ecclesiae crevere.

| Palma, onere pressa assurgit, non pressa subsidit ac curvatur:

| Sic Ecclesia, pressa attollitur, non pressa flaccescit.

exep. Non opus est, ut dicam, de Belgio, Anglia, Gallia, Germania, &c.

| Ubi Religio pressa quidem vehementer, at non oppressa fuit:

| Historiae sunt in manibus, & Experientia id ipsum testatur.

concl. Verumque adeò est, quod vulgò decantatum est;

| *Sanguine fundata est Ecclesia, Sanguine cœpit,*

| *Sanguine succrevit, Sanguine finis erit.*

3. Nec solum hoc, sed perpendite & *Fructus Crucis.*

test. Dicit regius propheta David, Psal. 119. v. 71. *Bono mihi fuit,*
| *me affligi; ut discerem statuta tua.*

thes. Etiam nobis bonum est, nos castigari: Indè confirmamur,

| Indè proficimus in pietate, in zelo & fervore, in precibus:

| Indè multæ virtutes in nos pullulant & efflorescunt.

text. Indè etiam gloriamur de Afflictionibus, scientes, quòd

| *Afflictio Patientiam efficit, Patientia Experientiam,*

| *Experientia Spem, Spes verò non pudefacit.*

transf. Hos fructus porrò nunc, in *parte II.* considerabimus.

| Sumus enim nos homines ità comparati,

| Ut nulla exempla, nullæ admonitiones nos moveant,

| nisi sciamus, id singulari bono nostro cesurum.

P A R S II.

Secundum igitur quod attinet, *Gloriationis hujus nostræ Causas,*

Text. Inquit Paulus in textu; Gloriamur etiam de Afflictionibus,

| *Scientes, quòd Afflictio efficiat Patientiam, (seu, Tolerantiam,)*

| *Patientia verò Experientiam, Experientia autem Spem:*

| *Porrò, Spes non pudefacit.*

Exeg. Isti sunt *Fructus Afflictionum*; quos Apostolus Paulus,

| *gen.* Elegantissimè sibi subordinat, & concatenat inter se,

| ut unus ex altero dependeat, instar *Catene*;

| & quasi *Scala* ex iisdem conficiatur, in qua,

| ex uno gradu in alterum ascenditur, & descenditur.

§ see.

Spec. Consideremus, quæso, singula verba, ut consideratu dignissima.

1. *Scimus*, inquit Paulus: nimirum,

thes. Non conjecturaliter, non dubiè;
sed certissimè, & sinè ulla dubitatione.

caus. Idque ex testimonio Spiritûs Sancti,

Rom. 8. 16. *Qui testatur unà cum spiritu nostro, nos esse filios Dei.* Quod etiam insinuat Paulus, post textum,

Rom. 5. 5. *Quia Charitas Dei effusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

test. De hac certa & indubitata Scientia etiam alibi Paulus,

Rom. 8. 28. *Scimus, iis qui diligunt Deum, omnia simul adjumento esse ad bonum.*

Rom. 8. 38. 39. *Persuasum mihi est, neque mortem, neque vitam, neque &c. posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.*

2. Cor. 5. 1. *Scimus, nos, terrestres hujus domus nostræ tabernaculo dissoluto, ædificium ex Deo habituros; domicilium videlicet, non manu factum, æternum in cælis.*

2. Tim. 1. 12. *Scio, cui crediderim, & Persuasum mihi est, eum posse depositum meum in illum diem custodire.*

2. *Efficat*: Afflictio efficit Patientiam, &c.

ægr. Non, quòd Afflictiones habeant hanc vim, sibi insitam; aut quòd hæc omnia suâ virtute mereantur:

prout Papistæ Afflictionibus multa merita adscribunt.

dir. Sed Spiritus Sanctus est, qui utitur Afflictionibus, ut mediis, quibus in nobis operatur Patientiam, Experientiam, Spem.

3. *Patientiam, Experientiam, Spem quæ non pudefacit.*

thes. Recenset his verbis Paulus *Fructus Afflictionum*; ità ut eosdem concatenet, uno ex altero deducto: qui appellatur à doctis, *Sorites*.

decl. Afflictio efficit Patientiam,
Patientia efficit Experientiam,
Experientia efficit Spem,
Spes non pudefacit:

Unde tandem concluditur, Ergo Afflictio non pudefacit.

part. Tres igitur sunt *Fructus Afflictionum* præcipui:

Patientia, Experientia, Spes.

tract. Quos ordine pertractabimus, in pag. seqq. I. II. III.

I. PATIENTIA.

Text. Afflictio efficit Patientiam. (seu Tolerantiam.)

Exec. Kurzey & Lazar, Operatur: Nimirum,

agr. Non, ex se, & in omnibus hominibus.

Parit enim per se Tristitiam, adeoque Impatientiam: ut;
*Heb. 12. 11. Omnis castigatio, in præsens quidem,
 non videtur esse gaudii, sed Tristitia.*

Cum primis in Impiis; quos ad desperationem tandem adigit.

Sic. Sed in solis Piiis & fidelibus: idq; ex consideratione voluntatis Dei.

Sciunt enim illi, Voluntatem Dei esse hanc,

Ut per multas Afflictiones introeant in regnū Dei, Act. 14. 22.

Omnes pie victuros in Christo persecutionem pati, 2. Tim. 3. 12.

Idcirco, quando Afflictiones ingruunt & obveniunt, easdem Patienter suscipiunt ac ferunt: memores illius dicti,

*test. Heb. 10. 36. Patientiā vobis opus est, ut Voluntati Dei obsequi,
 reporte tis promissionem illam. Item illius admonitionis,*

*Psal. 37. v. 7. Acquiesce Jehova, & indesinenter expecta eum: &
 v. 1. Ne accendaris irā propter maleficos, & c. Item,*

Esa. 30. 15. In Silentio & Spe sit fortitudo vestra.

ampl. Porro, quò sæpius cruce visitantur, eò patientiores redduntur:

Imò, per exercitationem tandem fiunt Magistri, in Patientia;

qui semper in ore habent illud Rabbini cujusdam,

Gam sū letobah: quod & est ipsius Pauli, Rom. 8. 28.

Sicut artificium aliquod usu & frequenti exercitio addiscitur;

Ità Pii frequentatione Afflictionum patientiores fiunt:

Juxta illud, Jac. 1. 3. *Scientes, Explorationem fidei vestrae,
 (quæ fit variis tentationib. ut v. 2.) efficere Patientiam.*

Doct. Parit ergo, in solis Piiis ac fidelibus, Patientiam Afflictio.

*ant. Impiis autem, & carnaliter affectis, si immittatur Afflictio,
 parit, non Patientiam, sed Indignationem:*

unde fit, ut in blasphemiam incidant; ut, Apoc. 16. 9. 11.

Et blasphemarunt Deum cæli, præ doloribus suis, & c.

*thes. Pii autem discretiores sunt, & mala quasi è manu Dei accipiunt,
 iisque utuntur ad resipiscenciam, (conf. Apoc. 16. 9. 11.)*

Deoque gratias agunt, etiam in mediis malis:

Ut Jobus patientissimus, Job. 1. 21. *Dominus dedit, &*

Dominus recepit; sit nomen Domini benedictum.

Ut & monet Petrus, 1. Pet. 4. 16. *Glorificet Deum, hoc respectu.*

o) prol.

*) *prol.* Magna quidem adhuc perspicitur infirmitas, etiam in sanctis;
Quos Impatientia etiam quandoque eò abripit,
ut & diem nativitatis suæ execrentur:

Ut fecit Jobus, *Job. 3. v. 1. & seqq.*
itè Jeremias, *Jer. 15. v. 10. &c.*

Attamen, non perseverarunt in sua Impatientia; sed
Reverfi ad sanio rem mentem, dolent ob impotentiam suam:
Spiritus quidem est promptus, sed Caro infirma, Matt. 26. 41.
Verùm tandem Spiritus vincit Carnem, in piis & fidelibus;
Quum scilicet incumbunt vigilantia & precibus: ut *Ibid.*
Vigilate, & Orate, ne introeatis in tentationem.

Denique, ejusmodi exempla impatientia sanctorum notata sunt,
ut nostram infirmitatem agnoscere discamus,
& diligentes simus ac vigilantes in precibus.

*) *Ufus.* Quid ergo nostri sit officii, facile intelligimus:

thes. Simus Patientes, dilecti Auditores, Tolerantiam amplectamur;
med. Et ut hujus Afflictionum fructus, Patientia scil. participes simus,
Media, quæ Patientiam in nobis excitant, arripiamus.

Consideremus Ordinationem Dei; quæ patet, ex
Heb. 12. 6. Quem diligit Dominus, castigat; flagellat autem,
quemcunque filium agnoscit. (Ex Prov. 3. v. 11. 12.)

Act. 13. 22. Oportet per multas afflictiones introire regnum Dei.
Dicamus ergo cum Davide, *Psal. 39. 10. Obmutesco, o Deus,*
non aperio os meum, quia Tu fecisti.

Oremus quoque, ut Deus hanc nobilem herbam, Patientiam scil.
in nostris hortis succrescere, nostrisq; cordib. efflorescere sinat.

obj. At inquis; Hostis meus me gravius læsit, quam ut oblivisci queam.
Resp. O malum signum! Si enim hoc verè dicis ac sentis,
Nondū apud te eximium hunc Patientia fructum tulit Afflictio,
Qui fructus apud verè pios ac fideles semper prorumpit.

ex̄p. Memento, Christū *convitiis affectū, non vicissim convitiatū esse, &c.*
sed commisisse causam suam ei, qui juste judicat, 1. Pet. 2. 23.
quiq; patiens fuit, *non aperiens os suū, ut Agnus ad mactationem*
ductus; ut Ovis, coram tonsoribus suis obmutescens, Esa. 53. 7.

rat. Et quid te juvat Impatientia tua?

Si Crucem impatienter abjicias ad pedes Dei, qui eam imposuit,
rursus ea suscipienda, & ferenda est, impatientia deprecanda:
Quapropter, Patienter fer, quod omnino ferendum est.

II. EXPERIENTIA.

Text. Patientia efficit Experientiam.

Exeg. Hoc vult dicere Paulus;

sim. Quemadmodum Magister aliquis, opificium diu exercens, in magnam venit experientiam in illo opificio:

Ita etiam Pii, postquam diu in Patientia exercitati fuerunt, inde Experientiam singularem sibi conciliant; postquam, inquam, unam post alteram Afflictionem patienter tolerarunt, Tandem in magnam Experientiam veniunt, cum Ipsi, tum Alii videntes pios affligi.

decl. Primo, Ipsi fideles, patienter tolerantes mala, experiuntur, Quam mirabiliter Deus hunc mundum regat ac gubernet; Quam mirabiliter Deus suos ducat; Quam bonam in affligendis piis habeat intentionem; Quam mirabiliter illos probet & exerceat; Quam clementer illis, in mediis afflictionibus, adsit; Quam paternè ac potenter eos tandem liberet.

Deinde, Alii etiam, qui pios ita vident affligi, sive boni, sive mali:

1. *Boni ac Consortes fidei, intuentes exempla fratrum patientium, Discunt in illis patientiam;*

Glorificant Deum, pro eorum constantia;

Veniunt in eandem cum ipsis Experientiam,

Quam mirabiliter Deus, &c. ut supra.

2. *Imò etiam Mali ac impii, in eandem veniunt Experientiam:*

Unde sapiùs in seiplos descendunt, veritatem amplectuntur, etiamsi easdem Afflictiones perferre deberent.

Imò inter Impios sunt, qui videntes constantiam Martyrum, fateri coguntur, ipsos se multò esse probiores.

Usus. Agitè ergo, Auditores,

thes. Si optemus talem divinam Experientiam, in nostrì consolationem, Patienter toleremus Afflictiones, & cum gaudio.

decl. Experiemur tunc, quam sapiens, quam bonus, quam potens sit Deus:

Experiemur, verum esse, quod diximus supra,

Sanguine fundatam esse Ecclesiam, Sanguine crevisse eandem.

Experiemur tandem, Minime pares esse presentis temporis per-

peffiones, gloria in nobis revelanda, Rom. 8. 18.

Experientur & hostes nostri, non frustra nos credere,

non frustra nos constantes esse; & herbam porrigent.

III. SPES

III. SPES.

1. *Text.* *Experientia efficit Spem.*

Exeg. Hoc vult dicere Apostolus;

thes. Memoria præteritæ liberationis, excitat Spem futuræ.

Quia experti sunt fideles, Deum bonâ intentione castigare, tandèq; fati potenter liberare, interim confirmare & solari; Spem concipiunt, Deum se talem quoque ipsis exhibiturum, imò in æternum.

exēp. Exemplum hujus Spei habemus fati illustre,

In Davide: qui Leone, & Urso, à se Dei ope superatis,

Spem concipit, se Goliathū quoq; superaturū, 1. Sam. 17. 37.

In Paulo: qui liberatus ex periculo mortis, Spem concipit,

fore, ut imposterum quoq; à Deo liberetur; ut ait ipse,

2. Cor 1. v. 4. *Consolans nos in omni afflictione nostra,*

ut possimus in quavis afflictione positos consolari,

eâ ipsâ consolatione, quâ nos consolatur Deus.

Ibid. v. 10. *Qui ex tanta morte nos eripuit, & eripit;*

in quo speramus, nos adhuc etiam ereptum iri. Sic,

2. Tim. 4. v. 16. *In prima mea defensione, nemo mihi adfuit;*

Sed Dominus mihi adfuit, & corroboravit me, & e-

reptus fui ex ore Leonis, Neronis scilicet, Tyranni:

Indè colligit, vers. 18. Et eripiet me Dominus, ab omni

opere malo, servabitque regno suo cælesti.

appr. Sic & nos, quia Experientiam habemus, quàm mirabiliter,

rebus etiam desperatissimis, Deus adsit, & succurrat;

possumus Spem quoque habere, Deum & nunc posse ac velle

servare, tandemque gloriosè nos liberaturum esse.

Doct. Videte, Aud. Sic Experientia aliud ex alio colligit, ratiocinando,

Concipitq; *Spem supra Spem, & contra omnem Spem, Rom. 4. 18.*

Tandem etiam evehitur in cælum, cum Paulo, 2. Tim. 4. 18. *sup.*

quia hîc non fuerit delusa spes, in hac vita;

neque ibi, in futura vita, eandem frustratum iri.

Usus. Agitè ergo, Si velitis ad hanc Spem asurgere, Patientes estote;

thes. Ut Experientiam capiatis præsentissimi auxiliij divini:

Hæc enim Experientia illam Spem efficit.

trans. Sed quid boni fert illa Spes? Vulgò enim dicitur,

Hoffen und harren, Macht manchen zum narren.

Dicitur id de Spe humana: At de Spe divina porrò dicitur:

e) 2. Text.

e) 2. Text. *Spes non pudefacit.*

Exeg. Duplex enim est Spes.

1. *Humana*: Hæc sæpè pudefacit & confundit.

Nititur enim fundamento valde lubrico, & instabili: nempe,
vel propriâ opinione; quæ sæpè errat:
vel promissione hominum; qui sunt inconstantes, fallaces.

Quàm vani & mendaces sint homines, testatur Scriptura,
Psal. 62. 10. *Tantummodo vanitas sunt filij hominis, mendacium
sunt filij viri: Lancibus simul impositi, ascendunt supra vani-
tatem, h. e. præponderant.*

Rom. 3. 4. *Omnis homo mendax: (ex Psal. 116. v. 11.)*

2. *Divina*: Hæc nunquam confundit aut pudefacit.

Nititur enim fundamento firmissimo: nempe,
Promissione & veracitate divinâ; &
Testimonio Spiritûs Sancti.

Deus autem est verax, Rom. 3. v. 4.

Mentiri nescius, Tit. 1. v. 2: Heb. 6. v. 18.

Fidus manet, Seipsum negare non potest, 2. Tim. 2. v. 13.

Spiritus S. nunquã fallit; *Spiritus ille veritatis*, Joh. 14. & 15. & 16.

Ut porro ex sequentibus verbis *vers. 5. conc. seq. dicetur.*

Doct. Discimus hîc, Spem esse Ancoram animarum nostrarum:

test. Ut dicit Paulus, Heb. 6. 16. *Quam Spem veluti Anima Ancoram
habemus tutam ac firmam; ingredientem usque in ea, quæ sunt
intra Velum, quò præcursor pro nobis ingressus est Jesus.*

sim. Quemadmodum Ancora, in profundum maris jacta, navem tutã
ac immotam reddit, licet Ventus furat, impingatque in eam,
quasi eandem everfurus, ac jam jam lubmerfurus fluctibus:
Itã Spes nostra, in altissimo coelo defixa ac fundata est,
atque naviculam cordis nostri immotam sistit ac sustinet,
ne inter sævissimas licet tentationum procellas submergatur.

concl. Adeoque firmissima ac certissima est Spes nostra in Deo,
quæque non pudefacit, nunquam confundit.

Usus. Quapropter, Auditores, Arripiamus hanc Spem,

thes. In rebus desperatissimis licet, tanquam Ancoram animarum,
quæ etiam ingreditur in Sanctum sanctorum, in ipsum Coelũ;
quò Præcursor noster, Jesus Christus, præivit.

concl. Sic reverã comperiemus, *Spem non pudefacere; sed
Servandos nos, imò Spe iam servatos nos esse, Rom. 8. 24.*

6) *Usus.*

*) *Ufus. (generalis, partis II.)* Hactenus *Fructus*, quos parit *Afflictio*.
thes. Quis fidelium jam *Cruci* se subtraheret?

Virgamque *Dei* meticulosus fugeret?

Quis pudore suffunderetur, ob *Crucem* & *Afflictiones*?

An non potius honori sibi illas duceret?

Quis impatienter & cum murmure *Crucem* ferret?

An non potius de illa gloriaretur? ut est in *textu*.

ant. *Hostes* veritatis, & *Persequutores* Religionis, sibi hoc arripiunt,
 quòd *Crucem* & *Persequutiones* tantopere evehimus:

Proinde dicunt, Se nobis non facere injuriam, si nos persequan-
 tur; sed potius magnam inire apud nos gratiam.

Sic *Julianus* *Apostata*, *Imperator* cætera clarus, dicere solebat;

Non est, quod de me conquerantur *Christiani*:

Promoveo enim eos, ad regnum cælorum, ut fiant beati.

Ità enim sonat eorum *Euangelium*;

Beati, qui *persequutionem* patiuntur:

ipsorum enim est regnum cælorum, *Matt. 5. 10.*

Afflictio parit *Spem* vitæ æternæ; ut in *textu*.

resp. Verùm, hi prophetant veluti *Caiphas* *Pontifex*, *Joh. 11. v. 51. 52.*

Prophetabat is, fore ut *Jesus* pro gente moveretur: nec tantum
 pro ea gente, sed etiam *filios* *Dei* dispersos congregaret in unum.

Caiphas non bono animo hoc dicebat;

Nihilominus bono maximo id cedebat, *Dei* providentiâ.

Ità nec *Hostes* nostri bono animo id dicunt, de nobis ista passis;

Interim tamen nostro bono cedunt omnia, *Dei* gratiâ,

Qui omnia, etiam ipsa mala, in salutem nostram vertit,

Ut docet *Paulus*, *Rom. 8. v. 28. &c.*

Ipsi autem *Hostes* non impunè hæc fecerint: nam,

Zach. 2. 12. (vel 8.) Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.

Expertus hoc est *Julianus* *Apostata*, quam durum scilicet sit,

Contra stimulum calcitrare; (ut *Christus* *Paulo*, *Act. 9. 5.*)

Tandem enim sagittâ in conflictu ictus, sanguinem effluen-

tem manu exceptum, versus cælum sparsit, dixitque;

Vicisti Galilæe, (si fides historiis.)

Experientur hoc & sentient quoq; nostri *hostes*, *persequutores*,

Et tandem quoque *Galilæo*, *Domino* nostro *Jesu* *Christo*,

cogentur tribuere gloriam; si non hîc, saltè tunc,

Quando veniet ad iudicium, (*&c. ut pag. seq. lit. 7.*)

N n n

Quando

2) Quando veniet in nubibus caeli, cum potentia & gloria multa, Matt. 24. 30.
 ad nostri redemptionem, Luc. 21. 28. nosque ad se assumet,
 abstergetque omnemque ab oculis nostris lacrymam, Apoc. 7. 17. c. 21. 4.
 Tunc fortuna hostium, quæ nunc splendet, immutabitur:
 Ibi illi cruciabuntur in secula seculorum, Apoc. 20. 10.
 Nos verò consolationem recipiemus, Luc. 16. 25.

CONCLUSIO.

R. Audivistis itaque, Auditores,

1. Gloriandum esse in Afflictionibus:

2. Causas istius Gloriationis; ubi de Fructibus Afflictionis.

C. Leguntur martyrologia Variorum miserè occisorum, in primitiva Ecclesia;
 & in nuper Reformata, in Anglia, Gallia, Germania, Belgio, &c

Quid nos? Nondum ad sanguinem usque perventum est;
 & tremur, & tristamur, & trepidamus.

Excitemur, quæso, hac concione Pauli, & Gloriamur de Afflictionibus:
 Quia Afflictio efficit patientiam, Patientia experientiam, Exp. spem;
 Spes vero non pudefacit: Ergo nec Afflictio pudefaciet.

Aut, si nolimus hanc admonitionem recipere, excitemur D.N. J. Christi
 Comminatione, Marc. 8. 38. *Quemcunque puduerit mei & meorum ser-*
monum, in gente ista adultera & peccatrice, Filium etiam hominis pu-
debit ejus, quando venerit in gloria Patris sui, cum Angelis sanctis.

Aut potius Promissione, Matt. 10. 32. *Quisquis confitebitur me coram*
hominibus, eum confitebor ego coram Patre meo in caelis.

Ità fiet, ut tandem dicere queamus, cum Paulo, 2. Tim. 2. 7. 8.

Certamen illud præclarum decertavi, cursum consummavi, fidem servavi:
Quod superest, reposita est mihi iustitiæ Corona, quam reddet mihi
Dominus, in illo die, justus ille Judex:

Non solum autem mihi, sed etiam omnibus, qui expetiverint illustrem
illum ipsius Adventum.

Vicissim à Christo audiemus, lætissimam illam vocem, Matt. 25. 34.

Venite, Benedicti Patris mei, Possidete regnum, Paratum vobis, ante
jecta mundi fundamenta. Et Ibid. vers. 21. 23.

Euge, serve bone ac fidelis, in exiguo fuisti fidelis, super multa te con-
stituam: Ingredere in gaudium Domini tui.

V. Faxit id Deus clementissimus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus,
 Unus ille verus Deus, Benedictus in secula, Amen.

CONCIO XLII.

C O N C I O XLII.

De Spe, ejusque Certificatione.

T E X T U S, Rom. V. vers. 5.

Spes non pudefacit: eò quòd Charitas Dei effusa est; in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.

E X O R D I U M.

BIS terve quæ pulcra, dixere Veteres, *δὲ καὶ τοῖς τὰ καλὰ.*

Egimus nos hactenus multis, de Fide & Spe:

Restant ex versu 5. de Spe dicenda quædam, ejusque Certificatione

per Sp. S, per quem Charitas Dei est effusa in cordib. nostris.

Dicit Apostolus Paulus, 1. Cor. 13. v. 13. *Manet Fides, Spes, Charitas;*

tria hæc, sed maxima earum est Charitas.

Ideò Charitas est maxima, quia

Fides finem suum consequetur, quando consequuti erimus id, quod

jam credimus; quando *ambulabimus per Aspectum*, 2. Cor. 5. 7.

h. e. coràm intuebimur, quod nunc absens credimus,

Spes quoque desinet, quando id in præsentì possidebimus,

quod nunc adhuc absens speramus.

Charitas autem semper manet: nam,

Non modò in hac vita nos oportet inter nos diligere;

Sed in altera quoque vita æternùm inter nos diligemus.

Pertinent ergo, Fides & Spes, tantummodò ad hanc vitam temporalem;

Estque hæc inter illas differentia:

1. *Fides* respicit, non solùm futura, sed etiam præterita;

Spes autem respicit tantùm futura.

2. *Fides* est causa Spei; *Spes* Fidei est effectus: nam,

Id quod de futuris Credimus, idem quoque speramus.

3. *Fides* est notitia & fiducia; *Spes* verò addit cordiale desiderium.

Porrò, quia Fides nostra nò est frustranea, Spes quoq; nostra nò est vana:

Sed est *Ancora anima, jacta in ipso cælo*, Heb. 6. 19.

Nec sinit Naviculam cordis nostri submergi aut perire,

licet sævissimis tentationum procellis agiteur:

Unde & Paulus in textu dicit, *Spes non pudefacit.*

P. De hac Spe proposui mihi hac vice dicere, paucis repetitis ex præced. Sperans, fore id Auditoribus gratum, quia ab ea Salus nostra pendet. Attendetis itaque ad has duas partes, ex textu resultantes:

I. Dicam, de *Differentia Spei humanae & divinae*;

II Declarabo, *Quâ re Spei divinae reddamur certiores?*

¶ Deus, qui vocavit nos ad Spem vitæ futuræ, beatæ ac gloriosæ, det nobis Spiritum Sanctum, Spei nostræ confirmatorem; ut firmi in Spe illa stemus & perseveremus, quoad consequamur tandem, quam nunc speramus, vitam æternam: *Amen.*

P A R S I.

Principio, Spes non est unius generis: nam, *Præp.* Dicitur vulgò, *Hoffen und harren, Macht manchen zum narren.*

Id sanè non potest dici de Spe Christiana;

de illa enim Paulus dicit, *Spes non pudefacit.*

Necessè igitur est, ut id dicatur de alia quadam Spe, fallaci.

Loquitur verò vulgatum illud dictum, de Spe humana:

Paulus verò loquitur, de Spe divina & Christiana.

Prop. Est enim Spes duplex:

I. H U M A N A.

Test. De hac Spe loquuntur hæc testimonia sacra:

Psal. 146. 3. 4. *Ne fiduciam habetote in ingenuis, in ullo filio hominum, penes quem nulla est salus: Exit spiritus ejus, revertitur in terram suam, die eodem pereunt cogitationes ejus.*

Jer. 17. 5. *Maledictus vir ille, qui fiduciam habet in homine, & statuit carnem brachii sui, à Jehova autem recedit cor ejus.*

Fund. Fundata est Spes humana,

Vel aliorum hominum Promissione: veluti,

Josephus sperabat, Pincernam suam memorem fore;

Sed frustra fuit: ut legitur, *Gen.* 40. v. 4. & 23.

Vel propriâ Opinione: veluti,

Discipuli Christi speraverant, fore ut Christus Israël liberaret, corporaliter scilicet; ut ipsi ajunt, *Luc.* 24. 20. 21.

Sed fallebantur suâ opinione, communi errore stabilitâ.

Vel externis mediis; ut, potentiâ, divitiis, amicis, &c. veluti,

David exprobrat Goliatho vanam spem suam, *1. Sam.* 17. 45.

Tu venis ad me cū gladio, & hasta, & c. Ego verò in nomine Dei.

a) *Conf.*

a) *Doct.* Hinc perspici potest, quàm fallax sit Spes humana.

Fundamentum enim, quo nititur, valde inconstans est, & infirmum:
Nam, quod attinet

1. *Hominem*; cujus promissione, vel opinione, Spes illa nititur: is est,
Mendax; ut Paulus ait, Rom. 3. v. 4. ex Psal. 116. v. 11.

Omnis homo est mendax, h. e. fallax, inconstans, & c. ut seq.
Vanus; ut Psal. 62. v. 10. *Tantummodò Vanitas sunt filii hominis*,
(plebeji,) *Mendacium sunt filii viri*, (præstantis:) *Lancibus si-*
mul impositi, ascendunt supra Vanitatem, h. e. præponderant,
ipsaque Vanitate vaniores sunt.

Corruptibilis; ut sup. in Psal. 146. 3. 4. *Ne fiduciam habete in ho-*
mine, & c. Nam *exeunte spiritu ejus, revertitur in terram*, at-
que *tunc pereunt omnes ejus cogitationes*.

Infirmus; ut Psal. 60. 13. *Vanitas est auxiliatio humana*.

Confer 2. Reg. 18. 21. *Scipio arundinis quasfate*, & c.

2. *Externa media*; putà, Vires, Divitias, Honores, Formositatem,
& similia, quibus homines ut plurimum fidere solent:

Verum est illud sapientissimi regis Salomonis dictum,

Eccl. 1. v. 2. *Vanitas vanitatum, & omnia Vanitas*.

Unde rectissimè David rex,

Psal. 62. 11. *Opulentia si abundet, ne apponatis animum*. Sic;

Psal. 49. 7. 8. *Qui confidunt in opulentia sua, & in multitudine*
divitiarum suarum: Fratrem nullo modo potest redimere quis-
quam, & c. nam cara est redemptio vitæ, imò cessat in seculum.

β) *Ufus*. Quapropter, probè dispiciamus, Auditores,

thes. Ne in tam lubrico fundamento Spem ponamus.

test. Psal. 40. 5. *Beatus est vir ille, qui ponit in Jehova spem & fiduciam*
suam, neque respicit superbos, aut declinantes ad mendacium.

exēp. Obsecrò, Quid juvabat

Abfalonem sua pulcritudo? (de qua 2. Sam. 14. 26. & c.)

Salomonem, sapientia sua? (de qua 2. Reg. 3. & c.)

Goliathum, fortitudo sua? (de qua 1. Sam. 17. 4. & c.)

Sennacheribum, sua potentia? (de qua gloriatur 2. Reg. 18.)

Nebucadnezarem, fastus suus? (de quo Dan. 4. 27. 30.)

Nabalem, divitiæ suæ? (de quo agitur 1. Sam. 25.)

Nihil, nihil omnino: Evanuère ea omnia.

concl. Idcirco illi verè stulti sunt, qui ejusmodi rebus fidunt:

Contrà, qui Deo fidit, beatus est; ut sequitur.

II. DIVINA.

Text. De hac Spe divina loquitur Apostolus Paulus, dicens;
Spes non confundit: seu, Spes non confundit.

Test. De eadem Spe divina loquitur Psaltes,

Pfal. 146. 3. 4. *Ne locate spem in ullo filio hominum, &c. ut sup.
 Beatus, cui auxilio est Deus Jacobi, cujus expectatio (h. e. Spes,) est in Jehova Deo suo.*

Pfal. 2. 12. *Beati, omnes sperantes in eo, Deo scilicet. Sic,*
 Pfal. 84. 13. *O Deus exercituum, Beatus homo sperans in te.*

Sic Pfal. 25. 2. *Deus mi, in te speravi, ne pudefiam: item,*

Pfal. 31. 2. *In te, Jehova, speravi, ne pudefiam in seculum.*

Fund. Hæc Spes fundata est Promissione divinâ.

1. Promissionem, de hac vita temporali, habemus hanc:

test. Pfal. 50. 15. *Invoca me tempore angustia, eripiam te, ut honore afficias me. Confer, vers. 23. Sic,*

Pfal. 91. 15. *Simulac invocaverit me, exaudiam eum:*

*Ipsi adero in angustia, eripiam eum, & honore afficiam eum;
 Longitudine dierum satiabo eum, & videre faciam eum salutem meam: (h. e. faciâ eum frui salute, ut Pfal. 34. 13.)*

cond. Hæc promissiones sunt, de temporalibus rebus;

Semperque sibi adjunctam habent conditionem,

Velle Deum nobis dare, sanitatem, divitias, honores, &c.

Si cedat ad Dei gloriam, nostramque salutem.

Idcirco & hæc omnia speramus eatenus, quatenus scilicet cedent, ad Dei gloriam, nostramque salutem.

exēp. Veluti in his se voluntati Dei semper permittere pii: ut,

David, 2. Sam. 15. 25. 26. *Si invenero gratiam in oculis Dei, utique reducet me, & faciet ut revisam se & habitaculum.*

Sin dixerit, Non delector te; ecce me, faciat mihi, prout bonum videtur in oculis suis.

Socii Danielis tres, in fornacem abjiciendi, Dan. 3. 17. 18.

Sive futurum est, ut Deus noster, quem nos colimus, qui potens est ad eripiendum nos, à fornace ignis accensa, & à manu tua, ô Rex, eripiat nos:

Sive non, notum sit tibi, Rex, Deos tuos nos non esse culturos, & imaginē auream quā erexisti non adoratuos.

Pariter Eli, summus Sacerdos, 1. Sam. 3. 18. *Jehova est, quod bonum videtur in oculis suis, faciat.*

2) 2. Promiss-

2) 2. Promissionem, de vita ac salute æterna, habemus hanc:
 test. Joh. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium illum suum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Joh. 5. 24. *Amen amen dico vobis, Qui sermonem meum audit, & credit in eum qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed transivit à morte in vitam.*

Joh. 11. 25. 26. *Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet; & quisquis vivit & credit in me, non morietur in æternum.*

concl. Hæ, & similes promissiones, æternam beatitudinem spectant.

Et non habent adjectam conditionem, simpliciter data:

Christus enim Salutem illam nobis promeruit;

Deus illam nobis credentibus infallibiliter dabit.

Idcirco speramus illam quoque certissimè: unde Paulus,

Rom. 8. 24. *Spe nos jam esse servatos dicit.*

3) Doct. Atque hæc est Spes illa, quæ nunquam fallitur aut pudefit.
 Fundamentum enim, quo ea nititur, firmissimum est, 2. Tim. 2. 19.

Nam, quod attinet

1. Deum ipsum; de eo dicit Paulus,

Rom. 3. 4. *Omnis homo mendax; Deus autem verax est.*

2. Tim. 2. 13. *Fidus manet, Seipsum negare non potest.*

Tit. 1. v. 2. *Spem vitæ æternæ promisit, Deus ille mentiri nescius.*

Heb. 6. 18. *Impossibile est, Deum mentiri.*

2. Promissiones Dei; illæ sunt certissimæ, teste Paulo,

2. Cor. 1. 20. *Quotquot sunt Promissiones Dei, in Christo sunt Etiam & Amen.*

4) Usus. Quapropter, ô fideles,

thes. Sperate in Deo, ejusque Filio Jesu Christo:

Sic vobis certa Spes esse poterit, in temporalibus & æternis.

test. Psal. 37. 5. *Devolve super Jehovam viam tuam, & confide in eo; nam ipse efficiet.*

Psal. 55. 23. *Rejice in Jehovam onus tuum, (ex signif. Arabic.) & ipse sustentabit te.*

5 Psal. 34. 11. *Leones pauperantur & esuriunt: quærentes autem Deum, non indigebunt ullo bono. His accidet, juxta experientiam Davidis,*

Psal. 37. 25. *Puer fui, etiam consenui; sed non vidi justum derelictum, aut semen ejus querens panem.*

3) spec.

Spec. Quapropter, Auditores,

1. Si deest vobis aliquid, in temporali hac vita,
Sperate in Deo: Ille vobis dabit, si vobis id sit salutare;
atque si non sit contra suam gloriam:

Si id vobis non sit salutare, quod petitis ac speratis, &
dabit melius quid; interim vos solabitur ac roborabit.

Expulsi estis? Sperate in Deo, cum Davide, quum ille, primò à
Saul rege, deinde à filio Absolone, regno pelleretur; verùm
ità, ut cum eodem vos voluntati Dei permittatis:

Tunc Deus, si vobis sit salutare, ipsi gloriosum, vos reducet,
sicuti tandem reduxit & restituit Davidem.

Abjicimini in fornacem ardentem Persequutionum?

Sperate in Deo, cum sociis Danielis; verùm ità,
ut voluntati ejus vos permittatis:

Tunc Deus, si vestræ saluti, suo honori cedet, & vobis mittet
Angelum, qui vos custodiat in medio igne;
qui ora Leonum occludet, ut Danieli accidit, *Dan. 6. 23.*

2. Quia autem non habetis absolutas promissiones hujus vitæ,

Arripite Spem vitæ æternæ, absolutè promissæ,
quamque sinè ulla conditione sperare potestis,
quæ certissima est, ac nunquam pudescit, *ut in text.*

Imò hæc Spes facit, ut despiciamus omnem vitæ hujus miseriam,
& gloriemur in Afflictionibus temporalibus, *ut sup.*

sim. Hæc Spes est *Ancora animarum nostrarum*, quæ etiam penetrat
in ipsum cælum, ubi Christus Advocatus noster est, *Heb. 6. 19. 20.*

Navicula, fixa ancorâ, non habet quod timeat, in medio mari,
fremente licet mari, furentibus licet ventis, ac fluctibus.

Navicula cordis nostri Ancoram animæ ejicit, in mari mundi,
figitque in ipso cælo: exinde non timet cor nostrum,
quocumque tentationum procellæ impetum faciant,
quantus etiam ventus ac turbo persecutionum flet,
quantacumque miseria & oppressio invadat.

concl. Nondum quidem videmus, quod speramus: interim tamen jam

Spe servati sumus, ut Paulus ait, *Rom. 8. v. 24. & v. 25.*

*Spes autem, si cernatur, non est Spes, &c. Si verò, quod non
cernimus, speramus, nempe per Patientiam expectamus.*

Tantummodò igitur *Patientiâ nobis opus est, ut faciamus Volun-
tatem Dei, & Præmissionem illam reportemus*, *Heb. 10. 36.*

PARS II.

P A R S II.

Secundum quod attinet, *Certificationem Spei hujus*:

Text. Dicit in textu Paulus; *Eò quòd Charitas Dei effusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

Exeg. Duo dicit Apostolus:

1. *Charitas Dei effusa est in cordibus nostris.*

decl. Hoc est, In cordibus nostris sentimus Charitatem Dei:

haud aliter, quàm si quis perfusus aquâ gelidâ, non potest non sentire aquam effusam in se.

conf. Adeòque certificamur hoc ipso, de charitate Dei, & Christi:

Dei; quâ nos tantopere dilexit, ut *Christus* ab eo datus, pro nobis sit mortuus, quum adhuc inimici essemus, v. 8. quâque itâ dilexit mundum, ut *Filium illum suum unigenitum dederit*, in mortem scil. & c. Joh. 3. 16.

Christi; quâ nos adeò dilexit, ut etiam *vitam suam pro nobis deposuerit*, ut ait ipse *Christus*, Joh. 15. 13.

2. *Per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Etenim,

Rom. 8. 15. 16. 17. *Non accepimus Spiritum servitutis, rursus ad metum; sed accepimus Spiritum adoptionis, per quem clamamus; Abba, Pater. & c.* Si accepimus, ergo datus est nobis: A quo?

Gal. 4. 6. *Emisit, DEUS Spiritum Filij sui, in corda nostra, clamantem, Abba, i. e. Pater.* Imò,

2. Cor. 1. 21. 22. *Qui nos confirmat in Christum & qui unxit nos, DEUS est: Qui etiam obsignavit nos, indiditque arrhabonem (h. e. pignus) Spiritus cordibus nostris.* Sic,

2. Cor. 5. 5. *Porro DEUS est, qui nos ad hoc ipsum condidit, qui etiam dedit nobis Arrhabonem Spiritus: quo tanquam certo Pignore confirmamur, & quidem per Euangelium, ut,*

Eph. 1. 13. 14. *Per Euangelium, posteaquam credidimus, obsignati sumus Spiritu illo promissionis Sancto: Qui est Arrhabo hereditatis nostrae, ad obtinendam redemptionem, ad laudem gloriae ipsius.* Hinc & Apostolus Johannes ait,

1. Joh. 2. 21. *Vos Unctionem habetis, à Sancto illo profectam, & nostis omnia. Et ver. 27. Eadem unctio manet in vobis, & docet vos de omnibus; quæ & verax est, & non mendax: & sicut docuit vos, manebitis in eo.*

O o o

n) Doct.

1) *Doct.* Videte, Auditores, & perpendite, Quanta gratia à Deo hæc est!

thes. Non solum nobis donavit Vitam æternam, Rom. 6. 23.

fecitque Spem futuræ gloriæ & beatitudinis;

Sed etiam certiores nos reddit fidei nostræ,

certiores nos reddit Spei illius, per Spiritum Sanctum:

qui est Pignus hereditatis nostræ, quam speramus, *ut sup.*

decl. Videte, & rectè expendite: Ibi enim est, (*ex. 2. Cor. 13. 13.*)

Amor Patris; qui nobis dedit Mediatorem Filium suum,

per quem nobis patet aditus ad Deum, ut Patrem nostrum:

Gratia Jesu Christi; qui nobis promeruit vitam æternam,

nosque ignominiosâ, at pretiosâ morte, reconciliavit Patri:

Communio Spiritus Sancti; qui obsignat nobis hanc gratiam,

& Charitatem hanc Patris & Filij diffundit per corda nostra:

Ut, volente Deo, in sequenti concione fusiùs dicemus,

quando de Charitate illa ulteriùs differemus.

2) *Usus.* Si verò Spiritus Sanctus est,

hyp. Qui nos in cordibus nostris certiores reddit,

de Spe vitæ futuræ, gloriosæ, ac æternæ:

thes. Habemus, quòd agamus Deo benignissimo gratias,

Deum emisisse Spiritum suum Sanctum,

non solum super Apostolos, in festo Pentecostes, *Act. 2.*

sed etiam super unumquemque nostrum:

Adcòque & in nostra corda Charitatem Dei esse effusam,

ut Spes nostra nunquam nos pudefaciat aut confundat.

med. Necessè etiam erit,

Ut unanimes simus, sicut Apostoli *unanimitè congregati erant,*

quum Spiritus Sanctus in ipsos effunderetur, *Act. 2. 1.*

Et ut precemur, cum Davide,

Psal. 51. 12. 13. 14. Spiritum firmum renova intra me: Ne

abjicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne re-

cipias à me: Redde mihi gaudium salutis tue, & Spiri-

tu ingenuitatis sustentato me.

Psal. 143. 10. Doce me facere placitum tuum, quia tu es Deus

meus: Spiritu tuo bono deduc me, per terram planam.

rat. Et quidni id faciamus? Audi Christum, dicentem,

Luc. 11. 13. Si vos, qui mali estis, nostis bona donâ dare liberis

vestris; quantò magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum

Sanctum, petentibus ab ipso.

CONCL

CONCLUSIO.

R. Audivistis ità, Auditores,

1. Quàmnam sit differentia, inter Spem humanam, & divinam: illam esse fallacem, hanc firmam & non pudefacientem.
2. Quàmnam re Spes illa foveatur & conservetur, in cordibus fidelium: nempe, Spiritu Sancto, qui datus est nobis; & per quem Charitas Dei est effusa in cordibus nostris.

C. Nihil amabilius, nihil sub Sole præstantius est, Spe illâ fidelium, Spe Vitæ æternæ, & Gloriæ post hanc vitam revelandæ.

Hæc enim sola potest,

irrequietos animos, & conscientias turbatas sedare;
tristia corda exhilarare, omnemque mœstitiam fugare;
contritos ac fractos animos reficere, ac sanare;
mortem denique ipsam temporalem edulcare.

Propter hanc Spem multi passi sunt se affligi, ejici, incarcerari, torqueri, occidi, uri, secari.

Hanc Spem si non haberemus, miserrimi omnium hominum essemus;

Quotquot in hoc mundo vivunt, eoque fruuntur: Nam,
Si in hac solum vita speramus in Christum, inquit Paulus,

1. Cor. 15. 19. Miserrimi omnium hominum sumus.

Jam autem habemus hanc Spem Vitæ æternæ,

nobis non solum merito Christi pretiosissimo partæ,
sed etiam in cordibus nostris per Spiritum S. obsignatæ.

Quidni igitur dicamus cum Petro Apostolo? *1. Pet. 1. v. 3. 4.*

*Benedictus esto Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi,
qui ex multa sua misericordia nos genuit in Spem vivam,
per resurrectionem Christi ex mortuis: Scilicet,*

*Ad Hereditatem illam, incorruptibilem, incontaminatam,
inmarcescibilem, nobis in cœlis servatam.*

V. Idem quoque tandem nos reipsâ det frui eo, quod nunc speramus;
concedatque, ut tandem videamus coràm, quod necdum videmus:

Faciem scilicet suam, in qua est beatitudo & gaudium plenum,

quod nec oculus vidit, nec auris audivit,
nec ullus homo cogitatione comprehendit.

Illi, Deo, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, sit laus, honor, & gloria,
in sempiterna secula, Amen.

O O O 2

CONCIO XLIII.

C O N C I O XLIII.

De Charitate Dei, Gratia Christi,
& Testimonio Spiritus Sancti.

T E X T U S, Rom. V. vers. 5--10.

Charitas Dei effusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Christus enim, quum nullis adhuc viribus essemus, praestituto tempore pro impiis mortuus est. Enimvero, vix pro justo quisquam moriatur: (nam pro bono viro forsitan aliquis mori sustineat.) Commendat autem suam erga nos Charitatem Deus, eo quod, quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit. Justificati igitur ejus Sanguine, servabimur multo magis per eum ab ira illa. Nam si, quum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ipsius.

E X O R D I U M.

Futurae vitae ac gloriae Spe nihil jucundius est sub Sole:
Haec enim sola potest, animas inquietas tranquillare,
tristia corda in omnibus adversis exhilarare,
amaritudinem mortis ipsius temporalis edulcare.
Idcirco Paulus de hac Spe, in praeced. tam magnifice loquutus est;
*Gloriamur sub Spe gloriae Dei: Nec id solum, sed etiam
Gloriamur de Afflictionibus; scientes, quod
Afflictio patientiam efficit, Patientia experientiam,
Experientia spem, Spes autem non pudefacit.*

Quia ergo tam eximia res est, Spes vitae aeternae,
Paulus eam à Fundamento describit, in textu praelecto;
atque nobilem hunc Surculum, inserit verae Stirpi:
Declaratque, Spem illam non posse confundere, aut pudefacere;
siquidem ea sit fundata ac radicata,
1. in Charitate Dei Patris,
2. in Gratuito merito Jesu Christi,
3. in Testimonio Spiritus Sancti infallibili.

Hoc tripl-

Hoc triplex fundamentum, est unica origo & scaturigo Salutis nostræ:

Ex hoc Fonte promanat,

Pax illa, quam cum Deo habemus; de qua antehac *sup.*

Gloriatio illa, quæ est de Spe gloriæ futuræ, dandæ à Deo;

Gloriatio illa, quam habemus in Afflictionibus: de qua utraque *sup.*

Gloriatio, de Deo ipso, per Christum; de qua *inf. v. 11.*

Hunc Fontem aperit nobis Apostolus, in textu prælecto:

P. Quem nos hac vice consideraturi, dicemus de his tribus;

I. De Charitate Dei Patris:

II. De Gratia Jesu Christi, Filii ejus:

III. De Testimonio Spiritûs Sancti.

V. Charitas Dei Patris, Gratia Jesu Christi, Communio Spiritûs S.
fit cum omnibus nobis; ut hæc consideremus,
ad Dei gloriam, nostrique consolationem æternam: *Amen.*

P A R S I.

Charitatem Dei Patris quod attinet,

1. *Text.* De illa Apostolus Paulus primùm *vers. 5.* ita ait; *Charitas Dei effusa est in cordibus nostris.*

Exeg. Diximus de hac etiam, in præcedenti concione.

cont. Papistæ hîc, per Charitatem Dei, intelligunt illam charitatem, quam nos Deo debemus, & quâ Nos diligimus Deum:

Proinde concludunt, Pacem & securitatem benevolentia Dei tribuendam esse, non soli Fidei, (ut nos statuimus;) sed etiam Charitati, & aliis virtutibus ac bonis Operibus, quæ in nos Deus veluti effundat.

pro. Sed intelligi hîc Charitatem Dei,

Quâ Deus nos diligit,

non illam, quâ nos diligimus Deum;

Patebit ex sequentibus verbis, declarationis ergò adjectis: ubi Paulus *vers. 8.* expressè ait;

2. *Text.* Commendat suam, erga nos, Charitatem Deus.

thes. Suam, inquit, Erga nos; non Nostram, erga Deum. Atque

Hæc Charitas ipsius Dei erga nos, solum est fundamentum Salutis nostræ, per Christum partæ;

Adeoque & Spei nostræ, de illa conceptæ.

a) test.

a) *test.* De hac Charitate Dei testatur ipse Christus, Joh. 3. 16.
Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;
Ut quisquis credit in eū, non pereat, sed habeat vitam æternam.
 De eadem Charitate Dei Apostolus Johannes ait, 1. Joh. 4. 9. 10.
Per hoc manifesta facta est Charitas Dei in nos, quod Filium
suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.
In hoc est Charitas, non quod nos dilexerimus Deum,
sed quod ipse dilexerit nos, & miserit Filium suum,
ut esset propitiatio pro peccatis nostris.

*) *Exeg.* De hac Charitate Dei erga nos, Paulus ait,
text. Commendat suam erga nos Charitatem Deus.
decl. Commendat: hoc est, Confirmat illam in nobis,
ut in mediis afflictionibus constituti sciamus, ac confidamus,
cum nobis affuturum gratiã ac ope suã.
Charitatem suam: Qualem autem Charitatem?
An, quod nos condidit ad Imaginem suam? Gen. 1. 26. 27.
Magna quidem hæc Charitas, sed est alia hac major.
An, quod homini omnia subjecit? ut, Psal. 8. 7.
Magna est & hæc Charitas, sed est alia hac quoque major.
An, quod nos hæctenus sustentavit, custodivit?
Est & hæc magna Dei Charitas erga nos;
Sed restat longè major illa: Quænam igitur illa?

*) 3. *Text.* Audi Paulum, in textu porrò ita loquentem; *Eò quod,*
 v. 8. *Quum adhuc essemus peccatores,*
Christus pro nobis mortuus est, (scil. voluntate Patris.)
 v. 6. *Christus, quum nullis adhuc viribus essemus,*
prestituto tempore pro impiis mortuus est.
 v. 10. *Quum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo,*
per mortem Filii ipsius.

Exeg. Hæc est illa Charitas Dei singularis, & admiranda.
test. Hinc Apostolus Johannes ait, 1. Joh. 3. 1.
Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater! nempe,
Ut filii Dei vocemur.
Videte, dicit, admirabundus scilicet.
 Hanc deprædicat & Apostolus Paulus, Rom. 8. v. 32.
Is quidem, qui proprio suo Filio non pepercit,
sed pro nobis omnibus Tradidit eum;
Quomodo non etiam, cum eo, nobis omnia gratificabitur?
 d) anal.

Manal. Perpendite, quæso, Auditores, & quidem distinctè,

1. QUEM tradiderit?

text. Christum, inquit Apostolus:

test. Filium illum suum *Unigenitum*, Joh. 1. 18. Joh. 3. 16.

Filium illum suum *Proprium*, Rom. 8. 32.

De quo audita illa vox è cælo, bis; *Hic est Filius ille meus, dilectus ille, in quo acquiesco.*

Qui erat *in forma Dei, par Deo*, Phil. 2. 6.

Qui est *effulgentia gloriae, & character personæ illius*, Heb. 1. 3.

2. QUI S tradiderit?

text. Deus, Pater scilicet.

comp. Duo in terris sunt ineffabilia;

Amor parentum erga liberos, &

Dolor parentum, ob liberos.

Quis ergo effari possit amorem æterni Patris

erga Filium suum coæternum, coessentialem?

Qui est unigenitus, proprius, dilectus Filius ipsius, *ut sup.*

Qui semper fecit voluntatem Patris, Joh. 8. 29. ☉

thes. Nihilominus hic Pater hunc Filium tradidit.

test. Joh. 3. 16. *Filium suum unigenitum Dedit*, ἰδωκεν.

Rom. 8. 32. *Proprio Filio non pepercit, sed illum pro nobis omnibus Tradidit*, παρῆδωκεν.

3. AD QUID tradiderit?

text. In mortem: Mortuus pro impiis, &c.

decl. Et quidem, in tam horrendam mortem, maledictamque,

tam ignominiosam, & dolorificam; Crucis scil.

Nam perpende, Flagellum, Spinas, Clavos, Crucem, &c.

& perpende, Filium Deitalem mortem passum esse.

Nonne magnus amor, talem Patrem, talem Filium,

tradidisse in mortem, & quidem mortem Crucis?

test. Unde Paulus, Phil. 2. 8. *Factus obediens Christus, Filius Dei, usque ad mortem, mortem autem Crucis.*

Itè Petrus, 1. Pet. 2. 24. *Qui peccata nostra ipsemet sursum tulit, in corpore suo, super Lignum illud.*

Unde & Paulus alibi, 1. Cor. 2. 2. *Non statui quicquam scire inter vos, nisi Jesum Christum, eumque Crucifixum.* Itè,

Gal. 3. 13. *Maledictus quisquis pendet in Ligno.* Itè,

Gal. 6. 14. *A me absit gloriari, nisi in Cruce D.N. J. Christi.*

4. PRO

4. P R O Q U I B U S tradiderit?

text. Pro nobis, inquit Apostolus, v. 8. iisque

Infirmis, v. 6. ἐπιὸντων ἡμῶν ἀδυνατῶν, adhuc existentib. nobis infirmis;

Vel, Quum nullis adhuc viribus essemus: hoc est,

Quum morti proximi essemus, postquam omnes ad bonum vires, per lapsum protoplastarum fractæ & corruptæ essent.

Quod & insinuat Paulus, dum ait, Christum pro nobis mortuum, utpote qui mortem commeriti, morti eramus subjecti.

Impiis, v. 6. hoc est, Qui à Deo alienati, ejus Legem violabamus, totosque nos peccatis volutabamus, multis modis impii.

Peccatoribus, v. 8. Quum adhuc essemus peccatores: quippe qui, non solum in Adamo, sed etiam ipsi, peccaveramus.

Inimicis Dei, v. 10. ut qui voluntati ejus resistebamus, adeoque peccatis nostris Deum impugnabamus, eumque à nobis disternabamus; (ut est in *Esa.* 59. 2.) Unde *Ira illa*, *text.* v. 9.

test. Idem testatur Petrus, 1. Pet. 3. 18. Christus semel pro Peccatis passus est, justus pro injustis, mortificatus, &c.

Sic alibi Paulus, 2. Cor. 5. 21. Deus fecit eum, qui non novit peccatum, ut pro nobis peccatum fieret, h. e. sacrificium pro peccato; ut nos efficeremur justitia Dei, in eo, Christo scil.

5. Q U O M O D O tradiderit? Promptè ac hilariter: nam

text. Mortuus Christus, κατὰ καιρὸν; h. e. præstituto tempore, quod scil.

Deus præstituerat ac præscripserat: de quo Paulus alibi,

test. Gal. 4. v. 4. Postquam venit plenitudo temporis, (expleto tempore præfixo,) emisit Deus Filium suum, factum ex muliere,

factum Legi (maledictioni Legis) subjectum, &c.

decl. Hoc tempore advoluto, nulla mora est,

mittit Pater, venit Filius;

aperitur cœlum, descendunt Angeli, hujus gratiæ præcones, in summa, fiunt hæc omnia, non contra, sed juxta

Voluntatem Dei, eamque liberrimam, & promptam.

Nec tantum promptâ voluntate Dei Patris id est factum,

sed & promptâ ac pronâ voluntate Filij: juxta illud Apostoli,

Heb. 10. v. 5—10. (ex Psal. 40. v. 7. 8. 9.)

Christus, missus à Deo, ingrediens mundum dicit, Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem adaptaisti mihi; Holocaustomata & hostiam pro peccato non approbasti: Tunc dixi, Ecce adsum, &c. ut faciam Deus voluntatem tuam.

*) Appl.

1) Appl. (in Doct. & Usu.)

Doct. Hæccine est magna Dei Charitas? Imò, maxima.

comp. Historiæ tradunt, patrem quendam pro filio supplicium subiisse:
Mirati sunt hunc amorem homines.

At videte hîc majorem amorem Patris & Filij,
erga genus humanum miserum, ac reum mortis:
Et nos non miraremur?

test. Miratur ipse Christus, Joh. 3. 16. Sic, SIC Deus dilexit mundum,
ut Filium suum unigenitum dederit, & c.

Mirantur ipsi Angeli, nam Delectantur introspicere Euangelium
de Jesu Christo; ut testatur Petrus, 1. Pet. 1. v. 12.

Respicit ad Cherubinos, Arcæ federis impositos, facie versus
Arcam inflexâ, quasi inspecturos eam, Exod. 37. 7. 8. 9.

Mirantur Apostoli: unde Paulus precatur Ephesiis, Eph. 3. 16-19.
Ut det ipsis Deus, pro divite sua gloria, & c. ut valeant assequi,
cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo ac longitudo, & profundi-
tas ac sublimitas, Gratia Dei; & nosse Charitatem illam Christi,
omni notitiâ supereminentiorem, & c.

appr. Idem & nobis optare & precari licet: nam

text. Commendat suam Charitatem etiam Nobis Deus; eò quòd, quum
adhuc essemus peccatores, impij, & inimici Dei,
Christus pro nobis mortuus, nos reconciliavit Deo.

decl. Commendavit quidem nobis Charitatem suam Deus, in opere
Creationis, quod est admirabile; ut celebratur, Psal. 8.

Sed in opere Redemptionis Charitas Dei egregiè elucet:

Illic, in Creatione, Deus hominem suâ imagine induit;

Hîc, in Redemptione, Filium nostrâ imagine induit.

Illic, hominem creatum locavit in Paradiso;

Hîc in Cælo locat, facitque coheredem Filij.

Illic, in Creatione, donavit omnia homini, Psal. 8. 7.

Hîc verò, in Redemptione, donavit Seipsum homini;

Et quidem lapsò, infirmo, peccatori, impio, inimico.

O Charitatem Dei immensam, admirandam & celebrandam!

concl. Quis non dicat cum Apostolo Paulo? Rom. 11. v. 33-36.

O profundas divitias, tum Sapientia, tum Cognitionis Dei!

(imò & Misericordia, de qua dixerat vers. 31. 32.)

Quàm imperscrutabilia sunt ejus judicia, & via ejus & c.

Nam ex eo, & per eum, & in ipsum sunt omnia: Ei gloria & c.

PPP

3. Usus.

Ufus. Quis se non consolaretur hac Charitate Dei?

hyp. In hac Charitate fundata est Spes nostra;

idcirco non possumus pudefieri unquam.

ant. Ah! quàm sæpè Peccata nostra nos turbant & confundunt!

Quàm sæpè pius aliquis in has cogitationes devolvitur;

Ah! peccata mea ad iram provocant Deum meum!

Ah! quotidie peccata peccatis cumulo!

thes. At, quid sollicita & anxiosa es, ô pia anima?

Possitne Pater irasci filio suo adoptivo, pro quo & ipsam

Filium suum unigenitum dedit, & quidem in morte?

Si pater aliquis benefacit, etiam filio impio;

quid faciet filio, ad frugem redeunti, & patrem reverenti?

fund. O quàm forte habet Spes nostra fundamentum, in hoc Amore!

Amor hominum inconstans est, & vanus;

qui hodie amatur, sæpè cras odio habetur: At,

Amor Dei constantissimus est. Nam audi, quid dicatur,

rest. Psal. 100. 5. Bonus est Jehova, in seculum est benignitas ejus

& usque ad generationem quamque fides ejus.

Psal. 103. 13. Ut miseretur pater liberorum, sic miseretur Jehova

timentium ipsum. Vers. 15. 16. 17. Mortalis dies similes fæno,

ut flos agri, &c. At benignitas Jehove, inde à seculo usque in

seculum, erga timentes eum, & justitia (misericordia) ejus, &c.

Esa. 54. 10. Montes recedant, colles dimoveantur: Attamen,

Benignitas mea à te non recedet, & fides pacis mea non dimove-

bitur, ait miserator tuus Jehova.

Esa. 49. 14. 15. 16. Sion dicit, Dereliquit me Jehova, Dominus

oblitus est mei. An oblivisci potest mulier fætus sui, ut non mi-

seretur filij uteri sui? Etiam hæc oblivisci possint, tamen ego non

obliviscar tuum. En, in manibus meis sculpsi te, ut in perpetua

memoria mihi obverseris.

Jer. 31. 20. An non filius charus mihi est Ephraim? annon natus

summa oblectationis? Ex quo loquutus fui ei, recordor ejus ad-

huc: idcirco perstrepunt viscera mea propter eum, omnino mi-

serebar ejus, dictum Jehove.

epith. Quin redamemus Deum, tantâ charitate clarum:

Diligamus Deum, ex toto corde nostro, ex tota anima nostra,

& ex totis viribus nostris, Deut. 6. 5. Matt. 22. 37.

Decebit id tantam Charitatem Dei, erga nos commendatam.

P A R S II.

P A R S II.

Gratiam Jesu Christi quod attinet,

Thef. Non solum Deus Pater Filium suum, in mortem, pro nobis tradidit;

Sed etiam Filius, Patri obtemperans, se libenter in mortem dedit.

1. *Text.* Idcirco Paulus, hic in textu, non dicit, quod alibi dicit, nempe
Rom. 8. 32. *Patrem Filium proprium Tradidisse pro nobis, &c.*
Rom. 4. 24. *Traditum in mortem, à Patre scilicet.*

Sed dicit tantummodò; *Christum esse mortuum pro nobis, vers. 8.*

Exeg. Non necessitate naturæ; de qua *Gen. 3. v. 19.*

ut mortui, David, Salomon, omnesque omnino homines:

Sed liberrimâ voluntate, ultrò se morti dedit; ut,

Psal. 40. 8. 9. Ecce adsum, ut faciam voluntatem tuam. Heb. 10. 7.

Joh. 10. 15. Animam meam depono pro ovibus meis, i. e. Vitam.

v. 18. Nemo tollit eam à me, sed ego depono eam per meipsum.

Auctoritatem habeo deponendi eam, & auctoritatem habeo rur-
sus eam assumendi: Hoc præceptum accepi, à Patre meo.

2. *Text.* Quanta autem hæc sit gratia Salvatoris nostri, docet Paulus,

Dum ait; *Mortuum eum esse, pro nobis impiis.*

Adducitque comparationem, quâ vult ostendere,

Simile non fuisse inventum unquam, nec inveniri posse:

His verbis; *Enimvero, vix pro justo quisquam moriatur;*

Pro viro bono forsitan aliquis etiam mori sustineat.

Exeg. Consideremus hic, *Protasin & Apodosin.*

Prot. *Vix pro justo quisquam moriatur.*

Lutherus vertit, *Pro justa causa*: Sic Hieronymus.

Potest tamen etiam de *justo homine* intelligi: ut in *Apodosi.*

Sensus est, *Vix aliquem inveniri, qui pro Justo vitam deponat.*

Ratio est, quia *Justus non videtur egere morte vicariâ;*

quum sit innocens, nec mortem mereatur:

Vel, quia vita tam chara est, ut nemo libenter moriatur,
pro se, nedum pro alio, eoque nihil tale merenti.

Pro Bono forsitan aliquis etiam mori sustineat:

Vel, *Pro Bono viro*; propter oppositum, *Pro impiis.*

Paulus hæc verba adjicere videtur, quia fortè exemplum

in contrarium dari poterat: ut in historia Romana,
de Decius, de M. Curtio, de Niso, (*vide pag. seq.*)

Decius Mus, (uterque, pater, & filius,) ex superstitione Gentili, se pro exercitu Romano devovère, credentes superstiosè, se mortuis, totum exercitum immunem à clade, & victorem fore.

M. Curtius, patriæ causâ, se in specum pestilentem Romæ abjecit, credens ex eadem superstitione, à Sacerdotibus commendata, ut ipso pereunte Roma liberaretur ab illa peste.

Nisus se pro Euryalo necandum obtulit; ut *Virg. lib. 9. Æneid.*

*) *Apod.* Sed licèt hæc ita sint, (vult dicere Paulus,)

Tamen longè alia est ratio Christi: Ille enim

Mortuus est pro nobis impiis. Adhæc,

1. Christus planè fuit insons ac innocens:

Illi, qui pro aliis mortui fuère, fortè æquè rei fuerunt.

2. Christus se morti dedit, impulsus solo amore:

Illi mortui sunt, Vel instinctu Diaboli, Gentium Dei;

Vel desperatione, videntes se sic mortis reos esse;

Vel ambitione, ut gloriam apud homines venarentur.

Quapropter magna hæc fuit Gratia Christi:

Super qua etiam nititur fides & Spes nostra;

Nec se ullo modo dimoveri aut conturbari patitur.

3) 3. *Text.* Paulus porrò dicit;

v. 9. *Christi Sanguine nos esse justificatos,*
Servandos nos multò magis ab illa Ira.

v. 10. *Reconciliatos nos esse Deo, per mortem Filii sui;*
Multò magis reconciliatos servandos, per Vitam ipsius.

Exeg. Hæc omnia, Quomodo scilicet Christus,
Morte & passione suâ nobis vitam Promeruerit;
Potentiâ suâ, & vitâ gloriosâ, meritum suum nobis Applicet:
Hæc, inquam, differemus in sequentem Concionem,
quum iis, nunc declarandis, tempus non sufficiat.

Usus. Sufficiat etiam Usum horum omnium obiter indicasse:

thes. Si tanta est Gratia Christi, in nos miseros peccatores,
Habemus, quòd nos consolemur in vita & morte,
& in omnibus Afflictionibus nostris.

Habemus, quòd laudemus & celebremus grati,
nosque Redemptori nostro attemperemus.

test. Sicuti Paulus, Gal. 2. 20. Vitam, quam nunc vivo in carne,
vivo per fidem illam Filii Dei, qui dilexit Me, & Semetipsum
tradidit pro Me. Sic, Gal. 6. 14. &c.

P A R S III.

Testimonium Spiritus Sancti quod attinet,
Text. Dicit Paulus, *vers. 5. Charitas Dei effusa est in cordibus nostris,*
per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.

Exeg. Egimus de eo, in præcedenti concione: hinc paucis repetemus.

test. Est hoc ipsum, quod & alibi testatur Apostolus,

Rom. 8. v. 15. item, Gal. 4. v. 6.

2. Cor. 1. v. 21. 22. item, 2. Cor. 5. v. 5. & Eph. 1. v. 13. 14.

1. Joh. 2. v. 21. 27. (*Vide hæc dicta sup. pag. 473.*)

decl. Amavit quidem Deus nos ab æterno, in Filio suo;

Christus etiam in tempore opus Redemptionis perfecit:

Sed tunc demum Charitas Patris, in Christo, revelata est nobis,

Quum nos per Verbum suum vocavit,

Spiritumque Sanctum dedit, qui per prædicationem Euangelii

Nos regenuit, 1. Pet. 1. 23.

Fidemque in nobis generavit.

Doct. Hinc non tantum Scimus, sed etiam Sentimus, nos amari.

1. *thes.* Scimus, nos amari à Patre, & à Filio: nam,

text. Spiritus Sanctus datus est nobis; qui

test. Rom. 8. 16. Spiritus ipse testatur unà cum spiritu nostro, nos esse filios

Dei. Quòd si filii, etiam heredes; heredes quidem Dei, coheredes
autem Christi: si modò cum eo patimur, ut & cum eo glorifi-
cemur.

2. *thes.* Sentimus, Charitatem Patris, Gratiam Christi:

text. Eò quòd Charitas Dei effusa est in cordibus nostris,

per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.

sim. Si gelidà aquà nudum corpus tuum perfunderetur,

utique sentiret, totum corpus horrore corripere:

Ità, quia Deus, non aliquot guttas suæ Charitatis, sed plenum vas,

imò flumen Charitatis suæ in nos effudit, per Spiritum S.

fieri non potest, quin eam sentiamus.

Verùm, hic sensus non incutit horrorem, aut terrorem;

Sed voluptatem, & lætitiã cordialem,

in precatione, in cruce, in tentatione, in ipsa morte:

Adeò ut lætè precemur, alacriter & patienter patiamur,

animosè lætemur, lætè ac beatè tandem moriamur.

*) *Usus. (triplex, 1. Correctionis, 2. Consolationis, 3. Refutationis.)*

1. *Corr.* Agite ergo, ô fideles,

hyp. Quia Spiritus S. est pignus magnæ hujus Charitatis, in nobis,

thes. Ne tristitiâ afficiamus hunc Spiritum S. ut, *Eph. 4. v. 30.*

quod fit, vitâ impiâ, intemperanti & impurâ, &c.

Ne exstinguamus Spiritum; ut *1. Thess. 5. v. 19.*

quod fit iisdem vitiis, & socordiâ ac negligentia.

2. *Conf.* Consolationi nobis hoc ipsum est: nam,

hyp. Testimonium Spiritus S. est præcipuum fundamentum Spei nostræ:

rest. Nam, *1. Cor. 2. 12. Non accepimus Spiritum mundi:*

sed accepimus Spiritum, qui est ex Deo;

ut sciamus, quæ Deus nobis est gratificatus.

ant. Ubi hic Spiritus non est, ibi est dubitatio & fluctuatio;

ibi est horror & desperatio.

thes. Ubi autem hic Spiritus est, ibi cedit omnis dubitatio;

ibi sentitur Charitas illa Dei, linguis hominum ineffabilis;

ibi constans Spes vitæ æternæ: *2. Cor. 3. 17.*

3. *Ref.* Videntur Papistæ hunc Spiritum non accepisse:

cont. Docent enim, dubitandum esse de Dei in nos amore.

pro. Quia autem nos illum Spiritum accepimus,

Possumus confidenter dicere, cum Paulo, *Rom. 8. 38. 39.*

Persuasum mihi est, neque mortem, neque vitam, neque &c.

Posse nos separare à Charitate Dei, quæ est in C. 7. D. N.

Possumus lætè precari, & Deum, Patrem nostrum vocare: nam,

Eph. 2. 18. Per Christum habemus aditum ad Patrem,

per unum Spiritum. Confer, Eph. 3. 12.

Possumus lætè adire afflictiones, ignominiam, Crucem,

Dicentes cum Apostolo, *Rom. 8. 18. Reor minime pares &c.*

Et *2. Cor. 4. 17. Illico præteriens levitas afflictionis, &c.*

Possumus alacriter luctari, cum Diabolo, eique obistere;

contra omnes Tentationes, easque superare, idque

juxta admonitionem, *1. Pet. 5. 8. 9. Eph. 6. 16.*

Possumus lætè ac beatè mori, dicentes, cum

Christo, *Pater, in manus tuas depono spir. meum, Luc. 23. 46.*

Stephano, *Domine Jesu suscipe spiritum meum, Act. 7. 59.*

Paulo, *Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus, Rom. 14. 8.*

et c., *Phil. 1. 21. 23. 2. Cor. 5. 1. & 8. &c.*

CONCL-

C O N C L U S I O.

R. Audivistis ità hæcenus, Aud. tria Salutis nostræ fundamenta,
quibus firmiter innititur Spes nostra, ut non pudefiat;

1. Charitatem Dei Patris;
2. Gratiam Jesu Christi;
3. Testimonium Spiritûs Sancti.

C. Hic Fons Salutis verus, triplici scaturigine Spem nostram influens:

Adeste, qui in exitio jacetis, & sititis Aquam Vitæ;

Adeste, & haurite ex hoc Fonte, qui inexhaustus est:

Et invenietis requiem Animabus vestris;

Et Spes vestra vos non fallet, aut pudefaciet.

Ad hunc Fontem vocat nos Deus, apud Prophetam, Esa. 55. v. 1. 2.

Heus, quisquis sitit, venite ad istas Aquas;

& cui nulla est pecunia:

Venite, comparate, & comedite;

venite, inquam, comparate absque pecunia,

& absque pretio vinum & lac.

Cur expenditis pecuniam, pro nullo cibo;

& laborem vestrum, pro re minimè satiatura?

Auscultando auscultate Mihi, & comedite bonum;

atque oblectet se hac pinguedine anima vestra.

De hoc Fonte testatur Zacharias propheta, Zach. 13. v. 1.

Die illo erit Fons apertus, domui Davidis, h. e. fidelibus;

& habitatoribus Hierosolyma, h. e. Ecclesiæ;

Pro peccato, & pro separatione ex immunditia.

Hunc Fontem nobis aperit Apostolus Paulus, 2. Cor. 13. 3. v. 13.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, & Caritas Dei, &

Communicatio Spiritûs Sancti, sit cum omnibus vobis.

V. Hunc Fontem & ego vobis aperio, & dico cum Paulo animitus,

Caritas Dei Patris, Gratia Domini Jesu Christi, &

Communicatio Spiritûs Sancti, sit & maneat,

cum vobis omnibus, in æternum, Amen.

Gloria sit Deo Patri, qui tantopere nos misellos Dilexit;

Gloria sit Filio, qui tantam nobis Gratiam præstitit,

Gloria Spiritui Sancto, qui hæc omnia nobis Confirmat:

Gloria sit uni illi ac vero Deo, in secula, Amen.

CONCIO XLIV.

C O N C I O XLIV.

De Merito & Efficacia Christi.

T E X T U S , Rom. V. vers. 8.9.10.

Commendat suam erga nos Charitatem Deus , eò quòd , quum adhuc essemus peccatores , Christus pro nobis mortuus sit. Justificati igitur nunc ejus sanguine , servabimur multò magis per eum , ab ira illa. Nam si , quum inimici essemus , reconciliati fuimus Deo , per mortem Filij ejus , multò magis reconciliati servabimur , per vitam ipsius.

E X O R D I U M .

Unigenitus ille Filius Dei , est proxima causa Salutis nostræ ;
Charitas Dei Patris , Filium dantis , est suprema causa ;
Subordinata his causa Salutis est , Spiritus Sanctus :
ut in præcedenti concione diximus.

Magna quidem Charitas est Dei Patris , erga nos , quòd
Filio suo proprio non pepercit , sed eum pro nobis dedit :
Sed magna quoque est Charitas Filij Dei , erga nos , quòd
Vitam suam pro nobis deposuit , & quidem libentissimè.
Nam *nemo majorem charitatem habet , quàm illam , ut
Vitam suam deponat pro amicis suis , Joh. 15. v. 13.*

Atquè Christus pro nobis mortuus est , & quidem , adhuc
peccatoribus , & inimicis Dei , *ut est in textu.*

Quapropter non est minor Charitas Filij , Charitate Patris , erga nos :

Prout ex præcedenti concione intellexistis ; in qua diximus ,

1. De Charitate Patris , qui Filium suum nobis dedit , idque
quum essemus adhuc peccatores , & inimici ejus.

2. De Gratia Filij , qui pro nobis miseris ac infirmis mortuus est ,
cujus Sanguine justificamur , & liberamur à justa Dei ira.

3. De Testimonio Spiritûs Sancti , qui datus est nobis , quique
Charitatem illam Dei in cordibus nostris diffudit.

Promissimus tunc , nos singulari concione fusiùs declaraturos esse
Gratiam illam Jesu Christi , Filij Dei.

Id nunc

Id nunc præstabimus, per Dei gratiam, ex verbis textûs prælectis:
In quibus describitur,

I. Meritum & Satisfactio Christi; consistens in ejus Morte:

quòd *Christus pro nobis sit mortuus;*
quòd *Sanguine ejus justificemur,*
& *servemur ab illa ira Dei justissima;*

quòd *Reconciliati simus Deo, per mortem Filij ejus.*

2. Efficacia Christi; consistens in ejus Vita:

quòd *reconciliati jam servemur per vitam ipsius.*

Quæ utraque si diligenter consideremus, planè ac plenè intelligemus
Gratiam illam, quæ nobis in Christo Mediatore contingit.

P. Attendite igitur ad hæc duo, à nobis explicanda,

I. *Ad Meritum, & Satisfactionem Christi gratuitam:*

II. *Ad Efficaciam ejusdem, quâ potenter nobis Applicat,*
id quod satisfaciendo promeritus est nobis.

V. Deus effundat Charitatem suam in cordibus nostris, per Spiritum S.

Ut comprehendamus longitudinem & latitudinem, illam (inquam)
altitudinem & profunditatem Gratia illius,

quam declaravit nobis Deus in Filio suo Jesu Christo;

Et ut hac vice de illa loqui possimus, ex sancto ejus verbo,
ad suâ gloriam, nostrique solidam consolationem: *Amen.*

P A R S I.

Meritum Christi quod attinet, dicit de eo Paulus Quatuor ista:

I. De Morte Christi.

Text. Christus pro nobis mortuus est, quum adhuc essemus peccatores.

Exeg. Quomodo autem Christus pro nobis mortuus est?

prop. Factumne id ipsum est,

Tantummodò in exemplum? ut relinqueret nobis exemplum

Patientia, ut nos ejus exemplo similiter pateremur?

Tantum in confirmationem doctrinae suae? sicut Martyres

Morte suâ confirmârunt doctrinae salutaris veritatem?

Tantum, ut sibi gloriam æternam acquireret? ut postea

Exaltaretur à Deo, in summam gloriae sublimitatem?

An verò simul, Nostrâ vice, Nostro loco? ita ut Christus

Mortem illam, quam nos peccatis nostris meriti eramus,

In se susceperit, nosque ab illa liberârit?

Qqg

*)ant.

ant. Socinus, hæreticus blasphemus, docet, Christum
 Bono quidem nostro mortuum esse, sed non pro peccatis nostris:
 Salvatorem nostrum esse, doctrinæ Evangelicæ revelatione,
 & vitæ exemplo, itè judicio futuro:
 Mortuum eum esse, triplici fine,
 in confirmationem doctrinæ suæ, Evangelij scilicet;
 ut nobis exemplum patientiæ relinqueret;
 ut sibi æternam gloriam cœlestem acquireret.
 Et non audeo omnia dicere, quæ blasphemus ille dicit;
 quæ novi hæretici, Arminiani, ex parte sequuntur.

thes. Nos verò contra,

Concedimus quidem, Christum
 Morte suâ, etiam testimonium dedisse doctrinæ suæ;
 additis etiam Miraculis, insigniter claris; *Heb. 2. v. 3. 4.*
 Moriendo, etiam exemplum patientiæ nobis reliquisse,
 ut nos subsequeremur vestigia ipsius, *1. Pet. 2. v. 21.*
 Ideò quoque, quia non duxit rapinam, parem esse cum Deo,
 Exaltatum eum esse, in summam sublimitatem, ac datum ei no-
 men, quod est supra omne nomen, &c. *Phil. 2. v. 6-9.*
 Non quidem juxta divinitatem suam; illa enim gloriam divinam
 ab æterno obtinuit, *Joh. 17. v. 5.*
 Sed juxta officium Mediatorium, quod exsequutus est
 quæ Deus & Homo, *1. Tim. 2. v. 5.*

Sed insuper dicimus, cum Paulo in textu prælecto,
 Quòd *Christus mortuus sit, pro nobis peccatoribus:*
 Hoc est, quòd Mortem, quam nos meriti eramus, in se suscepit,
 Morteque suâ satisfecerit justitiæ Dei;
 Nobisque promeritus sit justitiam & vitam æternam:
 Ità ut Mors Christi sit, & Satisfactio, & Meritum.

test. Probamus hoc variis Scripturæ testimoniis,

Ubi dicitur, Christum mortuum esse pro nobis, ut
 Victimam expiatoriam pro peccatis, *Heb. 10. v. 12. 14.*
 Pontificem, qui seipsum obtulit pro peccatis populi, *Heb. 7. 27.*
 Sanguinis effusione remissionem nobis acquireret, *Heb. 9. 12. 22.*
 Sponsorem nostrum, *Heb. 7. 22. c. 8. 6. c. 9. 15.*
 Perfolveret *λέγων* pro nobis, *Matt. 20. 28. 1. Tim. 2. 6.*
 Morte suâ nos liberaret à morte: *Heb. 2. 14. 15.*
 Quid clariùs dici potest? (*Vide infr. in Doct.*)

Doct.

Doct. Est ergo Mors Christi, & Satisfactio, & Meritum:

I. SATISFACTIO.

thes. (cum test.) Nam,

1. Christus peccata nostra in se suscepit, pœnam pro illis luit:

Esa. 53. v. 4. Morbos nostros ipse pertulit, dolores nostros bajulavit.

v. 5. Ipse dolore afficitur, à defectioibus nostris;

Atteritur, ab iniquitatibus nostris;

Castigatio pacis nostræ imponitur ei;

Tumice eius fit curatio nobis, (sic 1. Pet. 2. 24.)

v. 6. Jehova coniecit in eum peccata omnium nostrum.

v. 7. Exigitur pœna, & ipse affligitur.

v. 10. Exponebat se ipse sacrificium pro reatu.

v. 11. Quorum iniquitates ipse bajulaverit.

v. 12. Peccatum multorum perferens, pro defectorib. intervenit.

Joh. 1. 29. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.

Quid hoc est aliud, quàm satisfacisse eum, pro peccatis nostris?

2. Christi Sanguis effusus est, in remiss. peccatorum, *Matt. 26. 28.*

Dedit animam, h. e. vitam suam, pro nobis,

λύτρον ἀντι πολλῶν, Matt. 20. 28.

ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων, 1. Tim. 2. 6.

ἀπολύτρωσις, Rom. 3. 24. &c.

Mercatus nos per sanguinem suum, Apoc. 5. 9. 2. Pet. 2. 1.

Quid hoc est aliud, quàm quòd pro nobis satisfacit?

3. Christus factus est pro nobis peccatum, ut nos efficeremur justitia

Dei, in eo, 2. Cor. 5. v. 21. Mortuus pro nobis, text.

Passus pro peccatis, justus pro injustis, 1. Pet. 3. 18.

Redemit nos à maledictione Legis, dum pro nobis factus est Male-

dictio, sicut scriptum est, &c. Gal. 3. v. 13.

Factus Legi subjectus, (h. e. Legis maledictioni,)

ut Legi subjectos redimeret, Gal. 4. v. 4. 5.

Propter nos pauper est factus, quum esset dives,

ut nos paupertate ejus ditesceremus, 2. Cor. 8. v. 9.

Dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, Eph. 5. 25.

Dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos, Tit. 2. 14.

Traditus propter offensas nostras, Rom. 4. 25.

Præstitutus placamentum, in Sanguine ipsius, Rom. 3. 25.

Propitiatio pro peccatis nostris, 1. Joh. 2. 2. cap. 4. 10.

Quid hoc est aliud, quàm satisfacisse eum pro peccatis nostris?

2) *obj.* Dicat aliquis; Quomodo potuit satisfacere Christus, pro nobis, qui aeternam mortem commeriti eramus, quum ipse tantum mortem temporalem, eamque brevem, in tertium usque diem, sustinuerit?

Resp. Brevicula illa mors Christi, æquiparatur aeternæ;

1. Ob dignitatem personæ patientis. Fuit enim, Mors Filii Dei: ut in *textu*; item

1. Joh. 1. 7. *Sanguis 7. C. Filii Dei, purgat nos &c.*

Sanguis Agni inculpatis, & incontaminatis, 1. Pet. I. 19.

Conf. Heb. 9. 14. ubi utraque dignitas conjungitur.

2. Ob immensos angores, quos brevi tempore sustinuit.

Quis enim fidelium sanguinem fudavit? *Luc. 22. 44.*

Quis fidelium unquam conquestus, se desertum à Deo?

ut Christus, *Matt. 27. 46. (ex Psal. 22. 2.)*

Deus mi, Deus mi, cur me deseruisti?

Confer, Heb. 5. 7. & Illud, Descendit ad infernum.

inst. Porro dicat aliquis; Potuitne ergo unus homo, pro tam multis hominibus simul satisfacere?

Resp. Si pro uno Principe multa millia gregariorum militum dimittuntur: Cur ergo mors Filii Dei, unici heredis gloriæ, non esset tam pretiosa, ut propter illam totum genus humanum (crediturum) liberaretur?

3) 2. M E R I T U M.

test. Text. Justificati ejus Sanguine; Reconciliati ejus Morte:

Quid hoc est aliud, quàm Christum meruisse nobis, à Deo, Justificationem nostram, & Reconciliationem nostram cum Deo?

Act. 20. 28. Deus acquisivit sibi Ecclesiam, proprio sanguine:

Quid hoc est aliud, quàm quòd Filius Dei, merito effusi Sanguinis sui (in assumpta carne) Ecclesiam redemerit?

1. Joh. 2. 2. *Christus est Propitiatio pro peccatis nostris:*

Sic, 1. Joh. 4. 10. item, *Rom. 3. 25. Hoc est, Christus*

Promeruit nobis reconciliationem cum Deo.

Rom. 5. 19. Per obedientiam unius hominis justii constituuntur multi: h. e. Obedientiâ suâ justitiam nobis promeruit & impetravit Christus. Sic expressè dicitur,

Heb. 9. 12. 15. Per proprium sanguinem aeternam redemptionem nactus: redemptione intercedente hereditatem accipiunt.

Apoc. 5. 9. 10. Redemisti nos, & fecisti nos reges, &c.

4) *obj.*

obj. Dicat aliquis; Quomodo aliquid potest esse simul,
& Satisfactio, & Meritum? aut,
Quomodo quis potest mereri, quum dat quod debet?

Resp. Quum quis proprium debitum exsolvit, eo ipso nihil meretur:
Sed quum quis alienum debitum persolvit, simul eo ipso,
& Creditori satisfacit, & Debitori meretur liberationem.
Sic Christus. Ille nihil debebat, & nostrum debitum exsolvit:
Satisfecit ergo primùm juri ac justitiæ Patris;
Deinde nobis est meritum favorem Patris.

Uusus. Hæc Satisfactio, hoc Meritum Christi, magno nobis est solatio:
thes. Indè possumus haurire consolationem, in omni angustia,
propter peccata ac debita nostra anxii & trepidantes.

test. Ad hunc Fontem nos invitat ipse Deus, Esa 55. 1. 2.

Heus quisquis sitit, venite ad istas aquas; & cui nulla est pecunia, venite, comparate, & comedite: Venite, inquam, comparate absque pecunia, & absque ullo pretio, vinum & lac. Cur expenditis pecuniam, pro nullo cibo; & laborem vestrum, pro re minime satiatura?

Auscultate auscultando mihi, & comedite bonum; atque oblectet se hac pinguedine anima vestra.

ant. Qui quærunt Salutem, in propriis operum meritis,
In meritis Sanctorum, quasi Supererogatoriis; itèm,
in divitiis, in honoribus, in voluptatibus hujus mundi:
Illi, inquam, hauriunt, ubi non est aqua, & cum pretio inani.
Qui autem quærunt Salutem, in Merito Christi gratuito,
illi hauriunt ex vero Fonte, in quo nullus unquam defectus.

opp. Hic est Fons ille inexhaustus, semperque patens ac plenus,
De quo, Zach. 13. 1. qui patet omnibus fidelibus,
pro peccato, & pro separatione ex immunditia.
De quo, Joh. 1. 16. quòd *Ex plenitudine ipsius omnes accipiamus, & gratiam, pro gratia: h. e. unam post alteram.*
De qua Aqua Christus, Joh. 4. v. 10. & 14. Joh. 7. 37. 38.

caut. Hauriamus autem, non Cribro bonorum operum,
ex quo omnis aqua consolationis effluit & diffluit;
Sed Situlâ fidei, quæ sola potest excipere Charitatem Patris,
& Gratiam Jesu Christi, sinè ullo periculo effluendi.
Condamusque ac conservemus eam, in vase solido fidei;
in quo tutò hæc tanta Gratia asservatur.

II. De Liberatione ab Ira illa.

Text. De illa Paulus in textu sic ait; *Justificati nunc ejus Sanguine,*
Servabimur multò magis per eum, ab Ira illa.

Exeg. Initio hujus Capitis V. dixerat Paulus;

thes. *Justificatos nos fide Pacem habere cum Deo, per Christum:*

Idem nunc quoque dicit; Justificati Sanguine Christi,
servabimur multò magis per eum, ab Ira illa.

decl. Quasi dicat; Postquam Christus pro peccatis sit mortuus,
 Deum non habere jam causam irascendi amplius.

test. Dixerat enim suprà, Rom. 1. 18. *Patet Ira Dei è cælo,*
adversus omnem impietatem & injustitiam hominum:
 Nunc dicit, Nos ab illa Ira servatos esse, ac tutos;
 quia scilicet Christus mortuus sit pro peccatis nostris.

Doct. Hoc quoque est Meriti Christi.

hyp. Primum meritis nobis est Remissionem peccatorum;
 Hanc verò sequitur Pax & Reconciliatio cum Deo.

thes. Utrumque Merito Christi est adscribendum. Nam,

decl. Si Deus adhuc irasceretur, propter peccata nostra,
 Christus non perfectè satisfacisset, pro peccatis.

Quia autem Christus perfectè satisfacit pro iisdem,
 jam Deus reconciliatus est nobis; ut infrà dicitur.

test. Hinc dicit Paulus, Eph. 2. v. 3. 4. 5. *Eramus naturâ filii Iræ: At*
Deus, ut qui dives sit misericordiâ, propter multam charitatem
suam, quâ nos dilexit, vivificavit nos cum Christo, cujus gratia
estis servati, ab illa Ira scil.

Usus. De hoc igitur est, quòd lætemur. Etenim,

hyp. Intolerabilis est Ira Dei: quippe qui est

Ignis consumens, Heb. 12. 23. (ex Deut. 4. 24.)

Ira hæc consistebat, in Maledictione Legis; quæ denunciatur,

Deut. 27. 26. Maledictus, qui non præstiterit Legem: (Gal. 3. 10.)

Gen. 2. 17. Quo die comederis, morte morieris.

thes. Christus hanc Maledictionem in se transtulit;

& pro nobis mortuus est, Mortem loco nostro subiit:

Ità ut, in locum Maledictionis, Benedictio successerit,

& in locum Iræ Dei, Pax cum Deo.

concl. Quis non lætaretur ista cessatione Iræ Dei?

Quis non diceret, cum Angelis, Luc. 2. 14. *Gloria Deo in ex-*
celsis, Pax in terra, in homines Benevolentia, non Ira.

III. De

III. De Justificatione nostrâ per Sanguinem Christi.

Text. De hac Paulus itâ; *Justificati igitur nunc ejus Sanguine.*

Exeg. Initio hujus Cap. dixerat, *Justificatos nos esse Fide:*

coll. Jam dicit, *Justificatos nos esse Sanguine Christi:*

Mox dicet, *Reconciliatos nos esse Morte Filij Dei.*

dist. Diverſa ſunt verba, ſed idem ſenſus.

Fide justificari dicimur:

Non, quòd dignitas Fidei promereatur Salutem;

Sed, quia Fides apprehendit unicum fundamentum Salutis.

Sanguine autem, & *Morte* Christi dicimur justificari;

Quia Sanguinis effusione, & Morte ſuâ cruentâ,

Christus nobis promeritus est, Remiſſionem peccatorum,

adeoque Juſtitiam, & Vitam æternam.

decl. Hoc est, quod dicunt docti in Scholis;

Fides justificat, *organicè, instrumentaliter, objectivè;*

Sanguis Christi justificat, *meritoricè.*

ſenſ. Per *Sanguinem* autem Christi, intelligitur,

Tota Christi paſſio, & Mors:

Per *Paſſionem* verò, & *Mortem* Christi intelligitur,

Non ſola poſtrema paſſio, quum crucifigeretur;

Sed etiam, quicquid in tota vita mali perpetratus est:

Sicuti Vita Christi nihil ferè aliud fuit,

Quàm continua & perpetua Paſſio.

Doct. Diſcimus igitur hîc,

theſ. Illud, per quod coram Deo justificamur, propriè ac præcipuè
eſſe Sanguinem & Mortem Christi.

teſt. Nam *Absque Sanguinis effusione non poterat fieri Remiſſio;*
ut docet Apoſtolus, Heb. 9. v. 22.

Et Morte ſuâ implevit Christus, quod dictum erat,

Gen. 2. 17. *Quo die comederis, morte morieris.*

prol. Deducit quidem etiam Apoſtolus, ex Morte glorificationẽ Christi;
ſed quæ conſequens eſt Satisfactionis, ritè peractæ, Phil. 2. 9.

Sicut etiam dicit, Rom. 4. 25. *Christum traditum, in mortem ſc.*
propter peccata noſtra; Suſcitatum verò, ad noſtrî juſtificationem,
comprobendam ſcilicet: ut ſup. ſuo loco dictum eſt.

concl. Rectè igitur dicimur, *Sanguine Christi Juſtificati;*

Sicut *Morte ejus Deo Reconciliati:* quod eſt quartum,
quod de Merito Christi dicit Paulus; ut ſequitur jam.

IV. De

IV. De Reconciliatione nostrâ per Mortem Christi.

Text. De ea sic Paulus; *Quum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo, per Mortem Filij eius.*

Exeg. Eramus enim Inimici Dei;

caus. Videlicet, propter Peccata nostra.

test. Abalienati à Deo, absque Deo, absque Christo, Eph. 2. 12.

Inimicitia adversus Deum, quod sapiebat caro, Rom. 8. 7.

Iniquitates nostræ disterminant, inter nos & Deum nostrum;

Peccata faciunt, ut occultet à nobis faciem suam: Esa. 59. 2.

thes. Christus verò nos iterum conjunxit cum Deo, &

Reconciliavit nos Deo, per Mortem suam; ut est in textu.

test. Eph. 2. 15. 16. *Inimicitias per carnem suam abolevit, & c.*

reconciliavit Deo, per crucem, peremptis inimicitis per eam.

v. 18. c. 3. 12. Per ipsum habemus aditum ad Patrem.

Col. 1. 19. 20. Libuit Patri, & c. & ut pace per Sanguinem crucis ejus factâ, per eum reconciliaret sibi omnia, quæ in terra, in cælo.

2. Cor. 5. 19. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando eis offensas eorum.

Doct. Magna hæc est Gratia Filij Dei, Domini nostri Jesu Christi,

thes. Quòd nos ad Deum reduxit, cum Deo reconciliavit.

test. Antea Deus nobis erat, *Ignis consumens,* Heb. 12. 29. *sup.*

Jam autem Filius nobis est, Lux ad vitam æternam, Joh. 1. 4.

Antea Ignis ille Dei urebat, nunc illuminat ad Salutem:

Illuminat faciem suam super nos, & gratiam facit nobis;

attollit erga nos faciem, & dat nobis pacem: Num. 6. 25. 26.

Facit ut luceat facies sua super nos, quâ illucescente nobis, servamur, Psal. 80. v. 8. 20.

Ante mortem Christi sonabat illa vox; Maledictus, Deut. 27. 26.

Post mortem Christi sonant istæ dulcisonæ voces,

Matt. 25. 34. Venite, Benedicti Patris mei, & c.

Joh. 5. 24. Qui credit, non veniet in judicium,

sed transivit à morte in vitam.

comp. Columna Ignis & Nubis interposita erat, inter Israëlitas

& Ægyptios: illis prælucens, ad commonstrandam viam;

his tenebras offundens, ne penetrarent ad illos: Exod. 13. & 14.

Christus hoc ipso fuit significatus, qui

Piis est luci & gaudio; Impiis terrori & caligini.

concl. Debetur hoc ipsum Reconciliationi, per Christum factæ.

a) Usus.

Ufus. O Reconciliationem amabilem, atque salutarem!

1. *Conf.* Hæc potest pacare fideles, in omni tentatione. Igitur, ô pie;

Spec. Quid angit te Conscientia tua, ob peccata tua? confide,
Reconciliatus es Deo, per mortem Filij sui.

Quid times Accusatorem Diabolum, delatorem illum, &c.?

Reconciliatus es Deo, per mortem Filij sui.

Quid extimelcis iudicium Dei, iudicium condemnationis?

Reconciliatus es Deo, per mortem Filij sui.

Quid te gravat Ira Dei, iustissima illæ ira & vindicta Dei?

Reconciliatus es Deo, per mortem Filij sui.

Quid te contristat varia ac gravia peccata tua?

Reconciliatus es Deo, per mortem Filij sui.

test. Non memorabuntur peccata tua amplius, *Jer.* 31. 34.

Benignitate sempiternâ miserebitur tui Deus, *Esa.* 54. 8.

Non retinet in æternum iram suam, *Mich.* 7. 18.

Abjiciet in profundissimum maris omnia peccata tua, *v.* 19.

Non in æternum litigat, neque in seculum iram aservat;

Non secundum peccata nostra facit nobis, neque secundum

iniquitates nostras refert nobis: sed,

Quàm alti sunt cœli supra terram, prævalet benignitas ejus;

quàm longè abest Oriens ab Occidente, longè amovet

à nobis defectiones nostras: *Psal.* 103. v. 9-12.

Quia reconciliatus es Deo, per mortem Filij sui, &c.

2. *Euch.* Illi Reconciliatori tuo, Jesu Christo, age gratias. Nam,

Spec. Ille mortuus est, ut tu liberareris à morte æterna;

mortuus, ut te viveres in æternum:

Ille sudavit sanguinem, in angore constitutus;

ut tu liberareris ab angoribus infernalibus:

Ille iram Dei degustavit, ut tu liberareris ab illa ira,

& reconciliareris cum Deo:

Ille vexatus est, ut tu pacem haberes & requiem:

Ille innocens accusatus est, ne tu in iudicium Dei venires:

Ille damnatus, ut tu ab æterna damnatione liber esles.

concl. O Christe, Gratia tua quanta est!

Da, quæsumus, ut omnes hujus gratiæ participes simus:

Da, ut ex plenitudine tua omnes hauriamus,

& Gratiam, pro Gratia, *Job.* 1. 16. Gratiam, inquam,

Unam post alteram; Gratiam, supra Gratiam.

P A R S II.

Efficaciam Christi, efficacemque ejusdem Applicationem quod attinet,
Text. De illa Paulus sic disserit; Si reconciliati fuimus Deo, per Mortem
 Filij ejus, *Multo magis, reconciliati, servabimur per Vitam ipsius.*
Exeg. Paulus conjungit Vitam Christi, cum ejus Morte, in solatium nostrum.
thes. Si enim Christus in morte mansisset, sanè,
 nec meritum nobis quicquam fuisset,
 nec quod nobis promeruit conferre potuisset.
decl. Ad justificationem igitur nostram perfectam,
 necessaria fuit Resurrectio & Vita Christi:
 ut esset Salvator noster, non tantum *Merito,*
 sed etiam *Efficacia,* seu efficaci Applicatione.
test. Hinc Paulus ait, (ut sup. suo loco vidimus,) Rom. 5: v. 25.
 Christum Traditum morti, propter peccata nostra; &
 Suscitatum, ad nostram justificationem,
 scilicet testificandam & comprobandam.
 Sic igitur in Morte & Sanguine Christi quærenda est Justificatio,
 ut ejus consummationem in gloriosa ejus Vita inveniamus.
 Eapropter alibi dicit, Heb. 7. v. 21-25.
 Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec:
 Tanto melioris pacti Sponsor factus est Jesus.
 Et illi quidem plures facti sunt Sacerdotes, (in V. T. scil.)
 quod mors prohiberet eos permanere:
 At iste, propterea quod in æternum manet, (Jesus Christus sc.)
 perpetuum habet Sacerdotium. Unde & servare perfectè potest eos,
 qui per ipsum accedunt ad Deum: semper vivens, ut interpellet
 pro eis. Pariter dicit, in eadem epistola,
 Heb. 9. v. 24. Non in manufactum Sacrarium ingressus est,
 quod sit exemplar vero Sacrario respondens;
 sed in ipsum Cælum, ut compareat apud faciem Dei pro nobis.
 Ibid. v. 12. Ingressus in Sacrarium, æternam redemptionem nactus.
 Hinc ait etiam, Heb. 8. v. 4. Nam si esset in terra,
 ne Sacerdos quidem esset.
 Unde & alibi Morti Christi Vitam ejus conjungit, Rom. 8. v. 34.
 Quis est qui condemnet? Christus est, qui mortuus est; imò verò,
 qui etiam suscitatus est; qui etiam est ad dextram Dei, &c.

9)text.

3) *text.* Atque hoc est, quod in textu dicit Apostolus Paulus;

Multò magis, reconciliati per mortem, servabimur per vitam ipsius.

1) *coll.* In quibus verbis, ut & præcedentibus, elegans collatio est notanda.

In præcedentibus verbis comparaverat,
Mortem Christi, & fluentem ex illa Servationem ab Ira:
Homines in statu peccati, in quo erant adhuc Peccatores;
& in statu illo, in quo considerantur ut Justificati:
Christum, mortuum pro Peccatoribus, impiis; eundemque
multò magis servaturum, ab illa ira, Justificatos.

In his verbis verò, quæ nunc sunt sub manu, comparat,
Mortem Christi, cum ejus Vita gloriosa:
Nos, in statu Inimicitia, & in statu Reconciliationis positos:
Reconciliationem, cum sequenti inde Servatione; hoc modo,
Christus per suam mortem nos reconciliavit Inimicos,
ergo per suam vitã multò magis nos servabit Reconciliatos:
Si reconciliavit Inimicos, multò magis servabit Amicos;
si reconciliavit per mortem, multò magis servabit per vitã.

2) *quest.* Inquit aliquis; Qui fit, ut hic dicatur, Fuisse nos inimicos Dei,
Reconciliatos demum per mortem Filii Dei?

Quum tamen suprã dixisset Paulus, *Commendasse Deum*
Charitatem suam erga nos, in hoc ipso, quod Filium suum dedit,
qui tamen postea demum mortuus est.

Sinos dilexit Deus, priusquam mortuus esset Filius,
certè non fuimus ipsius Inimici.

Responsio facilis est, ex distinctione temporis.

Priusquam Christus mortuus esset, Deus nos
partim Dilexit, ab æterno, in Filio suo, tanq. Justificandos;
ut patet ex Eph. 1. 4. 5. *Elegit nos in ipso, ante jactum mundi*
fundamentum: quos adoptaret, adoptaturus eos in filios.
partim Odit, propter Peccata,
pro quibus Christus nondum erat mortuus.

Postquam autem Christus mortuus est,
Diligit nos semper Deus, ut Justificatos.

Justificandi habent adhuc peccatum,
propter quod Deo exosi sunt:

Justificati autem non habent peccatum,
vel non censentur habere peccatum;
proinde non sunt exosi Deo.

λ) Appl. (in Doct. & Usu.)
Doct. Quòd autem Deus ab æterno dilexit Justificandos,
thes. Factum id est, quia Meritum Christi semper fuit & viguit,
 Semper etiam valuit Efficacia ejus, indè ab origine mundi.
test. Nam, *Christus heri & hodie idem est, & in secula*, Heb. 13. 8.
Heri, h. e. in V. T. in quo Christus fuit promissus:
Hodie, h. e. in N. T. in quo Christus est exhibitus.
Hinc etiam dicitur, Apoc. 13. 8. *Agnus ille mactatus,*
jam indè à jacto mundi fundamento. Nimirum,
 Non tantum Decreto Dei æterno, 1. Pet. 1. 20.
 Sed etiam Fide credentium, etiam in V. T.
 Prout Petrus de Fide fidelium V. T. testatur, Act. 15. v. 9. 11.
Nihil discrevit inter nos & illos, Fide ab ipso purificatis cordi-
bus eorum. Imò, per gratiam Domini Jesu Christi, credimus nos
servatum iri, quemadmodum & illos.
exëp. Unde & Apostolus Paulus operosè probat, Rom. 4. v. 3. & c.
 Abrahamum etiam Fide justificatum fuisse, non Operibus.
 Unde etiam longus ille catalogus fidelium V. T. textitur,
 in epistola ad Hebræos, Heb. 11.
 Testaturque Christus de Abrahamo, Joh. 8. v. 58.
Abrahamus, pater ille vester, gestivit videre diem istum meum,
& vidit, & gavisus est.
Vidit, scilicet olim, apparentem sibi, Gen. 18. & 22.
 sed imprimis oculis veræ fidei. (confer, Joh. 20. 29.)
Usus. Si verò Christus est Salvator noster, non tantum Merito, sed & Efficaciâ,
thes. Hoc agamus, ut Merito mortis Christi justificati,
 Etiam Efficaciæ vitæ ejus gloriosæ confidamus;
 Quinimò, ut & nos commortui cum Christo,
 resurgamus quoque in nova vita, cum eodem Christo.
test. Ut monet Apostolus, Rô. 6. v. 5. 6. *Consepulti Christo, per Baptismum,*
in mortem, ut sicut Christus suscitatus est ex mortuis, ita & nos
novâ vitâ ambulemus. Nam si cum eo plantati coaluimus, assimi-
latione mortis ejus, nimirum etiam resurrectionis assimilatione cum
eo coalescemus. Sic vers. 6--10. Item v. 11--13.
exëp. Hinc idem Paulus ait, Gal. 2. v. 20. *Vivo, non amplius ego,*
sed vivit in me Christus: Et vitam, quam nunc vivo in carne, vivo
per Fidem illam Filii Dei, qui dilexit Me, & semetipsum tra-
didit pro Me. Sic & nos dicamus, quotquot credimus.

CONCL-

CONCLUSIO.

R. Ità igitur audivistis, Auditores in Christo dilecti,

1. De Merito Christi:

Christum pro nobis peccatoribus mortuum esse; adeoque,
& Satisfecisse Deo, & Meritum esse nobis Salutem.

Christum liberasse nos ab illa Ira iusti iudicis Dei.

Christi sanguine ac morte nos esse justificatos.

Christi morte nos esse reconciliatos Deo.

2. De Efficacia Christi:

Christum id, quod nobis Morte suâ peperit,

Vitâ suâ gloriosâ potenter ac efficaciter applicare,
tandemque gratiosè collaturum esse.

C. Veteres dixere, *Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri*

Quo voluerunt significare, magnam artem esse, *Tueri parta;*

nec minorem illâ, quâ *Quæruntur bona:*

Non satis esse, rem quampiam acquirere;

Oportere etiam eandem conservari.

Christus non solùm nobis acquisivit Salutem,

sed etiam conservat eandem; juxta illud Apostoli Pauli,

2. Tim. I. v. 12. *Novi, cui crediderim, & mihi persuasum est,
eum posse depositum meum in illum diem custodire.*

Christus non solùm nobis Salutem promeruit, Morte suâ pretiosâ;

sed etiam eandem conservat, Vitâ suâ gloriosâ:

Non solùm promeruit nobis Justitiam, quâ justificamur;

sed etiam eandem efficaciter nobis applicat, conferetque.

In summa, Christus est verus Redemptor & Salvator noster,

qui nos liberat à peccatis nostris, Merito, & Efficaciâ.

Idcirco possumus ei tutò ac sinè periculo confidere:

Spes nostra, in ipsum locata, nunquam pudesiet.

Et quidni illi confidamus, qui tam amicè nos ad se invitat?

Matt. II. 28. 29. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis:*

Ego vos refocillabo; Invenietis requiem animabus vestris.

V. Imò libenter, Domine Jesu, veniam; fatigatus sum, & oneratus:

Veni tu ad me, & Trahe me post te;

Ut veniam ad te, & æternâ requie fruamur:

Tibi sit laus, honor, & gloria, in secula seculorum, Amen.

Rrr 3

CONEIO XLV.

C O N C I O XLV.

De Modo Redemtionis.

T E X T U S *idem*, Rom. V. vers. 8. 9. 10.

Commendat suam erga nos Charitatem Deus, eò quòd, quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit. Justificati igitur nunc ejus Sanguine, servabimur multò magis, per eum, ab ira illa. Nam si, quum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo, per mortem Filii ejus, multò magis reconciliati servabimur per vitam ipsius.

E X O R D I U M.

REpetimus eundem textum, præcedenti concioni præfixum, quia restant in eo enodandæ nonnullæ difficultates, quæ Auditorem implicare & inquietare possent.

Superiori concione explicavimus, ex hoc eodem textu,

Quanta fuerit Charitas Patris, qui Filio proprio non pepercit, sed illum pro nobis omnibus tradidit, in mortem;

Qui pro nobis mortuus sit, quum adhuc essemus infirmi nullisque viribus, impii, peccatores, inimici Dei;

Per quem servemur ab intolerabili, justa tamen, Dei ira;

per cujus Sanguinem sumus justificati, coram Deo;

per cujus mortem Deo sumus reconciliati;

per cujus vitam futurum sit, ut reconciliati servemur.

In his omnibus, dicit Paulus, commendavit Deus Charitatem.

De hac Charitate Patris, & Gratia Filii, satis multa diximus:

De hac Charitate oportet nos porrò plura dicere. Nam,

Quis possit oblivisci? quòd summus Deus, creator cœli ac terræ,

Charissimum pignus suum, Filium illum suum unigenitum,

Tradidit in mortem, eamque ignominiosam & acerbam Crucis,

Pro nobis miseris & infirmis hominibus, corruptis primo lapsu,

iisque impiis, & peccatoribus, sibi que inimicis?

An malè faceremus, si singulis diebus, imò horis, de hac tanta

Charitate Dei, ac Gratia Filii ipsius, verba faceremus?

quamque per Spiritum S. in cordibus nostris diffundit?

Ergo

Ergo & hac vice non tædeat nos, de hac Charitate loqui & audire:

Dum enodabimus difficultates quasdam,
quæ Rationi humanæ, nimum curiosæ, possent obrepere;
quasque Hæretici, turbandis simplicioribus, movent:

Idque ad majorem prælectorum verborum lucem, & intelligentiam.

P. Tres *Quæstiones* proponemus, easque ex verbo Dei enodabimus:

I. *An non major fuerit Dilectio, si Deus ipse id præstitisset?*

II. *An non potuerit nos Deus aliter salvare, quam Mor-
te illâ Filij sui unigeniti, Jesu Christi?*

III. *An non intervenerit aliqua crudelitas, & injustitia,
quòd Deus, Filium suum unigenitum, eumque inno-
centissimum, pro nostris peccatis punivit?*
(*ut blasphemus aliquis posset objicere.*)

V. Deus largiatur nobis Spiritum veritatis, qui nos ducat
in omnem veritatem, ne erremus in gravissimis quæstionibus;
sed illas enodemus, ad sanctissimi nominis sui gloriam,
fideique nostræ confirmationem, & solatium æternum: *Amen.*

P A R S I.

Primam quæstionem quod attient:

Gen. Ante omnia Curiositas humana frænanda est,

neque inquirendum in idipsum, quod sciri nequit

neque scrutandum, quod Deus in verbo suo non revelavit:

Qualis etiam est illa quæstio; *Cur scilicet Pater ipse non assumserit
carnem, sed Filium suum pro nobis in illam miserit?*

Spec. Hæc tamen ex verbo Dei revelato sciri possunt:

I. Quia Pater & Filius sunt unus Deus, unius essentia divinae,

Iplum Deum mortuum esse, moriente Filio; ut Act. 20. 28.

Deus acquisivit sibi Ecclesiam, suo illo proprio sanguine.

Igitur non fuisset major dilectio, moriente ipso Patre:

nam Filio mortuo, mortuus dicitur ipse Deus; scilicet,
in natura humana, quam assumpsit, quæque mori potest.

Magni beneficii loco reputatur, Deut. 4. 7. quòd *Deus nobis
factus sit propinquus*: majus igitur beneficium est, Deum indue-
re formam humanam, nobisque similem factum, Phil. 2. 6. 7. 8.

Quòd verò, non Pater, sed Filius id præstitit, alia causa subest,
de qua ex sacris literis informamur. Nam,

a) 2. Postq-

2. Postquam homo peccasset, tristi lapsu primo corruptus,
 Neque posset ipse satisfacere justitiæ Dei,
 neque ulla simplex ac nuda creatura pro homine;
 Necessè erat, ut à Deo aliquis mitteretur, in subsidium ei,
 qui esset verus Deus, quique posset satisfacere Deo.
 Atqui Pater mitti non poterat,
 hoc enim erat contra proprietatem ejus personalem,
 ut qui mittit, at non mittitur.
 Filius autem poterat mitti, illæfâ personali proprietate:
 Pater enim est, qui Filium mittit, nec mittitur ab alio;
 Filius autem non mittit, sed mittitur à Patre.
 Spiritus Sanctus etiam mittitur, à Patre & Filio:
 sed alia causa subest, cur ille sic non mittatur;
 de qua dicetur in ratione seq. 3.
 Hanc ob causam dicitur, Dei Charitas manifestata esse,
 in missione Filij, & non in missione Patris.
3. Salvator noster debuit nobis restituere jus *quod perierat*;
 Id verò jus non erat in Spiritu S. sed in solo Filio:
 Ergo necessè erat, ut Filius ad nos mitteretur ac veniret;
 Adeoque non fuisset major charitas, si Pater ipse venisset:
 Veniente enim Filio, Patrem quoque in ipso habemus.
4. Deus in opere Redemptionis voluit Amorem suum testari,
 traditione rei Charissimæ.
 A qui nihil habet charius Pater, Filio illo suo unigenito,
 qui est in sinu Patris, & Patri par, coequalis & coæternus.
 Ergo non fuisset major Charitas Dei, si Pater ipse missus,
 carnem assumsisset, & pro nobis in ea mortuus fuisset;
 quia quod in Filio habemus, id ipsum habemus in Patre:
 Filium qui habet, etiam Patrem habet;
 Filium qui non habet, nec Patrem habet.
 Unde illa dicta Christi;
 Joh. 14. 9. 10. 11. *Philippe, qui vidit me, vidit Patrem;
 quomodo igitur tu dicis, Ostende nobis Patrem?
 Non credis, me in Patre, & Patrem in me esse? &c.
 Credite mihi, me in Patre, & Patrem in me esse.*
 Joh. 10. 30. *Ego & Pater unum sumus.*
 Itèm Apostoli, 1. Joh. 2. 23. *Qui negat Filium, nec Patrem habet.
 qui agnoscit Filium, etiam Patrem habet.*

8) Usus.

Ufus. In summa, Summum amorem Deus nobis declaravit,

hyp. In opere Redemptionis, per Filium peracta.

thes. Idcirco nos etiam summum Amorem illi retribuemus,

Deumque diligemus, ex toto corde nostro, ex tota anima,
ex tota cogitatione, omnibusque viribus nostris, *Matt. 22.37.*

ant. An magis amaremus hæc temporalia, quam Deum nostrum?

Ablit: magna hæc esset ingratitude, & turpitude.

exēp. Vah ingratos illos hospites, qui agros, boves, conjuges,
magis diligebant, quam cœlestem illum Hospitem,
ad tam gratiosas nuptias Filij sui invitantem, *Matt. 22. 2.*

Vah ingratos eos homines, qui propter negotia mundana
non sustinent frequentare templum, ad Deum laudandum.

Vah inconsideratos homines, qui pecuniam magis amant,
quam tam gratiosum Deum; avaritiâque distinentur,
à vera religione, & à cultu divino puro ac sincero.

Vah insipientes homines, qui gloriam mundi magis amant,
quam Veritatem, & fidem, quam Deo pro tanto amore debent.

opp. At benedicti, qui omnia relinquunt, & Deum sequuntur:

Quibus cor dilatatur, quum debent audire concionem,
preces unanimiter ad Deum concipere, ac fundere,
psalmis conjunctim Deum laudare ac celebrare:

Qui dicunt cum Davide, *Psal. 122. 1. Lator de eo,*
quod dicitur mihi, Domum Dei adeamus.

test. Quin dicamus, cum Petro Apostolo, *1. Pet. 1. v. 3. 4.*

Benedictus esto Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi,
qui ex multa sua misericordia, regenuit nos in spem vivam,
per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis: id est,

Ad hereditatem incorruptibilem, incontaminatam, & immar-
cescibilem, nobis in cœlis servatam.

Et cum Apostolo Paulo, *Eph. 1. v. 3. 4. 5. Benedictus esto Deus,*
& Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nobis omni benedi-
ctione spiritali in cœlis, in Christo. Sicut elegit nos in ipso, ante
jactum mundi fundamentum, &c. Qui predestinavit nos, quos
adoptaret in filios, per Jesum Christum, in sese, pro Benevolæ
affectu voluntatis suæ: &c.

Caveamus, audire illud Mosis, *Deut. 32. v. 6. An estis Jehovæ*
repensuri illud, popule stulte ac insipiens? Nonne ipse est Pater
tuus, & Redemptor tuus?

P A R S II.

Secundam quæstionem quod attinet, *An non potuerit Deus aliter?*

Præp. Hic quoque oportet nos cautè & circumspectè agere. Nam,

Licèt credibile sit, Deum optimum Maximum, tanquam

Sapientissimum, potuisse aliam rationem Salutis nostræ inire;

Omnipotentem, huic viæ Redemptionis non fuisse alligatum:

Tamen nihil extra Scripturam est sapiendum, aut statuendum.

Nihil extra id, quod revelatum est in verbo Dei, scrutandum,

nihil scrupulosius excutiendum; idque juxta monitum Pauli,

Rom. 12. 3. *Edico cuiusvis versanti inter vos, ne supra modum sapiat, ultra quam oportet sapere; sed sapiat ad Sobrietatem, prout cuique Deus partitus est mensuram fidei.*

Prop. Quantum igitur ex verbo Dei cognoscimus, videtur statuendum esse,

thes. Quia hic modus Redemptionis, per mortem Filij sui, libuit Deo,

Fuisse hanc viam omnium sapientissimam, & justissimam:

Nec posse, juxta humanas cogitationes, inveniri aliam viam,

ad redimendum genus humanum, faciliorem & æquiores.

ant. Quod tenendum est propter illos, qui volunt esse sapientiores Deo,

variosque modos alios proponunt, ac (pro sua sapientia) dicunt;

An non potuisset Deus nobis remittere peccata nostra,

absque ulla Satisfactione intercedente?

An non fatis fuisset, Christum flagellatum, spinis coronatum,

sinè morte tam amara ac ignominiosa Crucis?

An non potuisset Deus Angelum, divinâ potentiâ donatum,

eumque incorporatum, his omnibus passionibus subicere?

Minimè verò: Non potuisset id fieri justè ac commodè. Nam,

rat. Oportet nos contentos esse eo, quod Deus nobis revelavit.

1. Paulus dicit, Sic Deo placuisse, sic ei libuisse:

1. Cor. 1. 21. *Libuit Deo, per stultitiam prædicationis servare credentes.*

Col. 1. 19. 20. *Libuit Patri, ut omnis plenitudo in Christo inhabitaret; & ut pace per sanguinem crucis ejus factâ, per eum reconciliaret sibi omnia, quæ in terra & in cælis.*

Audin' ? Sic Deo libuit, sic Deo sapientissimo placuit.

Si Deo sic placuit, frustra est omnis nostra disputatio:

Frustra est, quicquid Ratio humana inquieta inquirat.

2. Adhæc,

2) 2. Adhæc, Scriptura quoque non tacet causam hujus Beneplaciti Dei, ob quam voluit Christum, Filium suum, pro nobis mori.

Causa ea duplex in sacris literis invenitur;

1. *Amor Dei*: de quo testatur,

test. Christus, Joh. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium illum suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Johannes, 1. Joh. 4. 9. *Per hoc manifesta facta est Charitas Dei, in nos, quod Filium illum suum unigenitum misit, ut vivamus per eum. Sic. vers. 10. seq. Itèm, 1. Joh. 2. 1.*

concl. Ad hanc Charitatem Dei revelandam, opus fuit, ut ipse Filius Dei pro nobis degustaret mortem, nosq; sic redimeret. Si debuimus liberari, opus fuit, ut certiores redderemur de hoc immenso Dei in nos Amore.

2. *Justitia Dei*: Hæc postulabat, ut Filius Dei pro nobis moreretur;

test. Prout Paulus docet, Rom. 3. 25. *Christum præstituit Deus, ut esset Placamentum, per fidem, in Sanguine ipsius, ad Demonstrationem Justitiæ suæ. Cujus Justitiæ?*

decl. Omnino pro peccatis moriendum erat:

Dixerat enim Deus, Gen. 2. 17. *Quo die comederis, ex fructu arboris vetitæ, morte morieris.*

Impossibile autem est, Deum posse mentiri, Heb. 6. 18.

Idcirco necesse fuit, hoc impleri.

Dicit etiam Paulus, Rom. 1. 32. *Hoc esse Jus Dei, ut qui talia faciunt, digni sint morte:*

Idcirco necessario moriendum fuit pro peccato.

Neque enim fit Remissio peccati, absque sanguinis effusione; hoc est, absque morte: juxta Heb. 9. v. 22.

Atquæ impossibile erat, ut

Vel homo ipse lueret mortem, pro peccatis;

quia morte æternâ opus erat, Rom. 6. 23.

Vel ullus alius homo, pro altero, lueret;

Omnes enim sunt peccatores, Rom. 3. 23.

Vel ulla alia creatura, pro homine, lueret, Heb. 10. 4.

Proinde nec Angelus potuisset; quia,

non erat is satis potens, ad vincendam mortem;

nec confors erat naturæ, quæ peccaverat; nam

eadem natura, quæ peccârat, plecti debuit.

d) concl. Idcirco Iustitia Dei requirebat, ut Filius Dei veniret, carnem assumeret, & in carne pro nobis moreretur. Necessse insuper erat, ut is esset

1. *Homo*: & quidem, tum

Verus homo; ob duplicem causam,

1. Ut posset mori: Si enim Deus tantum fuisset, non potuisset mori, quum Deus sit immortalis.

2. Quia homo peccaverat, homini etiam fuit moriendum, ejusdem sc. naturæ, ac non alienæ, consorti.

Iustus homo; ne opus haberet pro propriis peccatis mori, quod fuisset incommodum, pro aliis reis, *Heb. 7. 27.*

2. *Deus*: idque ob sequentes rationes ac causas;

Ut posset onus iræ Dei sustinere, aliosque ab ea liberare:

Ut posset mortem vincere, vitamque depositam reasumere:

Ut posset partam salutem tueri, ac potenter applicare:

Ut posset ulteriorem offensionem cavere, misso Spiritu S.

s) Doct. Hæ sunt Causæ, ob quas

thes. Non potuit alius modus Redemptionis inveniri,

quàm per Mortem Filii Dei, Redemptoris nostri J. Christi.

cons. Unde simul patet, quomodo sit intelligenda Scriptura, dicens;

Oportuisse Christum pati, & ita introire in gloriam suam, Luc. 24. 26.

Nimirum, Oportebat Christum pati, & mori,

Necessitate non absolutâ,

Sed Necessitate ex hypothesi; propter Consilium Dei,

qui ita liberrimè & sapientissimè præordinaverat.

test. De qua Necessitate testantur Apostoli, *Act. 4. 27. 28.*

Congregati sunt in hac civitate, verè adversus sanctum filium tuum Jesum, quem unxisti, (h. e. constituisti Mediatorem,)

Herodes, & P. Pilatus, cum Gentibus, & populis Israël:

Ut facerent, quæcunque manus tua, & consilium tuum, prius prædestinavit, ut fierent.

Hinc Petrus Apostolus ibidem, *Act. 4. v. 12.*

Non est in Alio quoquam Salus: nec enim Aliud nomen est sub cælo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari;

quàm nomen illud J. Christi, Filii Dei.

Itèm, *1. Pet. 1. 18. 19. 20.* *Redempti estis pretioso Sanguine Christi, & c. Præcogniti quidem ante jacta mundi fundamenta, scil.*

consilio Dei æterno; manifesti autem facti, ultimis temporibus.

PARS III.

P A R S III.

Tertiam quæstionem quod attinet, *de Crudelitate & Injustitia:*

Ant. Tandem (dolendum!) hæreticus inventus est, qui ausus est dicere;

Crudelitatem hanc esse, & tyrannidem maximam,

Si Deus Filium suum voluerit puniri & occidi, pro alienis peccatis. Dicit enim, (Faustus Socinus scil.)

Qualis ille fuerit amor, quòd Pater cœlestis acquievit, in ignominiosa & amarulenta morte Filii sui unigeniti?

Injustitiam hanc quoque esse summam,

Si insons puniatur, pro fonte; idque,

Contra Legem divinam, Deut. 24. 16. Ezech. 18. 20.

Anima quæ peccat, ipsa morietur; non alius pro alio.

Prop. Quæritur ergo,

I. *An non crudeliter Filium suum tractavit Deus?*

resp. Nulla Crudelitas aut tyrannis imputari Deo potest.

rat. Rationes evidentissimæ sunt in promptu:

1. Voluit mortem Filii sui Deus,

Non, ut pœnam & cruciatum, pro Filio suo;

Sed, ut *λύτρον* & redemptionem generis humani:

2. Non, inquam, fecit hoc, in pœnam Filii sui;

Sed, in amorem nostrum.

3. Adhæc, Filium suum dedit in mortem,

Non contra ipsius, Filii sui voluntatem;

Sed ille parem amorem habuit, erga genus humanum;

& promptissimè se morti subiecit: juxta illud,

Heb. 10. 7. ex Psal. 40. 8. 9. *Ecce adsum, ut faciam &c.*

4. Sciebat etiam Pater,

Filium suum posse è morte emergere, eamque superare:

juxta *Joh.* 10. v. 18.

E contrario, si Christus non fuisset mortuus,

omnibus hominibus in æterna morte manendum fuisse:

Proinde, in Salutem generis humani hæc tendere,

de qua æquè sollicitus fuit Pater.

5. Tandem sciebat, Perficienda hæc omnia esse,

Ad summam suam, & Filii sui, gloriam:

De qua Paulus agit, *Phil.* 2. v. 9. 10. 11.

Sff 3

3) conch.

§) *concl.* Ergo nulla Crudelitas Patri imputari potest, exinde,
Quòd Filium suum in mortem dedit, pro nostris peccatis;
ut cavillatur Socinus, aut blasphematur.

Sed potiùs, ex contraria Socini doctrina, ea sequitur:
Si Deus Filium suum, neque pro suo, neque pro alieno peccato,
Sed tantùm propterea voluisset mori, (ut vult Socinus,) ut doctrinam suam confirmaret,
ut exemplum nobis patientiæ relinqueret,
ut gloriam cœlestem sibi acquireret,
ac ità eveneret ad iudicium totius mundi.

II. *An Deus contra Justitiam suam Filium suum pro aliis puniverit?*

Gen. Contendit quidem, hæreticus Socinus, id ipsum probare,
Sed contra expressam Dei Scripturam;
Ratiunculis solummodò humanis indulgens, & nitens.

Spec. Si lubeat audire ejus ratiunculas,

1. *Obj.* Dicit primò; Inauditum esse in humanis iudiciis,
ut unus pro alio puniatur, & morte mulctetur.

Resp. De mysteriis Dei non est iudicandum,
ex consuetudine, & ex legibus humanis.

Christus enim non dicit, *Ego sum mundus, ego sum consuetudo;*
sed dicit, *Joh. 14. 6. Ego sum via, veritas, & vita.*

Euangelium nobis revelavit, non solùm id quod inauditum,
sed etiam quod incredibile erat, *1. Cor. 1. 23.*

Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam. Conf. 1. Cor. 2. 9.

Et quomodo comprehendat Ratio, quod Petrus dicit?

1. Pet. 3. 18. Christus pro peccatis passus fuit, justus pro injustis.

concl. Proinde, non est iudicandum de mysteriis divinis,
ex legibus humanis, ex consuetudine mundi;
sed ex s. literis, quæ solæ nobis Regulæ loco sunt.

2. *Obj.* Deinde allegat Legem & praxin divinam, dicitque,
Ezech. 18. 20. Deus ipse ait, Nolle se punire iniquitatē patris in filio, nec iniquitatem filii in patre: sed, Animam quæ peccat, ipsam morituram; justitiam justis fore cum justo, impietatem impii cum impio ipso.

Deut. 24. 16. Legem etiam hanc tulit Deus, Ne morte afficerentur patres pro filiis, filii pro patribus. Sed quemque pro peccato suo debere morte affici.

n) *Resp.*

1) *Resp.* 1. Loquitur ibi Deus, de peccatis merè personalibus;
 Non de naturali etiam, ut de peccato Adami,
 quod luunt omnes posterì, *Rom. 5. v. 12.*
 Nec de participatis peccatis, ut *Exod. 20. v. 5. Visitans iniqui-*
tatem patrum in filios, in tertiam & quartam progeniem,
eorum, qui odio prosequuntur me.

2. Lex Dei docet nos,

quid Deus nobis facturus sit, juxta Legem à se latam; &
 quid in foro humano fieri debeat à nobis hominibus:

Non docet autem Lex, quid Deus nobis fecerit in Filio suo;
 id enim tantùm discimus, ex Euangelio. Imo,

3. Ex Euangelio discimus, Posse fieri, ut unus pro alio puniatur,

¶ Positis his conditionibus:

1. Si is ad hoc sit natus, & à Deo præordinatus;

2. Si ejusdem sit cum reo naturæ;

3. Si se sponte offerat Sponsorem, atque hoc pacto
 communicet cum rei debitis & pœnis;

4. Si possit viribus suis emergere è pœna;

5. Si pœnâ, quam subit, possit alios perfectè liberare,
 ulteriorem offensionem imposterùm cavere;

6. Si in hac pœnæ alienæ persolutione spectet,
 gloriam Dei, & salutem miseri generis humani.

¶ Atqui hæ conditiones inveniuntur in Christo, Redemptore.

1. Christus ad hoc ipsum est natus, & à Deo præordinatus:

Gal. 4. 4. 5. Postquàm venit plenum tempus, emisit Deus Fi-
lium suum, factum ex muliere, factum Legi (h. e. Legis ma-
ledictioni) subjectum; Ut eos qui Legi erant subjecti redi-
meret, ut adoptionem acciperemus.

Rom. 3. 25. Christum Præstituit Deus, ut esset placamentum,
per fidem, in sanguine ipsius, ad demonstrationē justitiæ suæ.

1. *Pet. 1. 20. Agnus ille præcognitus, (seu, præordinatus,) ante*
jaçta mundi fundamenta, tandem manifestatus.

2. Christus est ejusdem nobiscum naturæ:

Heb. 2. 24. Quoniam igitur pueri participes sunt carnis &
sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps factus est co-
rundem; ut per mortem & c.

3. *Ibid. v. 16. Non enim utique Angelos assumpsit,*
sed semen Abrahami assumpsit.

3) 3. Christus

3. Christus se Sponforem pro nobis ultrò obtulit:

Heb. 7. 22. *Tantò melioris pacti Sponsor factus est Jesus.*

Heb. 8. 6. *Præstantioris pacti est Mediator, quod præstantioribus promissis est sancitum. Sic Heb. 9. 15.*

Heb. 10. 7. *Ecce adsum, ut faciam voluntatem tuam.*

4. Christus propriâ potentiâ potuit emergere è pœna; h. e.

Mortem non lubire modò, sed & subigere ac vincere:

Joh. 10. 18. *Nemo tollit vitam meam à me, sed ego depono eam per Meipsum: Auctoritatem habeo deponendi eam, & auctoritatem habeo eandem rursus assumendi: &c.*

5. Christus pœnâ illâ mortis potuit liberare mortis reos:

Heb. 2. 14. 15. *Ut per mortem aboleret eum, penès quem erat mortis potestas, h. e. Diabolum; & liberos redderet, quot quot metu mortis per omnem vitam erant damnates servitutis.*

Ulterioremq; offensionem imposterùm cavere:

Rom. 8. 2. *Lex Spiritûs vitæ, qui est in Christo Jesu, liberavit me à Lege peccati & mortis. Sic vers. 4.*

6. Christus, in hac pœnæ perfolutione, in solidum spectavit

Gloriam Dei, & Salutem humani generis:

Eph. 1. 5. 6. 7. *Qui prædestinavit nos, quos adoptaret in filios, per Jesum Christum, in sese, pro benevolo affectu voluntatis suæ: Ad laudem gloriosa suæ gratiæ, quâ nos gratis sibi acceptos effecit in illo dilecto: In quo habemus redemptionem, per Sanguinem ipsius, remissionem, inquam, lapsium, ex divite ipsius gratiæ; quâ exundavit in nos, omni sapientiâ & prudentiâ. Vers. 12. Ut nos simus laudi gloria ipsius.*

Phil. 2. 11. *Ut omnis lingua profiteatur, Jesum Christum esse Dominum, ad gloriam Dei Patris.*

*concl. Ex quibus omnibus patet, Non pugnare cum Justitia, Dei, Quòd Christus pro nobis mortuus est, & quidem *Justus pro injustis*, ut dicitur 1. Pet. 3. 18.

Quicquid objiciat Ratio, & Philosophia humana,

Semper ea subjicienda est Voluntati Dei, ejusque Beneplacito:

Contra quam non valet ulla exceptio; quæ sola potest dicere,

Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas.

Quamquam non defunt nobis rationes, ex s. literis haustæ,

quas modò produximus, & in quibus meritò pia mens

acquiescit. Necdum tamen acquiescit Socinus, sed

3. Obj-

3. *Obj.* Dicit porrò, nodum nodo connectens;

1. Unus homo non potuit, pro tam multis millenis hominibus mori, & satisfacere justitiæ Dei:
2. Multò minùs morte suâ triduanâ potuit liberare alios, æternæ mortis reos.

Resp. ad 1. Si pro uno Principe, multi gregarij milites dimittuntur, Quidni pro Filio Dei totum genus humanum dimittatur? Saltèm illi, qui verâ fide eum recipiunt, sibi que appropriant?

ad 2. Et licet fuerit brevicula mors Christi, in tertium diem; Tamen æquipollet ea æternæ nostræ, quam meriti eramus,

1. Quia est mors, non simplicis hominis, sed Filij Dei: ut,
 1. Joh. 1. 7. *Sanguis ꝑ. C. Filij Dei, purgat nos ab omni &c.*
 2. Quia est mors, Innocentissimi: ut,
 1. Pet. 1. 18. 19. *Redempti estis, non corruptibilibus rebus, argento vel auro; sed pretioso Sanguine Christi, ut pote Agni inculpati & incontinentati.*

Heb. 9. 14 *Qui semetipsum obtulit Inculpatum Deo; & quidem, per Spiritum æternum, quâ Filius Dei.*

3. Quia fuit mors Atrocissima, nulli morti naturali par: Unde & *Descendisse ad infernum* dicitur; hoc est, Infernales dolores subiisse ac tolerasse.

Unde illa querela, in Cruce pendentis, Matt. 27. 46. *Deus mi, Deus mi, cur me deseruisti?*

4. *Obj.* Dicit denique, ac præ tendit aliam difficultatem;

Hæc est perfecta Misericordia, si remissio fiat absq; Satisfactione:

Hæc perfecta Justitia, si puniatur delinquens ipse.

Proinde, si Deus est perfectè Misericors, remittit nobis peccata nostra, absque ulla Satisfactione:

Si est perfectè Justus, non punit alium, pro nobis reis.

Resp. Deus quidem est, perfectè

Misericors; sed ità, ut etiam sit Justus: ideóque,

Vult quidem misereri hominum; sed

Priusquàm vellet impunita dimittere peccata,

maluit ea in Filium suum conjicere, & in ipso punire.

Justus; sed ità, ut etiam sit Misericors: ideóque,

Punivit quidem peccata in alio, qui pœnam ferre poterat,

Non verò in ipsis hominibus, qui non poterant perferre,

hoc pacto his gratiam faciens, pro misericordia sua.

T t t

2)concl.

λ) *concl.* Atque ità semper temperamentum sit, Justitiæ & Misericordiæ :
Misericordia Dei, non tollit Justitiam Dei;
Justitia quoque Dei, non tollit Misericordiam Dei.

5. *Obj.* Alia quidem etiam proferuntur; veluti, quòd Christus jubet petere,
Remitte nobis debita nostra, ut & nos remittimus debitorib. nostris.
Atquì remittere nos, non intercedente Satisfactione.

Resp. At Christus nostram Remissionem, quam debemus Proximo,
Non omnibus modis æquat Remissioni Dei;
Sed illam huic vult attemperari, in pari facilitate: ut,
Matt. 18. 35. *Ità & Pater ille meus cælestis faciet vobis,*
Nisi remisistis suo quisq; fratri, Ex CORDIBUS VESTRIS,
offensas eorum. Confer jam, Matt. 6. v. 12. 14. 15.

Nec omnino remittimus nos sinè reconciliatione aliquali: ut,
Matt. 5. 24. *Abi, Reconciliator priùs fratri tuo.*

Sic Reconciliatio, inter nos & Deum, facta per Christum: ut,
Rom. 5. 10. 2. Cor. 5. 18. 19. 20. Col. 1. 20. & c.

concl. Si quæ alia adjiciantur, ea, positis his fundamentis,
facillimè refutari possunt. Finem igitur dicendi facimus.

C O N C L U S I O.

R. Audivistis, Auditores, 1. 2. 3.

(Nota: In docto Auditorio, quale fuit nostrum olim Emrica, & ubi
gliscit virus hoc Socinianum, hæc prudenter proponi possunt. At in-
ter simpliciores, & hereseos hujus ignaros, præstat hæc taceri, fun-
damentis tantùm veritatis propositis.)

C. In his, & similibus quæstionibus, non erimus nimium curiosi,
omnia scrupulosissimè inquirentes, nosque implicantes:

Sed potius credemus simplici Dei verbo, atque

Mirabimur summam Dei Charitatem, qui Filio suo proprio
non pepercit, sed eum pro nobis omnibus tradidit:

Gratias etiam agemus Deo, qui ad hanc Gratiam nos vocavit;
quòd & nos simus ex illis, qui ex plenitudine Christi haurimus,
Gratiam pro Gratia, Gratiam supra Gratiam.

V. Ist hæc Gratia Jesu Christi Redemptoris nostri, Charitas Patris benignissimi,
& Communicatio Spiritûs Sancti Consolatoris salutiferi,
sit, & maneat, nobiscum, in omnem æternitatem,
Amen, Amen, Amen.

C O N C I O XLVI.

C O N C I O XLVI.

De Gloriatione in Deo.

T E X T U S, Rom. V. vers. 11.

Neque id solum, verum etiam gloriamur de Deo, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.

E X O R D I U M.

Justificati fide, pacem habemus cum Deo, per D. N. J. Christum:
Per quem habemus adductionem, in fide, ad hanc gratiam,
in qua & per quam stamus:

Et gloriamur in spe, & sub spe gloriae Dei.

Neque hoc solum, sed gloriamur etiam, in & de Afflictionibus:

Scientes, quod Afflictio efficit patientiam, Patientia experientiam, Experientia spem, Spes non pudefacit.

Ut sonant verba Apostoli, initio hujus Cap. V. vers. 1-5.

Neque id solum, verum etiam gloriamur de Deo, per D. N. Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus:

Ut sonant verba textus pralecti, ex eodem Cap. Vers. 11.

Triplicem igitur Gloriationem habemus, Justificati ex fide:

Gloriamur enim,

1. De Spe Gloriae futurae, à Deo dandae; quae certissima est:
2. De Afflictionibus; quas scimus Saluti nostrae inservire:
3. De Deo ipso; qui nobis reconciliatus, adeoque noster factus est, per Dominum nostrum Jesum Christum.

De Gloriatione, quam habemus,

De Spe Gloriae futurae, à Deo nobis dandae; item,

De Afflictionibus temporalis hujus vitae:

Actum est haecenus, in praecedentibus concionibus.

Ubi simul hujus Spei fundamentum expositum est, nempe Charitas Patris, Gratia Christi, Testimonium Spiritus S.

De Gloriatione, quam habemus,

De Deo ipso, per Jesum Christum,

Nunc ali quid dicendum est, dilatâ hucusque.

Ante Lapsum poterat Homo gloriari, de gratioso Deo:
 Ut qui eum creaverat, & quidem ad Imaginem suam;
 Quique ei beatitudinem terrestri paradisi donaverat,
 eandem ipsi confirmaturus, si perfisteret, ac non deficeret.

Post Lapsum autem, quam habebat gloriationem?
 Ne minimam quidem; nisi inanem: (ut Lamech, Gen. 4. 23.)

A Lapsu verò per Christum erectus, potest quidem
 Gloriari iterum, de gratioso & misericordi Deo,
 Sed non aliter, quàm per Dominum nostrum, J. Christum.

P. De hac Gloriatione nunc dicemus, ex verbis prælectis; & quidem,

I. De Gloriatione, quam habemus de Deo ipso:

II. Per Quem hanc gloriationem habeamus?

V. Deus, qui est gloriatio nostra, largiatur nobis gratiam Spiritûs S.
 Impleatque os nostrum gloriatione verâ ac salutari; hoc est,
 Exerceat erga nos gratiam & misericordiam suam,
 ut in ipso possimus gloriari & lætari,
 eumque glorificemus, hîc, & ibi æternum: Amen.

P A R S I.

Primò, Gloriationem de Deo quod attinet,

Præp. Prænotandum est illud Apostoli Pauli, suprâ propositum,

hyp. Rom. 3. 27. Ubi igitur Gloriatio? Exclusa est.

appr. De tali Gloriatione hîc, in textu, Apostolus non loquitur,
 dum ait; *Gloriamur etiam de Deo.*

Illic enim loquitur, de Gloriatione carnali & vana, humana,
 quæ est contra Deum, estque vetita:

Hîc verò loquitur de Gloriatione divina,
 quæ est summa nostra consolatio & lætitia.

test. Prout alibi hanc, illâ rejectâ, præcipit & commendat,

1. Cór. 1. 29. 31. *Ut ne gloriatur ulla caro, in conspectu Dei;
 sed qui gloriatur, in Domino gloriator.*

subj. In Deo autem gloriari, significat, (ut hoc cap: Paulus declarat,)

1. Gloriari de Spe gloriæ futuræ, à Deo nobis dandæ;
 de qua gloriatione actum est suprâ, vers. 2.

2. Gloriari de Afflictionibus præsentis vitæ;
 de qua actum est suprâ, vers. 3.

3. Gloriari etiam de Deo ipso; de qua hoc loco, vers. 11.

a) descr.

*) *descr.* Cæterùm, ut & obiter hoc hîc repetamus,

1. Gloriarî de Spe Gloriæ Dei, significat,
quia Gloriæ futuræ in cordibus nostris certi sumus,
propterea ex animo lætari, & insultare Diabolo,
ac Mundo, omnibusque quibus Salus nostra est invisa.
2. Gloriarî de Afflictionibus, significat,
quia certi sumus, etiam ipsa mala in nostram salutem cessura;
illis velati obviam procedere, eaque forti animo despiciere.
3. Gloriarî de Deo ipso, significat,
confidere, quod summum Deum habeamus propitium,
ideoque ex animo lætari, omnibusque rebus quæ adversus
nos esse possint, insultare, ac dicere, ex Rom. 8. 31.

Si Deus pro nobis, quis contra nos?

*) *Text.* De hac postrema Gloriatione ait Paulus, in textu prælecto;

Neque id solum, verum etiam gloriamur de Deo.

Exeg. Hæc summa Gloriatio est, quam homo habere potest,

thes. Nempe illa, quam habet de Deo ipso.

decl. Idcirco dicit Paulus; *Neque id solum*: quasi dicat,

Non solum gloriamur, de Spe vitæ æternæ,
quæ est certissima & infallibilis, à testimonio Sp. S.
Nec solum, de Afflictionibus hujus vitæ temporalis,
quæ serviunt nobis provchendæ Saluti nostræ, Rom. 8. 28.

Sed etiam de Deo ipso. Etenim,

Si Deum habeamus, vult dicere, omnia habemus:

Modò ille nobis non desit, nihil nobis deerit,
in cælo, vel in terra; ut insinuat Psaltes,

test. Psal. 73. 25. *Quis esset mihi in cælis, præter te?*

& præter te, nullo delector in terra, ô Deus.

Id quod Lutherus, secundum sensum, ita transfert;

Dummodò te habeam, non curo cælum aut terram.

In summa hoc vult dicere Paulus, quod dicit infrà,

Rom. 8. v. 31. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Quasi dicat; Deo nobis propitio, nihil poterit esse contrà:

*Non Afflictio, non angustia, non persecutio, non fames,
non nuditas, non periculum, non gladius; v. 35.*

*Non vita, non mors, non Angeli (Diaboli) principatus, non
presentia, non futura, non sublimitas, profunditas, non
ulla creatura alia; ut subdit v. 38. 39.*

Ttt 3

v) Appl.

2) Appl. (in Doct. & Usu.)

Doct. (cum Refut.) Discimus hinc, ex hac de Deo Gloriatione,
thes. Fidem nostram esse, cordialem Fiduciam in Deum,

nullâ dubitatione aut fluctuatione mixtam: Proinde,

Non debere nos credendo dubitare de Gratia Dei, de Salute;
sed firmiter credere, imò Gloriarî de Deo.

ant. Papistæ docent; Hominem non posse esse certum, in hac vita,
an sit filius Dei, an sit futurus heres vitæ æternæ: sed,

Oportere hominem Christianum, non præfidentem esse,
sed dubitare semper, atque in sollicitudine ac metu vivere.

ref. O inanis consolatio hominis fidelis! Nos verò meliùs scimus: Nam,
Si homo non potest esse certus, de gratia Dei, de sua salute,
quomodo ergo potest gloriari de Deo?

Si Christiano semper dubitandum est, & ambigendum,
quomodo igitur potest gloriari de Deo?

Longè certè aliud est, quum dico,

Glorior de Deo, quàm si dico, Dubito de Deo, ejusque gratia;

Si Deus pro nobis, &c. quàm si dico, Etiam si Deus sit pro me,
tamen vereor, ne malè mecum agatur;

Certus sum, nihil me posse separare à charitate Dei, quàm si
dicam, Timeo, ne hoc illudve me separet à charitate Dei.

Quum quis de re aliqua vult verè gloriari,

necesse est, ut illam verè possideat;

si non possidet, falsò gloriatur.

prol. Dicit quidem Paulus, Phil. 2. 12. *Cum timore ac tremore vestram
ipsorum salutem conficite: Et Rom. 11. 20.*

Tu per fidem stas: ne effertor animo, sed metue.

Sed aliud est, Filialiter timere, Deoque omnem gloriam tribuere,
nihil sibi deferre, quum Deus efficiat, & Velle, & Perficere:
aliud verò est, Serviliter timere, ac dubitare.

Aliud est, Sollicitum esse, & cavere ne labaris:

aliud, Dubitare de sua salute perpetuò.

test. Longè aliter Paulus Apostolus alibi ait,

Phil. 1. 6. *Persuasum mihi est, fore, ut qui incepit in vobis opus
bonum, perficiat usque in diem Jesu Christi.*

1. Cor. 10. 13. *Fidelis est Deus, qui non sinet vos tentari, supra id
quod potestis; sed unà cum tentatione præstabit etiam exitum,
ut possitis eam perferre.*

2) Usus.

Ufus. Idcirco, ne tam stulti simus, ut Papistæ,
thes. Ut nos patiamur duci, in lubricam viam dubitationis,
 quum possimus in firmo fundamento gratiæ Dei immoti stare,
test. Dicentes cum Apostolo Paulo,

Rom. 8. 38. 39. *Persuasum mihi est, neque mortem, neque vitam,
 neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque
 presentia, neque futura, neque sublimitatem, neque pro-
 funditatem, neque ullam rem aliam creatam, posse nos se-
 parare à charitate Dei, &c.*

Ibid. v. 37. *In his omnibus* ὁπισθεν ἡμῶν

2. Tim. 2. 19. *Firmum Dei fundamentum stat, habens sigillum
 hoc, Novit Deus eos qui sunt sui.*

2. Tim. 1. 12. *Scio, cui crediderim; & persuasum mihi est,
 eum posse depositum meum in illum diem custodire.*

text. Quinimò, *Gloriamur de Deo:* hoc est, Postquam certi sumus,
 de propitio nobis Deo, insultamus omnibus ijs rebus,
 quæ nobis impedimento esse possent ad Salutem.

spec. Adeoque confidimus, & lætamur semper: ità ut simus
 Læti & confidentes, in Precibus nostris,
 non dubitantes, nos certò exauditum iri;
 Læti & confidentes, in Afflictionibus,
 ità ut illas magno animo subeamus & toleremus;
 Læti in tentationibus animæ, & solitudinibus spiritûs,
 nec patiamur ijs nos expugnari aut vinci;
 Læti in ipsa morte temporali, ità ut dicamus cum Paulo,
 Phil. 1. 23. *Desidero emigrare, & ut cum Christo sim,
 cum Deo meo, de quo glorior.*
 2. Cor. 5. 8. *Confidenti animo sum, & gratum mihi est,
 potius abesse è corpore, & adesse Domino, Deo meo.*

;) Add. Discimus itè hîc,

thes. Quâ re potissimùm gloriari debeamus? nempe,
 Non in divitiis, honoribus, potentia, valetudine, ornatu,
 in voluptatibus ac deliciis hujus mundi,
 in amicis, in ædificiis, agris, liberis,
 aliisque rebus hujus mundi, gratis & acceptabilibus:
 Sed in solo Deo; Eum scilicet nobis propitium esse.

trans. Sed quam doctrinam reservabimus, in *Partem II.*
 in qua agemus, de propitiato nobis per Christum Deo.

PARS II.

P A R S II.

Secundum quod attinet, *Per Quem habeamus hanc gloriationem?*
Prop. Duo dicit Paulus, 1. *Per Quem*, 2. *Quomodo* habeamus?

I. PER QUEM?

Text. *Per Dominum nostrum Iesum Christum.*

Exeg. Habemus, inquit, gloriationem de Deo, *per D. N. Iesum Christum.*

thes. Hunc ut conciliatorem omnis boni Paulus sapius allegat:

spec. Dixerat supra, *Verf. 1. Pacem habemus cum Deo,*

per Dominum nostrum Iesum Christum.

Nunc dicit, *Gloriamur etiam de Deo, per D. N. Iesum Christum.*

Infrà dicet, *Verf. 15. Gratia Dei in multos exundavit,*

quæ est unius illius hominis, Iesu Christi.

Verf. 17. Recipientes exundantiam gratia, & doni iustitia,
regnabunt in vita, per unum Iesum Christum.

Verf. 21. Gratia regnatura est, per iustitiam, ad vitam æternam,
per Iesum Christum Dominum nostrum.

Sic alibi sapius, ut relegendi Scripturam succurret.

I. Doct. In summa,

thes. Summum Bonum, quod est Deus, & Vita æterna,
 non invenitur extra Christum, & non nisi per Christum.

ant. Mortales, ab initio mundi, hucusque, quæsi verunt id variè:
 Philosophi gentiles, per Philosophiam humanam, & qui propius accesserunt ad veritatem, in actione virtutis.

Quidam ex Gentilibus id quæsi verunt in Voluptate, h. e. ut bene sit homini in hac corporali vita; ut Epicurus.

Judæi id quærunt in Lege Moysi, ejusque observatione, asutis Traditionibus patrum, quas & Legi præferunt.

Papistæ id quærunt, per Merita priorum operum, nec non per Sanctos, eorumque Super-merita.

text. Sed hi omnes deceptos se invenient: Paulus enim dicit,
 Gloriamur de Deo, *per Dominum nostrum Iesum Christum.* Item,

test. 1. Cor. 3. 11. Fundamentum aliud nemo potest statuere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus.

Sic Petrus, *Act. 4. 12. Non est in alio quoquam salus, nec aliud nomen est sub caelo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari; quàm illud Iesu Christi.*

§) Usus

- 2) *Usus.* Quapropter, ô fideles in Christo,
thes. Quum alij juxta, ac præter viam incedunt, aut ab ea aberrant,
 | Nos rectâ viâ ambulemus: Quænam verò illa via?
test. Joh. 14. 6. *Christus est Via, Veritas, & Vita:*
Nemo venit ad Patrem, nisi per Christum.
 In Christo habemus, quicquid à Deo habemus:
 1. Joh. 2. 23. *Qui habet Filium, etiam Patrem habet.*
 Eph. 2. 18. c. 3. 12. *Per Christum habemus aditum, ad Patrem.*
2. *Doct.* Discimus etiam hinc,
thes. Quænam sit differentia, inter Religionem Christianam,
 | & inter reliquas omnes Religiones.
ant. Gloriantur quidem etiam de Deo,
 | Judæi, sed non per Jesum Christum, (quem abnegant:)
 | Turcæ, sed per Muhammedem suum, fabrum Alcorani.
opp. Nos Christiani autem gloriamur de Deo,
 | per unicum illum Mediatorem, Jesum Christum D. nostrum:
rat. Quia scimus, Deum, propter illum, nobis propitium esse.
 | Contra, qui Christum non novit, aut non recipit,
 | is non potest de Deo propitio gloriari.
 Nam, qui per Christum non sunt reconciliati,
 | ij sunt Inimici Dei; ut supra auditum est.
 Qui autem credit, se per Christum reconciliatum esse,
 | ille de Deo verè gloriari potest.
- Usus.* (ref.) Papistæ videntur quidem etiam Christum recipere,
err. Sed non solum eum recipiunt:
 | Quærunt etiam alios Mediatore, saltèm Intercessores;
 | Dicunt, se adorare Deum & Christum, in Sanctis;
 | Gloriam, Sanctis habitam, redundare in Christum.
ref. Sed quis eos hanc distinctionem docuit?
 | Deus suam gloriam non vult communicare cum Sanctis:
 | Esa. 42. 11. *Ego sum Jehova, illud est nomen meum;*
 | & gloriam meam alteri non dabo.
 Quid opus est alijs Intercessoribus? quum habeamus unicum Inter-
 | cessores, Jesum Christum, Rom. 8. 34. &c.
 Denique nemo potest Intercedere, & *Advocatus noster* esse,
 | nisi qui est etiam *Propitiatio pro peccatis nostris;*
 | ut docet Apostolus Johannes, 1. Joh. 2. v. 1. 2.
 Prout & Paulus in textu adjicit; lequitur enim,

V u u

II. QUOMODO?

II. QUOMODO?

Text. Per quem nunc Reconciliationem accepimus.

Exeg. Causam Paulus Apostolus repetit,

thes. Cur per Christum gloriari de Deo queamus? Quia scilicet,
Per Christum Reconciliationem accepimus.

Quomodo autem id factum sit, id supra declaravimus, *vers.* 10.
Reconciliati Deo fuimus, per Mortem Filij eius.

epith. Dicit autem in textu Paulus; Nunc accepimus.

Particula illa Nunc, monet nos de miserrimo statu,
in quo ante Reconciliationem eramus.

Nunc accepimus Reconciliationem: quasi dicat,
Antea eramus sub ira & odio Dei, nunc sub gratia;

Antea eramus Inimici Dei, nunc ejus Amici;

Antea perditum eramus, nunc sumus liberati;

Antea jacebamus in morte, nunc ad vitam adducti;

Antea eramus miseri peccatores, nunc justificati;

Antea eramus damnati, nunc heredes vitæ æternæ:

Idque per Jesum Christum, Dominum nostrum; nam,

Per illum Nunc Reconciliationem accepimus.

I. Doct. (specialis, partis II.)

thes. Est igitur Jesus Christus, Dominus noster, sola causa,
ob quam de Deo gloriari possumus.

text. Ità enim Paulus; Gloriamur etiam de Deo,
per Jesum Christum, Dominum nostrum;
per quem nunc Reconciliationem accepimus.

conf. Unde etiam videre licet, Quid sit gloriari de Deo?
Gloriari de Deo nihil aliud est, quàm certum esse,
Deum, propter J. Christum, Dominum ac Salvatorem nostrum,
reconciliatum & propitium esse nobis.

thes. Deprædicant hanc Gratiam Christi fideles cæli,
Apoc. 5. 9. 10. Tu mactatus es, & redemisti nos Deo, per San-
guinem tuum, ex omni tribu, & lingua, & populo, & na-
tione: Et fecisti nos Deo nostro, Reges, & Sacerdotes, & re-
gnabimus in terra. Quasi dicant,

Non tantum reconciliasti nos Deo, ut simus ejus Amici;
sed insuper fecisti nos ei Reges, & Sacerdotes.

usus. Gaudè igitur, & gloriare hac Gratiâ Christi, ô pie, & dic cum
Paulo, *Gal.* 2. 20. Qui dilexit Me, & semetipsum tradidit pro Me.

2. Doct.

2. Doct. (generalis, partis I. & II.) Discimus ad extremum hinc quoque,
 thes. Quanam sit vera Gloratio?

ant. Ingenium humanum valde est jactabundum, & arrogans,
 gloriabundum variis modis.

Qui sunt mundani, gloriantur de rebus evanidis:

Dives in divitiis suis lætatur & gloriatur;

Potens de potentia sua, Superbus de ornatu ac fastu;

Sapiens de sapientia sua, Pulcer de pulcritudine:

Hic confidit in amicis, & de iis gloriatur insolescens;

ille de equis & curribus, de agris, de ædificiis;

alius gloriatur de rebus aliis, quæ ei obtigere.

opp. Qui verò sunt verè Christiani, gloriantur de Deo, per J. C. D.

Atque hæc Gloratio est omnium optima.

text. Sic enim in textu Paulus; *Gloriamur etiam de Deo,*

per Dominum nostrum Jesum Christum.

test. Sic etiam David, Psal. 20. 8. *Hi currum, & illi equitum;*

Nos verò Jehovæ Dei nostri recordamur.

Sic Psaltes Afaphus, Psal. 73. 25. *Dummodò te habeam,*

ò Deus, non curo cælum aut terram. (ut suprà.)

Imò, sic præcipit Deus ipse, apud Prophetam, Jer. 9. 23. 24.

Ne gloriator sapiens in sapientia sua, neque gloriator potens in potentia sua, neque dives in divitiis suis:

Sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, se intelligere & cognoscere

Me, me esse Jehovam, exercentem benignitatem, jus & iustitiam in terra; quia illis delector.

Quod ipsum etiam Paulus repetit, 1. Cor. 1. 31. 2. Cor. 10. 17.

ex. p. Sic gloriatur David, Psal. 27. 1. *Jehova lux mea, & salus mea*

est, à quo timerem? Jehova robur vite meæ est, à quo expave-

scerem? Sic, Psal. 23. item, Psal. 118. 6. 7.

Sic in multis aliis Psalmis, ut Psal. 18. 3. & c. & c.

Sic gloriatur David, contra Goliathum, 1. Sam 17. 45.

Tu venis ad me cum gladio, & cum hasta, & cum humerali;

Ego verò venio ad te, in nomine Jehovæ exercituum.

Sic Moses, Exod. 15. 2. *Robur meum, & carmen Jah.*

Sic Job, quum esset prædives, laudatur à timore Dei, Job. 1.

Sic Zacharias, cum uxore Elisabetha, Luc. 1. 8.

Sic Paulus se poterat laudare, ut alii, in multis; sed stultum se

censet, si gloriatur in istis, 2. Cor. 10. & 11. & 12.

2) *cont.* Contrà verò impii frustra gloriati sunt, in rebus mundi:

Sennacherib gloriabatur de magnis suis copiis, de victoriis;
& quidem contra Deum, despiciens confidentes Deo Judæos.
Sed magno suo malo, ut describitur *Esa. 36. & 37.*

Prodiens Angelus Dei percussit eâ nocte in castris Assyriorum,
centum octoginta quinque millia hominum, quumque sur-
rexissent mane, ecce omnia illa erant cadavera mortuorum,
Esa. 37. v. 36. 2. Reg. 19. 35.

Ipsè verò Sennacherib, reversus Niniven, ibi percussus est,
à duobus filiis suis, profugis: Ibid. vers. seqq.

Sic evanuit omnis illa vana & impia gloriatio.

Nebucadnezar gloriabatur, de sua majestate & gloria,

Dan. 4. 27. (30.) Hæc est Babylon illa magna, quam ego adifi-
cavi, ut esset regia, & ornamentum decoris mei; robore po-
tentiæ meæ. Sed quid fit?

Vers. seq. Adhuc sermone illò versante in ore regis, vox è cælo
decidit; Tibi indicitur, Nebucadnezar rex, regnum illud dis-
cedere à te. Et relegatus est ad bestias agri.

Herodes Antipas efferebat se, propter majestatem suam:

Illico verò percussit eum Angelus Domini, eò quòd non tribuisset
gloriam Deo, & erosus à vermibus exanimatus est:
ut describit *Lucas, in Act. 12. v. 22. 23.*

Dives ille, de quo Christus agit, Luc. 12. v. 16. & seqq.

Gloriabatur de proventu in agris suis, amplificandis horreis,
latabaturque dicens, *Requiesce, ede, bibe, oblectare.*

Sed quid ei Deus? *Desipiens, hac nocte animam tuam repetunt*
abs te; quæ verò parasti, cujus erunt?

Subjicit Christus, *vers. 21. Ità est, qui thesaurum recondit sibi,*
nec est in Deo dives. Urinam hoc considerent Divites!

3) *Usus.* Nemo, nemo, inquam, gloriatur sic frustra, & suo malo:

thes. Nemo aliter gloriatur, quàm in Deo, per D. N. J. Christum.

ant. Alii igitur glorientur juxta desideria cordis sui,

Dives in divitiis, Potens in potentia, Sapiens in sapientia sua;
Nobilis, quòd non sit rusticus, Dominus, quòd non sit servus,
Rex, quòd possideat multas regiones, &c.

concl. Nos gloriabimur in Domino Deo nostro, in Christo:

Si Deus sit noster, omnia nostra sunt;

Si Deus pro nobis, quis contra nos?

CONCL-

C O N C L U S I O.

R. Itaque audivistis, Auditores, de Gloriatione,

1. Quam habemus de Deo ipso:

2. Per Quem illam habeamus? nempe,
per Dominum nostrum, Jesum Christum;
per quem nunc Reconciliationem accepimus.

C. Paulus Apostolus scribit ad Colossenses, his verbis, Col. 2. v. 3.

In Christo sunt omnes thesauri sapientiae & notitiae absconditi.

Ipse est Fons inexhaustus, ex quo
quò magis hauritur, eò plenior manet, copiosior manat;
haurimus Gratiam pro Gratia, unam post alteram.

Quantumvis quis ebiberet omnes alios fontes,
fontem divitiarum, honorum, voluptatum;

Tamen non explebit sitim suam,
non habebit causas gloriandi & lætandi:
sed potiùs lamentandi & plorandi:

Juxta illud Christi, Luc. 6. v. 24. 25.

Vae vobis divites, nam perceptum habetis solatium vestrum:

Vae vobis, qui impleti estis, nam esurietis.

Verùm, si ex Fonte vitæ, Christo, bibamus, non sitiemus; ut,

Joh. 4. 13. 14. *Quisquis bibit ex Aqua ista, (mundi,) sitiet rursus:*

*Quisquis autem biberit ex Aqua illa, quam ego ei dabo, non sitiet
in æternum; sed Aqua illa, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ
salientis in Vitam æternam.*

Exemplum hujus rei habemus, in Divite, & Lazaro, Luc. 16. 25.

Ille receperat bona sua, in hac vita; Lazarus contrà mala:

Post mortem verò utriusque, Lazarus solamen recipiebat;

Dives verò ille epulo contrà cruciabatur.

In summa, Bibentes ex fonte Jesu Christi Domini nostri,

Ad satietatem recreabimur & exhilarabimur, tandem;

Atque sic gloriabimur, & verè gloriabimur,

Cælum esse, nostram hereditatem;

Afflictiones esse, nostram pacem;

Ipsam Deum esse, nostrum.

V. Illi Deo uni ac vero, Patri, Filio, & Spiritui Sancto,

sit laus, honor, & gloria, in sempiterna secula, Amen.

V u u 3

CONCIO XLVII.

C O N C I O XLVII.

De Peccato Primo Adami.

T E X T U S, Rom. V. vers. 12.

Propterea, sicut per unum hominem Peccatum in mundum introiit, & per peccatum Mors; & ita in omnes homines pervasit, in quo omnes peccarunt.

E X O R D I U M.

O Bnoxium esse totum mundum condemnationi Dei, Paulus Apostolus dixerat, & probaverat, supra *Cap. 3. 19.* Idipsum porrò in hoc textu it probatum idem Apostolus. Initio hujus Capituli diximus, duas esse hujus Capituli V. partes:

I. Enarrare Paulum aliquot fructus, ex Justificatione ortos, Quales sunt duo;

1. *Pax* in conscientiis nostris, quam habemus cum Deo;
2. *Gloriatio*, quam habemus, partim de *Spe Glorie Dei*, in nobis revelanda; in *Afflictionibus* hujus vitæ temporalis; de *Deo ipso*, per Dominum nostrum *J. Christum.*

II. Instituire eum comparationem, inter Primum hominem, Adamum, & Christum, Salvatorem; Lapsum primi hominis, & Redemptionem per Christum; Peccatum primi hominis, quod introiit in univèrsum mundum, & Gratiam Jesu Christi, super omnes credentes; Mortem, ex inobedientia Adami, primi hominis, & Vitam ac salutem, ex obedientia Christi, fluentem. Prætereaque ostendere, dum hoc agit, Usus Legis. Hactenus immorati sumus explicationi Primæ partis, & vidimus, Non solùm nobiles fructus, ex Justificatione provenientes, Pacem, & Gloriationem, conscientiarum nostrarum; Sed etiam radicem & stirpem, super qua hi fructus crescunt, Charitatem Dei Patris, Gratiam Jesu Christi Filii Dei, Communionem Spiritûs S. nos de his confirmantis.

Conseq-

Consequens est, ut jam quoque nos convertamus ad partem Secundam,
& quidem primò assumamus Comparationem illam,
quæ instituitur inter Adamum primum & secundum;

quæque continetur, à *vers.* 12. usque ad *vers.* 19. inclusivè.

Priusquam autem ad Comparationem illam accedamus,
consideranda nobis sunt quædam, à parte Primi hominis,
quæ proponuntur, *vers.* 12. 13. 14. attinentia
peccatum ejus Primum, indeque Ortum peccatum originale.

In *vers.* 12. modò vobis prælecto, duo proponuntur à Paulo;

I. *De Peccato primi hominis*: ubi declarandum erit,

1. Quis sit unus ille homo?
2. Quodnam ejus peccatum?
3. Quomodo id transierit in mundum?

II. *De Reatu Mortis originali*: ubi declarandum,

1. Quid sit Mors, transiens per peccatum?
2. In quos illa transierit?
3. Quare transierit?

Adeoque cumulum gravissimarum quæstionum hoc versu congerit Paulus.

P. Nos hac vice tantummodo tractabimus Primum membrum, quod est

De Peccato primi hominis: ubi priores tres quæstiones declarabimus

I. *Quis sit unus ille Homo?*

II. *Quodnam ejus fuerit Peccatum?*

III. *Quomodo illud Peccatum transierit in Mundum?*

Alterum membrum, *de Reatu Mortis originali*, ex hoc peccato orto,
cum tribus suis quæstionibus, reservabimus in concionem seq.

V. Deus adsit nobis suâ gratiâ, ut hæc consideremus,

ad suam gloriam, nostrique institutionem & consolationem: *Amen.*

P A R S I.

Principiò, non potest memoriam vestram fugere,

Præp. Quæ de tristi Lapsu primorum parentum, Adami & Evæ,
descripsit Moyses, in primo libro, *Gen.* 3. cap.

Huc respicit Paulus, in prælecto *versu* 12. dicitque,

1. *Per unum hominem Peccatum introiisse in mundum;*
2. *Per peccatum Mortem pervasisse ad omnes homines.*

Tract. De Primo illo Peccato primi hominis hæc concione dicemus,
& quidem juxta tres Quæstiones suprâ propositas. Itaque,

Prima

Prima Quæstio hæc est, *Quis fuerit Unus ille Homo?*

Text. Ubi dicit Paulus; *Sicut per unum hominem.*

Exeg. Posset fieri, ut per *Unum hominem*, more hebræis usitato,

arg. intelligatur *Primus homo*: (Unus, pro Primo.)

Sed, quia hic *uni* homini expressè opponitur unus: nimirum,

Uni, qui solus & unus peccatum introduxit;

Unus, qui solus & unus vitam reduxit:

Quæritur igitur, *Quis per Unum illum hominem intelligatur?*

arg. Extra omne dubium est, *Unum illum hominem*, fuisse

prop. Adamum & Evam; scilicet, *Primos nostros parentes*:

Qui quidem Duo erant homines, sexu, mas & fœmina;

Naturâ autem Unus: ut patebit ex seqq. rationibus. Nam,

rat. Et una fuerunt caro; ex lege conjugij, quæ constat, ex

Gen. 2. 24. *Eruntque in carnem unam.*

Matt. 19. 6. *Non amplius sunt duo, sed una caro.*

Eph. 5. 31. *Qui duo erant, fient una caro.*

Et unâ peccaverunt quoque, neutro excepto:

Vir, inductus à muliere; Mulier, decepta à Serpente.

Et hi duo pro uno homine censentur, in s. literis; ut,

Gen. 1. v. 26. *Dixit Deus, faciamus hominem: confer,*

Verf. 27. *Et creavit Deus hominem, ad imaginem suam, &c.*

Marem & Fœminam creavit eos.

Ecce, hic Mas & Fœmina, pro uno homine sumuntur.

conf. Itâ ut non sit necesse, disputare,

Adamus an Eva hic intelligatur, per *Unum hominem?*

Nam uterque intelligitur.

prol. Tametsi non sit negandum, præcipuè Marem intelligi: quia

Vir est caput mulieris, 1. Cor. 11. 3.

Propagatio ac generatio ad virum refertur.

obj. Nec impedit, quod alibi dicitur,

De Fœmina, 1. Tim. 2. 14. *Adamus non fuit seductus,*

sed Mulier seducta, causa transgressionis fuit.

Confer, Sirac. 25. 29. *A Muliere principium est peccati,*

& per eam nos omnes morimur.

De Diabolo, 1. Joh. 3. 8. *Qui dat operam peccato, ex Diabolo est:*

quoniam à principio Diabolus peccat. Sic, Joh. 8. 44.

Diabolus fuit homicida à principio. Confer illud

Sap. 2. 24. *Invidentiâ Diaboli mors venit in mundum.*

a) resp.

a) *resp.* Etenim, in illis dictis respicitur *Ordo*,
 quo homo primus in peccatum incidit:
Serpens, (h. e. Diabolus,) seducebat *Mulierem*;
Mulier, seducebat *Virum*;
Uterque verò, sic seducti, lapsi sunt & peccârunt.
 Hic verò, *in textu*, agitur de *Propagatione* peccati, in posteros;
 quæ fit per *Virum*, saltèm per utriusque conjunctionem.

b) *Appl.* (in *Doct. & Usu*, mixtim.)

hyp. Quapropter, neuter se meliorem esse censebit:

Vir æquè reus est, ac *Mulier*;

Mulier æquè rea est, ac *Vir*.

thes. Potiùs deplorabimus miserum nostrum statum,
 in quem, per lapsum illum primum, devoluti sumus:
 Operamque dabimus, ut ex illo liberemur,
 confugiemusque ad gratiam Dei, in Christo.

sim. Jacenti in fovea, non est disputandum, quomodo inciderit;
 sed potiùs accurandum, ut indè liberetur.

exëp. Lapsu facto, Adamus se voluit excusare coram Deo,
 & culpam rejicere in uxorem, sibi à Deo datam:

Eva autem excusavit se, deceptam versutiâ *Serpentis*,
 atque in illum voluit rejicere culpam.

Sed quid Deus? Nulli parcit, (ut constat, ex *Gen. 3.*)

Adamo pœnam & maledictionem denunciat,
 laborem molestum, & mortalitatem:

Eva quoque non absolvit, sed pœnæ loco ei irrogat,
 partum difficilem, & dominatum mariti in eam:

Serpentem quoque maledictum esse voluit, & in eo
Diabolum; qui indè vocatur, *Serpens antiquus*,

Draco ille magnus, seducens totum terrarum orbem, Ap. 12. 9.

Taceo pœnam mortis etiam æternæ, cujus facti sunt rei,
 ex denunciatione prævia, *Gen. 2. 17. Morte morieris.*
 de qua infra singulariter agetur, *conc. seq.*

opp. Hoc unum restabat, ut Deus misereretur protoplastarum,
 atque posterorum, ab illis generandorum:

Quod & fecit, in ipso Paradiso promisso Salvatore,

Gen. 3. 15. Semen mulieris conteret caput Serpentis.

Semen hoc est, *Jesus Christus*, Salvator mundi, de quo
 hætenus multa, *in præcedd. conc.* Sed pergamus:

P A R S II.

Secunda Quæstio est; *Quodnam fuerit unius hominis Peccatum?*

Text. Ubi dicit Paulus; *Per unum hominem Peccatum.*

Exeg. Disquirendum hîc, 1. *Quale*, 2. *Quantum* fuerit Peccatum?

I. Q U A L E ?

dub. Disputant hîc, Quodnam peccatum hîc intelligatur?

| An Originale, An Actuale, An utrumque?

decl. Manifestum verò est, de Peccato hîc dici, quod

| primò mundum polluit, mortem generi humano intulit.

| Id autem fuit, Actualis illa transgressio protoplastarum,

| quum in Paradiso comederent de fructu Arboris vetitæ.

prob. Nisi velimus dicere, intelligi hîc per Peccatum,

| Causam peccandi in hominibus: Sic videlicet,

| Per unum hominem peccatum venisse in mundum; h. e.

| A primo homine esse, quòd omnes homines,

| non solum in peccatis concipiantur & nascantur,

| sed etiam ipsi varijs modis actualiter peccent.

opp. Verùm hoc totum est, à Peccato illo primo primi hominis;

| reliquaque peccata omnia, ex hoc tanq. fonte promanant.

| Quapropter per Peccatum hîc intelligitur, illud Primum

| primi hominis peccatum, commissum in paradiso, *Gen. 3.*

prob. Unde & per articulum græcum singulariter notatur,

| *ἡ ἀμαρτία*, quasi dicas, *Illud peccatum.*

| Prout & in sequentibus textum verbis, appellatur,

| Transgressio Adami, *παράβασις*, vers. 14.

| Lapsus *παράπτωμα*, vers. 15.

| Inobedientia, *παράνομι*, vers. 19.

II. Q U A N T U M ?

thes. Non fuit hoc Peccatum, simplex & exiguum: sed

| & in seipso spectatum, satis grave & enorme;

| & ob concurrentia alia peccata, gravissimum.

part. Hæc enim duo hîc nobis consideranda veniunt:

| 1. Quid fuerit peccati, *in se spectatum?*

| 2. Quænam peccata alia *concurrerint?*

tract. Consideremus hæc paulisper, ut pateat,

| *Quantum* fuerit hoc Peccatum? *pag. seq. γ) δ)*

γ) I. In

2) 1. *In se spectatum*, fuit satis grave & enorme peccatum:

thes. Nam considerate, quod,

1. Non solum communicavit homo, cum Diabolo,
dum in colloquium cum illo consensit:

Sed etiam Diabolo, patri mendaciorum, fidem adhibuit.

Dixerat enim Deus, *Morte moriemini*:

Dicebat Diabolus, *Non moriemini*;

atque hoc credebant magis protoplastæ.

2. Homo, non solum non credidit Deo;

Sed etiam diffusus est illi, quasi ipsis invidisset Deus tantam
felicitatem, quam persuadebat Diabolus.

Dicebat Diabolus, *Novit Deus, quo die comederitis ex eo,*
Aperturos se oculos vestros, &

Fore vos sicut Deos, scientes boni & mali.

Putabant parentes, Deum hoc ipsos celasse,

& invidisse ipsis tantam felicitatem;

atque sic arguunt Deum, Mendacii, & Invidiæ.

3. Desciscunt à Deo, & deficiunt ad Diabolum:

Deserunt ac negligunt mandatum Dei; &

Faciunt, quod ipsis persuaserat Diabolus.

concl. Hoc sanè enorme fuit Peccatum:

Grandia fuere hæc peccata,

Communicatio cum Diabolo,

Diffidentia in Deo;

Apostasia & inobedientia.

Nec id solum, sed & concurrerunt alia peccata.

2) 2. *Concurrentia peccata* quod attinet,

thes. Conjuncta fuere huic Peccato, alia grandia & enormia:

1. Ingratitudo, adversus Deum.

Deus ipsos perfectos, & ad suam Imaginem creaverat;

Omniaque pedibus hominum subjecerat;

Posueratque in horto Edenis, in Paradiso,

in quo nihil illis deerat, ad voluptatem.

Veluti describitur, *Gen. 1. 27-29. cap. 2. 8. &c.*

Ut & celebratur hoc beneficium, *Psal. 8. 4-10.*

Et hæc erat illa gratitudo, scilicet, quam pro his

tantis beneficiis rependunt Deo benignissimo,

quod Diabolum magis honorabant, quam Deum.

X x x 2

2) 2. Superb-

2. Superbia & ambitio.

Deus ipsos creaverat, ad suam Imaginem; hoc est,
in Justitia & sanctimonia vera, Eph. 4. 24.

in Sapiencia summa & agnitione Dei, Col. 3. 10.

Hoc protoplastæ non contenti, volebant insuper esse
Æquales Deo; quod ipsis persuaserat Diabolus.

3. *Ασογγία* & inclementia in posteros.

Non enim sibi solùm fecerunt malè, quòd lapsi sunt,
sed etiam omnibus posteris suis.

Miser homo non cogitabat, neque perpendebat,

Sicut sibi, & posteris suis, acceperat illa bona;

Sic se sibi, & posteris suis, amissurum illa bona,

& perditurum se suosque, si deficeret.

¶ *concl.* Maximum ergo & fœdisimum fuit hoc Peccatum primum,
non solùm in se spectatum, sed & conjunctum cum aliis.

Quinimò, si rectè rem expendamus, peccavit Homo primus,
adversus omnia Dei præcepta, in Decalogo descripta.

Adversus I. præceptum peccavit,

Inobedienciâ, Apostasiâ, Diffidentiâ.

Adversus II. præceptum peccavit,

Dum voluit ex seipso idolum facere, æquale Deo.

Adversus III. præceptum peccavit,

Insimulando Deum mendacii & invidiæ;

Ingratitudine, quum debuisset celebrare bonitatem Dei.

Adversus IV. præceptum peccavit,

Negligendo Verbum Dei, & Aufcultando Satanæ.

Adversus V. præceptum peccavit,

Patrem universi spernendo, Ordinem superioritatis violando.

Adversus VI. præceptum peccavit,

Homicidio, dum se & posteros morti subjecit.

Adversus VII. præceptum peccavit,

Intemperantiâ, dum indulsit gulæ, pro lubricine.

Adversus VIII. præceptum peccavit,

Contrectatione rei alienæ, invito Domino;

Spolians se ipsum & posteros felicitate primigeniâ.

Adversus IX. præceptum peccavit,

Admissione calumniæ Diabolicæ, contra Deum.

Adversus X. præceptum peccavit, Concupiscentiâ, Gen. 3. 6.

n) Appl.

n) Appl. (in Doct. & Usu, mixtim.)

hyp. Ità ut Peccatum hoc primum, non fuerit simplex & exiguum,
sed horrendum, fœdissimum, & maximum;
imò Catena multorum peccatorum.

thes. Quapropter non immeritò irascitur Deus tantopere,
ob hoc Peccatum primum, in paradiso commissum:
Ità ut homo, iusto Dei iudicio,

Non solum temporales & æternas pœnas commeruerit,
temporalem & æternam mortem;

Sed etiam se Imagine Dei exuerit, & privârit,
seque ex statu perfectionis præcipitârit,
in statum illum peccatricem & miserrimum.

test. Nec finè ratione: Dicit enim Samuël, ex ore Dei,

1. Sam. 15. 23. *Sicut peccatum divinationis est Rebellio,
& sicut superstitio & idola est Repugnantia.*

Ibid. v. 22. *Auscultare est melius sacrificio,
& Attendere melius est adipe arietum.*

ref. Malè proinde Papa ille Romanus iudicavit,

Cui videbatur injustum, ac nimis frivolum,
Deum propter pomum tantopere excanduisse.

Non enim Deus respexit pomum, seu fructum arboris,
sed Obedientiam mandati sui.

conf. Atque hic est ille Fons, ex quo scaturit

Mors, & omnis miseria;
Peccatum, & omnis generis malitia.

Quem Fontem Philosophia nescit & ignorat;
nescit etiam, quomodo ille obstruatur.

Verbum autem Dei nobis detegit hunc Fontem;

docetque, quomodo ille obstrui queat, nempe,
per Gratiam & Redemptionem Christi, fide arreptam:
ut suprâ patuit, & infrâ porrò in hoc cap. patebit.

concl. Nos verò miserrimum hunc statum nostrum deplorabimus,
veramque illius causam respiciemus; dicentes cum Salomone,

Eccl. 7. 30. (29.) *Solummodo hoc inveni: Deum fecisse homi-
nem rectum, ipsos autem quærere ratiocinia plurima.*

Imò, quæsisisse indè ab initio, in primo illo lapsu;
unde hæc in posteris lacrymæ:

Ut ex sequenti parte perspicietur.

P A R S III.

Tertia Quæstio est; *Quomodo hoc Peccatum transierit in mundum?*

Text. Ubi dicit Paulus; Per unum hominem Peccatum in mundum introiit.

Exeg. Notate hîc primùm *Verba* Apostoli; deinde *Modum* introitus.

Verb. Dicit itaque Paulus, Peccatum hoc

1. *Introivisse*: hoc est,

Quasi irrepsisse clam, per insidias Diaboli;

Quasi irrupisse vi: Nam,

Sicut Hostis urbem, vi effractam, irrumpit;

Sic etiam Peccatum, & omne genus mali, quasi vi, effractis repagulis, dilatatis portis, irrupit in mundum, postquam homo, per Diabolum tentatus, dolosè ab eo oppugnatus, tandemque victus succubisset.

2. *In Mundum*: hoc est,

Primò Paradisum, in quo committebatur, commaculavit;

Indè in Mundum universum se diffudit:

In Primum hominem, qui erat pars potior mundi:

Et per eum, in Posterios, tanquam per Portam: Nam,

Non tam intelligit mundi Machinam coinquinatam, quam Incolas mundi; prout ipse mox declarat, dicens, *In omnes homines mortem pervasisse.*

Mod. Jam videndum nobis est, *Quomodo introierit?*

1. In ipsum Hominem primum quomodo inyasit,

cum illa Inobedientia, tum eam sequuta Pœna & corruptio, discimus id ex historia Lapsus, descripta *Gen. 3. cap.*

Nimirum, Factus est primus homo peccator,

Partim seductione Diaboli, in Serpente latentis,

vel immediatâ, in Muliere, (quam solam aggressus est,)

vel mediâtâ, in viro, per Mulierem scilicet.

Partim abusu Liberi arbitrii; quod erat,

In statu illo primo, Integritatis scil. liberum ad bonum, itâ tamen ut posset deflecti ad malum.

Erat, inquam, Liberum, à coactione, & natura; itâ, ut nec cogereetur, nec necessitate naturæ ageret.

Adeoque fuit Indifferens, ad bonum, & ad malum:

Ad bonum, vi creationis; Ad malum, seductione.

§) 2. In

2. In Posteros verò quomodo introierit, gravior est quæstio.

Ant. Pelagius olim contendebat, Peccatum introire in homines,

prop. Solâ Imitatione: qui est Pelagianorum error.

Infantes in se, non esse malos & corruptos;

Sed discere à parentibus, alijsque, peccare, pravis exemplis.

jud. Hoc ipso stabiliebant Liberum, h. e. indifferens, Arbitrium;

Meritum Christi enervabant ac evertabant,

Salvatorem eum asserentes esse, solo exemplo & doctrinâ.

Quem errorem, his temporibus, renovavit Socinus,

aliique Semipelagiani, Papistæ, Arminiani.

test. Contrâ Sacra Scriptura clamat,

Omnes nos nasci, immundos, ab immundis: ut,

Job. 14. 4. (5.) *Quis edat mundum, ex immundo?*

Concipi & nasci nos in peccatis, à parentibus: ut,

Pfal. 51. 7. *En in iniquitate natus sum, ait David,*

& in peccato concepit me mater mea.

Esse nos naturâ filios iræ, h. e. peccatores: ut,

Eph. 2. 5. *Eramusque naturâ filij ira, ut & reliqui.*

Cor hominis pravum esse, à juventute: ut,

Gen. 6. 5. *Omne figmentum, & cogitationes cordis hominis, tantummodo malum est, omni tempore.*

Gen. 8. 21. *Figmentum hominis malum, à pueritia.*

rat. Adhæc, Imitatio non cadit in Infantes:

Nihilominus non carent peccato Infantes;

quia moriuntur etiam, quæ est pœna peccati.

Immundi pronunciantur, ab utero; *ut supra.*

Sunt caro, de carne nati; ut ait Christus, *Job. 3. 5.*

h. e. peccatricis naturæ, à peccatricibus nati.

Opus habent Baptismo, ut in V. T. Circumcisione;

ad obfignandam illis Remissionem, & Regenerationem.

Thes. Videmus igitur,

prop. Non Imitatione tantum Peccatum introisse in mundum,

sed etiam *Generatione* hereditariâ, à parte parentum,

nec non *Participatione* culpæ, à parte liberorum.

mod. Quomodo autem per Propagationem peccatum introeat,

id singulari concione docebimus, quando agemus infra.

de Peccato Originali; de quo magna est disputatio,

An id propagetur, per animam, vel corpus?

x) dect

**) decl.* Id autem sciendum hîc, atque observandum est:

In Peccato Adami tres partes concurrere,

1. Transgressionem, seu Peccatum ipsum;
2. Pœnam, quæ inevitabiliter sequuta est;
3. Amissionem Imaginis Dei, quæ est Corruptio naturæ.

A nulla harum partium immunes sunt, Posterî ac liberi:

1. Cum Adamo, & in Adamo, peccaverunt;

Ut dicitur in textu, *In quo omnes peccaverunt.*

Quia omnes fuerunt in lumbis Adami, patris ipsorum:

Sicut Levi dicitur decimatus, in lumbis Abrahami,

Heb. 7. 9. *In Abrahamo decimatus est ipse Levi.*

2. Ejusdem pœnæ facti sunt obnoxij, cum Adamo;

Ut in seq. textum vers. 14. *Regnavit mors ab Adamo, in eos*

etiam, qui non peccaverunt ad similitudinem transgres-

sionis Adami, h. e. in Infantes. Nam,

Primus homo sic stabat in gratia, ut, si peccaret,

non ipse solus ex gratia excideret, reusque mortis esset,

sed & omnes cum eo posterî; juxta denunciationem il-

lam, Gen. 2. 17. *Si comederis, morte morieris.*

Quemadmodum Vasalli, feuda sibi & liberis data,

suâ culpâ, sibi & posteris amittunt, à Domino.

3. Corrupti sunt æquè, ac Adamus: Nam,

Qualis Adamus post lapsum fuit, tales genuit liberos;

ut, Gen. 5. 3. *Genuit Adam filium ad similitudinem*

suam, ad imaginem suam; non ad imaginem Dei.

Atquî Adamus immundus erat, & corruptus:

Quis ergo daret mundum, ab immundo? ut sup.

**) Appl. (in Doct. & Usu, mixtim.)*

thes. Hæc sanè latissima Porta est, & spatiosissima Via,

per quam Peccatum in mundum introit.

opp. Nisi Porta gratiæ Dei latior esset, & Via ad salutem spatiosior,

actum de nobis esset, nullus servari posset.

test. Sed benedictus sit Deus, quòd, (ut inf. v. 20. dicitur,)

Ubi auctum est peccatum, ibi superabundavit gratia:

De qua Gratia, infra suo loco, dicemus, D. V.

trans. Hæc de Peccato primo dicuntur, in hoc vers. 12. prælecto:

Sequitur, ut etiam de Morte, id sequuta, dicamus, ex eodem vers.

Quod differemus, in concionem sequentem.

CONCL-

C O N C L U S I O.

R. Audivistis in hac Concione, Audd. de Peccato illo primi hominis,

1. Quis fuerit ille Unus homo?
2. Quale, & Quantum, fuerit illud Peccatum?
3. Quomodo idipsum in mundum introierit?

C. Rectè Daniel propheta ait, Dan. 9. v. 8. 9.

*Penès nos est pudor vultus, & penès patres nostros,
quia peccavimus in te, ò Deus:*

*At penès Dominum, Deum nostrum, sunt miserationes,
& condonationes.*

Rectè Paulus Apostolus ait, 2. Cor. 3. v. 5.

*Non sumus idonei, per nos ipsos, ad cogitandum quicquam boni,
velut ex nobis ipsis:*

Sed, quòd idonei sumus, id ex Deo est.

Rectè idem Apostolus ait, 1. Cor 4. v. 7.

Quid habes, quod non acceperis?

Quòd si etiam accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

Amiseramus enim omnia, quæ data nobis erant primitus:

Quæ autem nunc habemus, de novo accepimus, per gratiam Christi.

V. Deus omnipotens & misericors,

qui primos nostros parentes labi permisit,

unde peccatum, & omnis miseria, in mundum venit;

Conservet nos, ut, postquàm per Jesum Christum liberati sumus,

& ex statu peccati ac miseriæ, in statum gratiæ restituti,

constantes permaneamus, quòd nunquam ex hac Gratia,

per Filium Dei nobis parta, ac data, excidamus:

Quoad tandem nos ad se recipiat, in cœlestem Paradisum,

ubi cum omnibus Sanctis Angelis, & Electis hominibus,

ipsum laudemus, & celebremus, dicentes cum ipsis,

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus, Deus Zebaoth:

Gloria Patri æterno, misericordi & benignissimo;

Gloria Filio Dei, qui nos miseros ab omni miseria redemit;

Gloria Spiritui Sancto, qui nos confirmat & consolatur:

Gloria sit uni illi, æternoque ac vero Deo, Optimo, Maximo,

Benedicto in omnia secula seculorum,

Amen, Amen, Amen.

Yyy

CONCIO XLVIII.

C O N C I O XLVIII.
De Reatu Mortis originali.

T E X T U S *idem*, Rom. V. vers. 12.

Sicut per unum hominem peccatum in mundum introijt, Ac per peccatum Mors, & ita in omnes homines pervasit, in quo omnes peccarunt.

E X O R D I U M.

DUo dicit Apostolus, in hoc versu, iterum vobis prælecto;

1. Per unum hominem Peccatum introijsse in mundum;
2. Per peccatum Mortem in omnes homines pervasisse.

Primum in præcedenti Concione explicavimus; & diximus,

1. Quis per Unum illum hominem intelligatur?
nempe, Primi nostri parentes, Adamus & Eva.
2. Quodnam ejus fuerit Peccatum?
nempe, Quòd comedit de fructu arboris vetitæ:
Ubi simul percepimus, Quàm magnum fuerit id peccatum?

3. Quomodo illud peccatum in Mundum introierit?
nempe, Non solùm Imitatione liberorum;
Sed etiam hereditariâ Propagatione parentum,
Liberorumque Participatione culpæ: Siquidem,
 1. Omnes posterii, in lumbis Adami peccarunt;
 2. Iisdem pœnis, cum Adamo obnoxij facti sunt;
 3. Adeoque Imaginem Dei, ad quam conditus erat, amisit,
non sibi soli, sed & omnibus posteris suis.

Secundum quod attinet, id nunc explicandum est; nempe,
Mortem in omnes homines pervasisse, in quo omnes peccarunt.

P. Ex eo jam reliquas tres Quæstiones explicabimus:

- I. *Quid per Mortem illam intelligatur?*
- II. *Ad Quos illa Mors pervaserit?* Omnes homines sc.
- III. *Quare illa Mors ad omnes transiverit?* In eo peccarunt.

V. Deus adsit nobis suâ gratiâ, in suâ gloriam, nostrique doctrinam: &
Quia per peccatum venimus in Mortem, ille nos per Gratiam
Jesu Christi, Filij sui, reducat ad Vitam: Amen.

P A R S I.

P A R S I.

Primam Quæstionem quod attinet,

Text. Quia dicit Paulus; *Per peccatum Mortem transiisse in mundum:*

Exeg. Quæritur hîc; *Qualis hîc Mors intelligatur?*

prop. Temporalis, an Æterna? an verò Utraque simul?

decl. (per *Antithesin*, & *Thesin*.)

Ant. Non est una omnium, de hac Morte, sententia.

1. Quidam per hanc Mortem intelligunt, tantum Temporalem:

Ut Ambrosius; qui in illa fuit opinione,

quasi id, quod Deus prædixerat, Gen. 2. v. 17.

Quo die comederis, ex fructu illo, morte morieris:

tantum de temporali Morte intellexisset Deus.

Unde videmus, Scripta Patrum cum iudicio legenda esse:

non enim omnia, quæ scribunt, Euangelium est.

2. Quidam per hanc Mortem intelligunt, Æternam solum:

Ut Socinus, & olim Pelagius;

Qui tradunt, Mortem temporalem naturalem esse,

& licet non peccasset, tamen moriturum fuisse hominem:

Peccatum verò tantum mereri Mortem æternam.

Sed hic error cavendus est; quia aliud quid sub eo latet:

Nempe, Infantes carere peccato originali,

eosdemque puros nasci, sine ullo peccato;

Si moriantur infantes, non mori eos propter peccatum,

sed propter naturæ necessitatem.

Thef. Dicimus ergo, per Mortem hîc intelligi,

prop. Et temporalem, & æternam Mortem;

& quicquid utramque antecedit & sequitur.

part. Intelligitur itaque hîc,

1. Æterna Mors:

def. Quæ est, abjectio animæ & corporis in Gehennam.

nom. Hæc appellatur, Mors Secunda;

ut, *Apoc.* 2. 11. *Apoc.* 20. v. 6. 14.

test. De hac Morte loquitur Propheta, *Esa.* 66. 24.

Et egressi videbunt Cadavera hominum illorum, qui

defecerunt à me: & Vermis eorum non morietur,

Ignis non exstinguetur, eruntque nausæ.

Y y 2

2. Temp-

2. Temporalis Mors:

def. Quæ est, separatio animæ & corporis.

test. De qua Deus loquitur, Gen. 3. 19. *Pulvis es, &c.*

3. Quicquid utramque antecedit, & sequitur.

Temporalem mortem

Antecedunt; Debilitas, Morbus, Tristitia, Calamitates:
quæ proinde Mortis nomine veniunt; ut, *Exod.* 10. 17.

Sequuntur; Corruptio, Putrefactio; ut, *Psal.* 16. 10.

Æternam mortem

Antecedunt; Angores Conscientiæ, Desperatio, Terror, &c.
ut, *Rom.* 2. 15. *Apoc.* 6. v. 15. 16. 17.

Sequuntur; Fletus, Stridor dentium, Cruciatu, &c. ut,
Matt. 8. 12. *cap.* 22. 13. *Luc.* 16. 24. *Apoc.* 20. 10.

*) *prob.* Hæc omnia per Mortem intelligi, indè probatur,

Quia hæc omnia, ut pœnæ peccati, proponuntur in s. literis;

ut passim videre est, *Lev.* 26. v. 14. &c. *Deut.* 28. v. 15. &c.

Ad hæc Paulus dicit, *Rom.* 6. 23. *Stipendia peccati, Mors:*

Nimirum, non temporalis modò, sed etiam æterna,

Ut patet ex oppositione, *Donum Dei est, Vita æterna, Ibid.*

mod. Quomodo verò hæc Mors per peccatum transiit in mundum?

Quemadmodum Splendor semper Solem comitatur,

& necessario Umbra efficitur, quum quid Soli objicitur:

utque necessario calor est, ubi est Ignis.

Sic infallibiliter ad Peccatum sequitur Mors: Ergo,

Sicut irrepsit Peccatum, sic & irrepsit Mors; &

Utraque simul, juxta *Gen.* 2. 17. *Quo die comederis, morieris.*

obj. Inquiat quis; Adamus non eodem die mortuus est, quo peccavit.

Resp. Imò, continuò amisit Imaginem Dei; quæ fuit Mors: Et,

Licèt temporalis & æterna Mors non statim est sequuta;

Tamen potestati illius Mortis statim fuit subjectus.

Sim. Quemadmodum facinorosus, ad mortem condemnatus,

pro jam mortuo habetur, saltèm mortis reo: Et,

Quemadmodum, qui Venenum hausit, licèt aliquamdiu

adhuc respiret, tamen mortem in singula momenta exspectat.

Ità & nobis accidit, qui Venenum peccati hausimus,

Moriendum nobis est necessario: etenim,

Mors temporalis certò certius veniet, etsi differatur;

Mortis verò æternæ antidotum habemus, Sanguinè Christi.

v) *caus.*

2) *caus.* Causæ, ob quas cum peccato Mors introit,

thes. Sunt complures, & evidentes:

1. Prima causa fuit, Veritas comminationis Dei;

Gen. 2. 17. *Quo die comederis, moriendo morieris.*

Hoc necessarium erat, ut fieret, ac compleretur: quia

Impossibile est, Deum mentitum esse, Heb. 6. 18.

2. Secunda causa fuit, Justitia Dei:

Deus non potest peccatum dimittere impunitum; nam;

Rom. 1. 32. *Ius Dei est, puniri peccantes Morte.*

Eapropter, etli Deus peccanti non fuisset minatus mortem;

Nihilominus ei moriendum fuisset: quia

Mors est Stipendium peccati, Rom. 6. 23.

Ut & Diabolus, cum Angelis suis, damnationi fuit subiectus;

etli non legamus, ei ante lapsum eam Deum minatum.

3. Tertia causa fuit, Lex & æquitas naturalis:

Id enim sciunt ex natura omnes homines, *diximus Dei esse,*

eos qui peccant dignos esse morte, Rom. 1. 32.

Iure Dei agnito, dicit ibi Paulus.

Eapropter, si vel maxime nemo hominem condemnaret,

tamen *proprie eum cogitationes accusarent, & con-*

demnarent; ut idem Apostolus ait, Rom. 2. v. 15.

4. Quarta causa fuit, Lex Dei scripta, & lata per Mosen:

Deut. 27. 26. *Maledictus omnis, qui non præstiterit verba*

Legis, faciendo ea. Confer, Gal. 3. 10.

Quam Legem scriptam Deus, ex superfluo, addidit;

ne quis ignorantiam prætere possit.

Eandem sæpissimè in verbo suo repetiit; ut,

Ezech. 20. v. 30. &c. *Quod si quis peccaverit, si quis fuerit*

effractor, effusor sanguinis, idololatra, &c. &c. si quis

uxorem proximi sui polluerit, pauperem & egenum op-

presserit, in usuram det, pignus non restituat, &c. Hic-

cine viveret? Non vivet: contra, istas abominationes fa-

cit, omnino afficietur morte; mortis ipsius causa in eo

erit.

Sic aliis multis in locis, nemini non notis.

concl. Hæ sunt Causæ, ob quas Peccatum, in mundum irrupens,

necessariò secum Mortem adduxit, invexit, inflixit;

Veritas, Justitia, & Lex Dei, naturalis & scripta.

342
C O N C, XLVIII. in Rom. V. v. 12.

1) Appl. (in Usu, duplici.) Memento hujus Mortis, ô homo, quòd
1. thes. Ea non accidit tibi temere, sed propter peccata tua: Ideoque,
spec. Si æger es, si tristis, si pauper, si infirmus, si contemptus,
si moriendum tibi sit, si caro tua putrescet:

Memento, culpâ parentum tuorum id esse,
culpâ, non originali modò, primorum parentum;
sed & tuâ culpâ, qui in lumbis eorum peccasti,
qui variis peccatis te insuper polluisti.

Si quis experiatur angores in conscientia sua;
Si quis impius tandem in Gehennam abjiciatur;
Si ei ibi, cum Divite epulone, lamentandum sit;
Si ei sit flendum & stridendum dentibus:

Incuset, non Deum, ejusque severum judicium;
non Diabolum, qui ipsum seduxit;
non Mundum, qui ipsum corrumpit;
non Primos parentes, qui antè peccârunt:

Sed Seipsum, ac proprium peccatum suum: nam,
Propter Peccatum, Mors introiit in mundum,
Et in omnes homines; illos videlicet,
qui in peccatis suis manent,
quique oblatam gratiam in Christo respuunt.

test. Probè notandum illud Jeremiæ, in Thren. 3. 39.

Cur quiritaretur homo vivens?

Quis que propter peccata sua quiritetur.

Si Cœlum sit iratum, si Infernus ferveat;
si dehiscat tartarus, absorpturus peccantem:

Ne incuses inclementiam Cœli, tyrannidem Inferni,
voraginem Mortis; sed Peccatum tuum;
Peccatum tuum, non hereditarium modò,
sed & proprium, idque multis modis cumulatum.

2. thes. At felix ille, qui Gratiam in Christo quærit,
quique eam oblatam non repudiat,
sed ambabus manibus illam amplectitur.

test. Ille enim potest insultare Morti, cum Paulo Apostolo,

1. Cor. 15. v. 55. *Ubi tua, ô Mors, victoria?*

ubi tuus, ô Inferne, aculeus? (ex Hos. 13. v. 14.) itè m,

Ibid. v. 57. *Deo autem habetor gratia, qui dat nobis
Victoriam, per Dominum nostrum Jesum Christum.*

P A R S. II.

P A R S II.

Secundam Quæstionem quod attinet,

Text. Quia dicit Paulus; *Et ita in omnes homines Mors pervasit:*

Exeg. Quæritur hæc; *Ad Quos illa Mors pervaserit?*

prop. *Ad Omnes homines*, inquit Apostolus.

decl. Consideremus verba textus hujus singula:

1. *Atque ita*, inquit: Nempe,

Quia *Peccatum est stimulus Mortis*, 1. Cor. 15. 56.

Quia *Mors est stipendium Peccati*, Rom. 6. 23.

atque ita sibi, Peccatum & Mors, mutuas operas porrigunt,
in nostram perniciem.

Quia etiam *Omnes homines peccarunt*;

ut dicetur, *in seq. parte III.* Ideò, inquam,

2. *Mors pervasit*: διήλθε. Peccatum εισήλθε, introijt;

Mors διήλθε, pervasit: hoc est, grassata est,
justoque Dei judicio derivata & immisa est.

3. *In omnes homines*: εις πάντας; *In*, vel *Ad omnes homines*:

Nam hæc nemo excluditur, cujuscunque sint status,
ætatis, sexus, conditionis, dignitatis:

Oportet mori, non solum

Adultos, sed & Infantes; Seniores, sed & Juniores;

Viros, sed & Mulieres; Magnos, sed & Parvos;

Infirmos, sed & Robustos; Pauperes, sed & Divites.

Omnes oportet mori & perire; excepto solo Christo:

qui sine peccato conceptus & natus est;

qui quidem temporalem & æternam mortem gustavit,

sed non propter seipsum,

verum propter alios, liberandos.

test. Hanc necessitatem moriendi David declarat, Psal. 49. 11. *Sapientes*

moriuntur, pariter stultus & brutus perit. Conf. Eccl. 3. 19. 20.

Eandem considerat Moses, in Psal. 90. v. 3. 4. 5. 6.

Causamque ejus inquirat, vers. 7. 8. *Consumimur irâ tuâ, ô Deus;*

& astu tuo conturbamur: Proponis iniquitates nostras tibi,

& occulta nostra lumini faciei tue.

Tandem concludit, vers. 11. *Quis agnoscit robur iræ tuæ?*

aut excandescentiæ tuæ, secundum vimorem tuum?

eddisti.

1) *dist.* Diversa tamen est ratio, Mortis temporalis, æternæ.

Temporalem mortem quod attinet,

thes. De ea nullum est dubium, eam manere omnes homines.

test. Heb. 9. 27. *Statutum est hominibus, semel mori,*
| *postea verò judicium.*

prol. Legitur quidem Enochus, assumptus à Deo, *Gen. 5. 24.*

| itè Elias, vivus raptus in cœlum, *2. Reg. 2. 11.*

| Sed hæc exempla extraordinaria sunt.

inst. Multi etiam, veniente ad judicium extremum Christo,
non morientur quidem, sed solummodò immutabuntur,

momento & jactu oculi, ad ultimam tubam, 1. Cor. 15. 51. 52.

Sed hæc subita immutatio superstitum, erit vice mortis:

ut declarat Paulus ibidem, *vers. 53. 54.*

Æternam mortem quod attinet,

thes. Illi etiam omnes homines subjecti sunt, propter peccatum;

| Non solùm impij & pertinaces, sed etiam pij ac fideles.

lim. Veruntamen, quòd Pii mortem æternam effugiunt,

| id non habent à sua dignitate;

| sed per gratiam Jesu Christi, Salvatoris sui,

| quam verâ fide amplectuntur.

test. Hinc dicit Paulus Apostolus, *Rom. 8. v. 1.*

Nulla est condemnatio iis, qui sunt in Christo Jesu.

Non dicit, *Nihil est damnabile in iis*, (ut Lutherus;)

sed dicit, *Nulla est damnatio iis:*

quia Christus Damnationem illam in se recepit,

ut docetur, *Gal. 3. 13. Christus nos redemit, à Legis ma-*
ledictione, dum pro nobis factus est Maledictio.

prol. Sed inquis; Quomodo reatus, qui est proprium formale peccati,
potest tolli à peccato, manente nihilominus peccato?

Resp. Reatus, justitiâ Dei, factus est formale peccati;

Ejusdem misericordiâ fit separabilis. Porrò,

Reatus ille quidem manet, sed non deducitur in effectum;

paulatimque tollitur, donec post vitam planè cesfet.

concl. Quapropter manet verum, quod in textu dicit Paulus,

Peccatum in mundum introiisse, &

Per peccatum Mortem pervasisse in omnes homines.

Non enim, quid per gratiam Dei fiat, docet hîc Paulus,

sed, qui per naturam peccati fieri conveniat.

§) *Appl.*

3) Appl. (in Usu gemino, qui est in thes. & conf.)

thes. Considera hîc, ô homo, miserrimum statum omnium hominum, omnium, inquam, filiorum hominis, extra Christum: nempe, Non in aliquos tantùm, sed in omnes homines Mors pervasit.

conf. Proinde, inclina te ad Salvatorem mundi, J. Christum: nam, Impossibile est homini, propriâ vi ex hac Morte emergere; Seque ab illa Morte, omnibus debita, expedire.

Christus solus est, qui Vitam nobis, suo merito, reduxit: ut ex sequentibus textum verbis porrò patebit.

test. Quapropter dicito, cum Propheta Daniele, Dan. 9. v. 8. 9.

Penès nos est Peccatum, penès nos est Mors; sed penès Deum est Remissio peccati, & Miserationes:

Idque, per D. N. J. Christum, ut ibidem, vers. 17. 18. 19.

Fac ut luceat facies tua, super sanctuarium tuum desolatum,

Propter Dominum: h. e. propter Christum, ut vers. 25.

Non propter ullam justitiam nostram, nos procidentes deprecamur te, sed propter miserationes tuas amplissimas.

Domine exaudi, Domine condona, Domine attende & effice,

Propter te, Deus mi: h. e. propter gratiam illam tuam,

quam nobis exhibes, in Filio tuo, Christo Mediatore.

add. Mortem verò temporalem quod attinet,

Ea nobis necessariò incumbit: veruntamen, non ut pœna,

Sed, ut Janua vitæ, quâ patet introitus ad vitam æternam;

ut Abolitio peccati in nobis, quâ cessabimus peccare;

ut Finis omnis miseræ: (impijs, initium æternæ.)

Aded ut possimus dicere, cum Paulo Apostolo,

Phil. 1. 21. *Christus mihi vita, Mors mihi lucrum est.*

Ibid. v. 23. *Desiderio teneor ad dimissionem, & ut cum Christo sim: Est enim id valde multò melius.*

2. Cor. 5. 8. *Gratum est nobis potius, abesse è corpore, & adesse apud Dominum.*

2. Tim. 4. v. 6. 7. 8. *Ego jam labor, & præstium utum tempus meæ dimissionis instat. Certamen illud præclarum decertavi, cursum peregi, fidem servavi. Quod reliquum est, reposita est mihi justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus, in illo die: non solum autem mihi, sed & omnibus, qui expetiverint illustrem illum ipsius adventum.*

concl. Sic necessitatem hanc Mortis nostro solatio considerabimus.

P A R S III.

Tertiam Quæstionem quod attinet,

Text. Quia dicit Apostolus; *In quo omnes peccârunt:*

vel, ut alij vertunt, *Eò quòd omnes peccârunt.*

Exeg. Quæritur igitur; *Quare ad omnes homines Mors transierit?*

thes. Respondet Paulus; *In quo omnes peccârunt: Eò quòd in eo &c.*

Sensus hic est; Quia non solum Adamus peccavit,
sed & omnes homines, in ipso, & cum ipso, peccârunt:

Ideò etiam in omnes homines Mortem transiisse.

decl. Hoc vult dicere Paulus, (*per Syllogismum, P. A. C.*)

P. Quicumque peccaverunt, in eos Mors transijt: nam,

Per peccatum Mors transiit in mundum; ut sup.

Stipendium peccati est Mors; Rom. 6. 23.

Fus Dei est, talia facientes dignos esse Morte; Rom. 1. 32.

A. Atquè omnes omnino homines peccârunt:

prop. Nemine excepto, nisi unico Christo; *ut sup.*

text. Loquitur autem sinè dubio Paulus, de Peccato primo;

Dicitque, ità fuisse hoc unius illius hominis peccatum,
ut simul fuerit omnium hominum: Quia

In ipso omnes peccârunt: Adeoque,

prob. In uno illo omnes illud peccatum commiserunt:

1. Quia fuerunt omnes in lumbis ejus; in quibus peccârunt
& ipsi: Sicut Levi, pronepos Abrahami, dicitur deci-
matus in lumbis Abrahæ, *Heb. 7. 9.*

2. Quia omnes Mors pervasit, necesse est,
Ut & omnes simul cum ipso peccârint: hoc est,
Culpâ & reatu eodem tenentur cum Adamo.

Hoc enim hîc est Apostolo, Peccare,

Parem culpam habere cum Adamo;

Et quidem propter illud ipsum peccatum,
quod Adamus in paradiso peccavit.

prol. Quòd verò nonnulli illud, *in quo,*

Vertunt paulò aliter, *Eò quòd,* (ut Beza,)

Res eòdem recidit. Sensus enim est,

Ideò Mortem transiisse in omnes homines,

Quia Omnes illi in Adamo peccaverint.

*) *pecc.*

*) *Spec.* Omnes ergo omnino homines peccârunt,
 Non solum *Adulti*; qui præterquam,
 quòd sunt in peccato concepti & nati, *Psal.* 51. 7. *Job.* 14. 4. (5.)
 insuper *iniquitatem imbibunt, tanquam aquam, Job.* 15. 16.

Sed etiam *Infantes*:

test. De quibus, textum sequente *vers.* 14. dicit Paulus,
 Regnavit Mors ab Adamo, usque ad Mosén, in eos etiam,
 qui non peccaverunt ad similitudinẽ transgressionis Adæ:
decl. Usque ad Mosén, dicit Apostolus:

Non, quasi non etiam *Infantes* moriantur postea;
 Moriuntur enĩ indè à primo lapsu, quotquot moriuntur,
 sive ante sive post Mosén vixerint, vivantque.

Sed, quia Lex primùm per Mosén est lata,
 ex qua distinctiùs potest cognosci peccatum;
 ut infra docebitur, *vers.* 20.

In eos etiam, qui non peccârunt ad similitudinem transgres-
 sionis Adami, qui scilicet actualiter peccavit.

Hoc est, in *Infantes*: qui,

Licet non peccaverint actualiter, ut Adamus; tamen

1. Culpæ Adami participes facti sunt,
 quia in lumbis ejus peccârunt: ideòque

2. Æquales cum Adamo pœnas meruerunt.

Adamus enim vitam illam beatam acceperat,
 sibi, suisque posteris, hac conditione;

Ut & sibi, & posteris suis, mortem mereretur,
 si deficeret ac laboretur.

3. Æquè corrupti facti sunt, ac Adamus.

Sicut enim Imaginem Dei sibi & posteris acceperat;

Sic etiam eandem sibi & posteris amisit, lapsus.

C. Sequitur Conclusio: Ergo Mors super omnes omnino homines transit;
 quæ necessariò, ex præmissis illis, P. & A. infertur.

*) *Appl.* (in Doct. & Usu.)

thes. Hic dicendum nobis esset, de Peccato Originali; quod est,

Reatus, & Corruptio totius generis humani,

Naturaliter à primis parentibus propagati.

transf. Sed id in proximam Concionem differemus:

Ubi etiam fusiùs D. V. declarabimus,

Quomodo in Adamo omnes peccaverint?

CONCLUSIO.

R. Atque ità etiam audivistis, Audd. de Morte in homines derivata,

1. Quid per Mortem illam intelligatur? nempe,
Mors, cùm temporalis, tùm æterna.

2. Ad Quos illa Mors pervaserit? nempe,
Ad Omnes homines, naturaliter ab Adamo ortos.

3. Quare illa Mors ad omnes transierit? nempe,
Quia in Adamo omnes peccârunt.

C. Inquiat aliquis; Quo fine hæc omnia proponuntur?

Respondeo ex illo Christi, *Matt. 9. 12.*

Ægrotus, non intelligens periculum morbi, medicum non desiderat:

Sed cognoscens periculum, tanto pronior est in medicum;

Desiderans commodam, pro morbo suo medicinam.

Ità & hominibus evenit, qui ægrotant ex peccato:

Quantisper nesciunt, quanto in periculo versentur,
securi sunt, in utramvis aurem dormientes:

Quando autem Miseria peccati eis ob oculos ponitur,
gratiam Medici cœlestis desiderant & requirunt.

Hoc est quod dicit Christus, in illo *Matt. 9. v. 12.*

Iis qui valent, non est opus Medico;

sed iis qui malè se habent. Quasi dicat,

Qui se justos censent, nec perpendunt se in media morte jacere,

ii superbi sunt, contemnuntque omnem gratiam:

Qui autem humiles sunt, peccata & miseriam suam agnoscunt,

ii proximi sunt gratiæ & misericordiæ Dei.

Hinc Moyses precatur, *Psal. 90. 12. Numerare dies nostros ità*

doce nos, ut inducamus animum sapientem. Pariter & nos;

Domine, doce nos perpendere, quomodo in primo homine

omnes peccaverimus, & defecerimus, & propterea

temporalis & æternæ mortis rei facti simus:

Ut prudentes fiamus, atque ut,

Propriis viribus ac meritis renunciantes, vitam quæramus,

Tantummodò in Gratia tua, quam nobis præstitisti,

in Filio tuo, Domino nostro Jesu Christo.

Y. Tibi soli, cum Filio tuo, ac Spiritu Sancto sit laus, honor, & gloria,
in omnia seculorum secula, Amen.

CONCIO XLIX.

C O N C I O XLIX.

De Peccato Originali, *in gen. & spec.*

T E X T U S , Rom. V. vers. 12. 13. 14.

In quo (Adamo) omnes peccarunt. Nam usque ad Legem peccatum erat in mundo: Peccatum verò esse non putatur, non existente Lege. Regnavit autem Mors ab Adamo, etiam in eos, qui non peccaverunt ad similitudinem transgressionis Adami; qui est typus illius, qui erat futurus.

E X O R D I U M.

AUdivimus, ex proximè præcedentibus verbis, *versus 12.*

Ut per Unum hominem Peccatum introierit in mundum;

Ut per peccatum Mors in eundem introierit; atque sic,

Ut Mors ità in omnes homines pervaserit; eò quòd

Omnes in primo illo homine peccarunt, reique facti sunt.

Hæc omnia eo fine adducuntur, ut cognoscamus ac perspiciamus

Immensam & ineffabilem Dei gratiam, in Christo Jesu;

In quo remedium invenimus, contra mala hæc omnia.

Priusquàm autem Paulus Gratiam Christi his omnibus opponat,

falsius aliquantò declarat, quod dixerat de Lapsu Adami,

& indè sequenti miseria universi generis humani.

In verbis, modò prælectis, ex *vers. 12. 13. 14.*

Vult probare id, quod postremò dixerat; nempe,

Omnes homines in primo illo homine peccasse,

Parisque reatùs cum eo participes factos esse:

Urgatque hoc modo valde Peccatum Originale.

P. Sequemur ordinem Apostoli, & de duobus in hac concione agemus:

I. Considerabimus, *Omnes homines in Adamo peccasse, &*

equali cum Adamo reatu teneri; Pecc. Orig. in gen.

II. Dicemus aliquid, *de Peccato Originali, in specie.*

V. Deus succurrat, ut id fiat in suâ gloriam, nostrique salutem:

Sanguis Jesu Christi purget nos ab omni peccato;

Spiritus S. sanctificet nos indies magis magisque, quoad

tandem plenè puri coram eo sistamur in futura vita: *Amen.*

P A R S I.

Primum quod attinet,

Text. Dixerat Paulus; *vers. 12.* quod & nunc inde repetivimus;

| *Omnes homines in Adamo peccasse.*

Exeg. (cum reliquis partib. textus.) Sive, quod idem est,

| *Thef.* Adami Peccatum omnibus hominibus fuisse imputatum.

| *Obj.* Objici poterat contra,

 Poffe hoc verū esse de hominibus, qui post Legem latam peccant:

 Lex enī transgressorib. maledictionem denunciat, *Deut. 27. 26.*

 At non poffe hoc verum esse de hominibus illis,

 qui ante Legem, à Mose latam, vixerunt. Nam,

text. Peccatum esse non putatur, non existente Lege:

| Quasi dicat; Objiciat mihi aliquis, quod suprà dixi,

paral. Rom. 4. v. 15. Ubi non est Lex,

 ibi nec transgressio est.

Resp. Respondet ad hoc ipsum Paulus, in textu prælecto;

| *text.* Peccatum etiam fuisse in mundo, usque ad Legem:

 hoc est, Priusquam Lex lata esset per Mosen;

 probatque id ipsum, duobus argumentis, (ut pag. seq. a)

∨ *prep.* Potuisset quidem respondere Paulus,

 Etsi non esset Lex lata per Mosen,

 Tamen aliam fuisse Legem in mundo,

 Legem scilicet Naturæ;

 Quæ homines suis superque convincere posset suorum peccatorum, & damnationis reos peragere:

 De qua Lege naturali dixerat, *Rom. 2. 14. 15.*

 Quum Gentes, quæ Legem non habent, naturâ quæ Legis sunt faciant, ipsi, Legem non habentes, sibi ipsis sunt Lex:

 Ut qui ostendant opus Legis scriptum in cordibus suis, unâ testimonium reddente ipsorum conscientia; cogitationibus

 sese mutuo accusantibus, aut etiam defendentibus. Confer, *Rom. 1. 32.*

Potuisset, inquam, hoc regerere Apostolus Paulus;

 Sed simpliciter persistit in eo, quod dixerat,

 Etiam homines peccasse, ante Legem latam.

*) prob.

a) *prob.* Idque probat, in verbis prælectis, duobus Argumentis:

Primum Argumentum bimembre est.

1. Si etiam homines mortui sunt, ante Legem latam;
sequitur eos etiam peccasse ante Legem latam.

Anteà concluderat; Quia peccassent omnes;

ideò etiam omnes morti fuisse subjectos:

Nunc è contrario concludit; Quia moriuntur omnes,
ideò etiam omnes peccasse: quia *mors pœna peccati.*

Assumit jam, ac dicit;

thef. Atqui mortui sunt omnes homines,

etiam priusquam Lex lata esset per Mosen:

text. His verbis; *Regnavit Mors ab Adamo, usque ad Mosen:*

in eos sc. homines, qui vixerunt ante latam Legem.

decl. Respicit Paulus veteres, ante Mosen;

qui etsi ~~peccassent~~ essent, tamen mortui sunt:

quorum catalogus exstat, *Gen. 5. & 11.*

Respicit etiam horribiles pœnas, ante Legem irrogatas,

Primo mundo, immisso diluvio, *Gen. 6. & 7.*

Sodomæ & Gomorrhæ, *Gen. 19.*

concl. Unde constat, & ante Legem peccasse homines.

2. Si etiam Infantes, ante Legem latam, mortui sunt;

sequitur & illos pariter peccasse, & reos fuisse.

text. Atqui *Mors regnavit* ab Adamo, usque ad Mosen, *etiam*

in eos, qui non peccârunt ad similitudinem transgressio-
nis Adami. Quid hoc est?

decl. Intelligit Infantes: qui, etsi non peccârunt

actualiter, *ad similitudinem transgressionis Adæ;*

tamen peccârunt originaliter, in lumbis Adæ,

in & cum eo peccantes, & rei facti.

concl. Hinc igitur concluditur; Ergo & Infantes peccârunt.

Si peccârunt, peccârunt vel ipsi, vel in alio:

Non autem peccârunt ipsi, actualiter:

quid enim peccaret Infans, nuper natus?

Ergo peccârunt Infantes in alio, originaliter:

in alio, scilicet in primo parente, Adamo & Eva,

in quorum lumbis erant; adeoque,

in ipsis, & cum ipsis peccârunt:

ut *conc. preced.* dictum & probatum est.

a) *Secundum*

*) *Secundum* Argumentum proponitur illis verbis, ubi dicit;
text. Adami, qui est Typus illius, qui futurus erat:
exeg. Hoc est, Christi; qui inde vocatur Secundus Adamus, 1. Cor. 15. 45.
 item, *Secundus homo, Ibid. v. 47.*

Prop. Si igitur Christus salvos fecit,
 non solum eos, qui sub Lege Mosis vixerunt;
 sed etiam eos, qui ante Legem latam in ipsum crediderunt:
 Sequitur, eos qui ante Legem latam vixerunt,
 æquè peccasse ac illos, qui vixerunt post Legem latam.
 Ratio consequentiæ est, quia Christus neminem salvat,
 præterquam Peccatorem; teste Paulo, 1. Tim. 1. 15.
Certus est hic sermo, & omni receptione dignus, Christum Je-
sum venisse in mundum, ut Peccatores servaret.

Aff. Atqui Gratia Christi tam angustiis terminis non est clausa;
 ut in seqq. docebit Paulus: Sed extenditur ea,
 Non solum super eos, qui sub Lege, & post Legem latam;
 sed etiam super eos, qui ante Legem latam vixerunt.

Putà, super
 Adamum & Evam, qui se consolati sunt promissione illâ,
 Gen. 3. 15. Semen mulieris conteret caput Serpentis:
 Abelem, qui per fidem obtulit Deo gratum sacrificium:
 Enochum, qui assumptus est à Deo vivus, Gen. 5. 25. Heb. 11. 5.
 cujus etiam prophetia exstat, de adventu Christi, *Juda v. 14.*
 Noachum, superstitem diluvio, ob pietatem suam:
 Abrahamum, Isaacum, & Jacobum; cum quibus Christus ait,
 discubituros fideles in regno cœlorum, *Matt. 8. 11.*
 De Abrahamo etiam testatur Christus, quod *gestiverit*
videre diem Christi, & viderit, & gavisus sit, Joh. 8. 58.
 De quibus plerisque testatur Apostolus, *Heb. 11. cap.*
 quòd sint servati fide in Christum.

His accense,
 Lotum, ab Apostolo laudatum, 2. Pet. 2. 7. 8.
 Jobum, cum amicis suis, *Job. 1. & 2. & c.*
 Melchisedecum; de quo *Gen. 14. 18. Psal. 110. Heb. 7.*
 Aliosque complures haud dubiè, qui ante Legem latam,
 & ante Mosen vixerunt, credentes in Christum venturum.

Concl. Ergo & illi, qui fuerunt ante Legem per Mosen latam,
 peccârunt æquè ac alij, opusque habuerunt Gratiâ.

v) *Inst.*

2) Inst. Jam dicat aliquis; *Cur ergo Lex lata est?*

quam objectionem etiam movebit Paulus, in fine hujus Cap.

Resp. *Ubi non est Lex, ibi nec transgressio est, Rom. 4. 15.*

Hoc est; Ibi peccatum sic non potest cognosci, quàm ubi est Lex.

Nam alibi docet Paulus,

Rom. 3. 20. *Ex Lege est cognitio peccati.*

Rom. 7. 7. *Concupiscentiam non nossem esse peccatum, nisi Lex dixisset, Non concupisces.*

Proinde, Lex per Mosen lata, superaddita est,

Ut Peccatum tantò fieret manifestius:

Prout Paulus in fine hujus Cap. V. ulterius docebit, v. 20.

Lex verò præterea introijt, ut augetur peccatum:

h. e. ut tantò manifestius redderetur, fœdusque appareret.

3) Appl. (in Doct. & Usu, mixtim, duplici.)

1. Disce hinc, ô homo, perpendere dominium & regnum Mortis.

thes. Ante Peccatum, Deus solus regnavit, ad Vitam:

Peccato verò in mundum ingresso, Mors regnum invasit,

ad Condemnationem; idque justo Dei judicio, Rom. 1. 32.

opp. Id verò regnum Mortis, postea à Christo, iterum expugnatum est,
& vindicatum Deo, qui Vitam in ipso nobis restituit.

test. Col. 1. 13. 14. *Qui eripuit nos è potestate tenebrarum, atque ex re-*
gno Mortis, & transtulit nos in regnum Filij sui dilecti, & c.

conf. Unde vides, Eos, qui extra Christum ejusque regnum sunt,
esse in regno & dominio Mortis, adeoque Diaboli, Heb. 2. 14.

Quapropter Christo te subde, per veram fidem, ejusque regno;
& identidem precare, *Adveniat regnum tuum.*

2. Disce hinc quoque, Infantes mori,

thes. Non ex necessitate naturæ, ut Hæretici volunt;

Sed propter Reatum primorū parentū, quem participarunt.

decl. Ante lapsum immortalis erat homo, animā & corpore;

Non naturā quidem, sed Dei gratiā:

Sicuti Angeli, & post lapsum Anima quoque immortalis est,

non naturā suā, sicuti Deus immortalis est;

sed gratiā Dei: qui sic ordinavit,

ut Spiritus sint immortales.

[Gen. 3. 19]

Post lapsum verò Deus dixit; *Terra es, & in terram reverteris,*

concl. Vides ergo, Omnes Infantes esse coinquinatos Peccato Orig.
de quo Peccato jam quoque speciatim dicemus, seq. part. II.

P A R S II.

Peccatum Originale in specie, quod attinet, distinctim consideranda tria :
 I. *An sit Peccatum Originale ?*

Ant. Fuere olim Pelagiani, suntque hodie Anabaptistæ, qui negant :
 Dicentes, Infantes non esse naturâ peccatrices ;
 Sed discere peccare, à parentibus, aliorum exemplis pravis.

Thef. Sed mirum, illos hoc ausos fuisse negare, & adhuc negare :

I. Quum Paulus, hoc Cap. V. tam expressè de hoc Peccato scribat.

1. Dicit ; *Peccatum per unum hominem venisse in mundum* :
 De Peccato Primo, indeq; consequenti Originali, hoc dici,
 Suprà satis superque diximus, & probavimus.

2. Dicit ; *In Adamo omnes homines peccasse* :

Hoc est, Culpam & Reatum Adami participasse ;
 quia in Adami lumbis omnes ejus posterii erant.

Sicut Levi dicitur decimatus in lumbis Abrahamæ, *Heb. 7. 9.*
 quum esset pronepos Abrahamæ, & necdum natus.

Sicut & Infanti in utero matris maculæ imprimuntur,
 secundum appetitum & passionem matris,
 & prout sibi aliquid prægnans imaginatur.

Sic etiam Peccatum Adami omnes ejus posteros invalit,
 quia omnes in Adamo peccârunt : estque

Hæc sententia Pauli, dicentis, *Omnes in Adamo peccasse.*

3. Dicit de Infantibus ; *Illos peccasse, non ad similitudinem trans-*
gressionis Adami : h. e. non actualiter.

Sensus est ; Licet non peccaverint actualiter, ut Adam ;
 tamen eos in lumbis ejus peccasse originaliter :
 atque sic peccati & pænæ ejusdem factos participes.

4. Probat ex morte Infantium ; *Eos etiam peccato obnoxios.*

Singulari artificio hîc utitur Apostolus :

Primum probat Mortem, ex peccato ;

Deinde probat Peccatum, ex morte eorundem.

5. Dicit vers. 15. *Unius lapsu multos*, i. e. omnes, *mortuos.*

Ergo, non Imitatione solùm peccârunt ;

sed etiam Participatione & Imputatione mortui sunt.

Alioquin non *Unius* lapsu, seu offensâ ; sed singuli

Suis peccatis & offensis, mortui esse dicerentur.

2. Non

2. Non tantum id ex Paulo probari potest, Esse peccatum Originale:
Deus ipse etiam idipsum adstruit, dicens;

Gen. 6. 5. *Omne figmentum, ac cogitationes cordis hominis,*
tantummodo malum esse, Omni tempore: Item,

Gen. 8. 21. *Figmentum cordis hominis esse malum,*
inde à Pueritia ipsius.

Quid hoc? A pueritia & juventute hominis, omni tempore:

Nonne, quia omnes in peccato concipiuntur & nascuntur?

Hoc Jobus considerans, ait,

Job. 14. v. 4. 5. *Quis dabit mundum, ex immundo?*

Ne unus quidem hoc præstare posset. Sic ibidem,

Job. 15. v. 14. *Quid est mortalis, ut mundus sit?*

& ut justus sit, natus muliere?

David verò multò manifestiùs id confitetur,

Psal. 51. v. 7. *En, in iniquitate natus sum,*

& in peccato concepit me mater mea.

Nonne ibi fatetur, se in peccato conceptum & natum esse?

Atque hoc ipsum est, quod Apostolus Paulus alibi dicit,

Eph. 2. v. 3. *Naturâ nos esse filios iræ, ut & reliquos.*

Hoc est, Propter vitiositatem naturæ, quæ unicuique adnascitur,
justissimo Dei judicio nos esse subjectos omnes.

3. Esse Peccatum Originale, probatur etiam, ex Sacramento
Circumcisionis, in Veteri Testamento.

Cur circumcidebantur Infantes V. T. octavo die,
si non habebant peccatum?

Annon instituerat Deus Circumcisionem,

ut esset *Signum & Sigillum justitiæ imputatæ?* Rom. 4. 11.

ut circumcisis significaretur Amputatio peccati, h. e.

Circumcisio cordis? Deut. 10. v. 6.

Cur putantur ac circumciduntur Vites?

An non ut purgentur, quò fructum congruum ferant?

Sic Infantes quoque circumcidebantur,

Ut illis ostenderetur, esse in ipsis peccatum Originale,
quod fructum Salutis in illis impediret:

Unde & Præputium fuit circumcisum, & rescisum,
ut genitale malum in ipsis notaretur.

Ut illis confirmaretur, fore ut & cor circumcideretur,
à pravis & connatis affectibus, pietatis impedimentis.

6) *Baptismi*, in Novo Testamento.

Sic etiam Infantes in N. T. baptizantur, æquè ac Adulti:

Sunt enim æquè peccato obnoxii, atque illi;

At quo Peccato? Sanè, non Actuali, sed Originali.

Id concedo Anabaptistis, Si non habeant peccatum Infantes, nec debent baptizari iidem.

Atqui, Peccato laborant, Originali scilicet;

Ergo etiam baptizabuntur, in signum & sigillum,

Peccatum illud Primum & Originale, ipsis non imputari,

propter Sanguinem Christi: qui nos purgat ab Omni

peccato, Originali pariter & Actuali, 1. Joh. 1. 7.

4) 4. Esse Peccatum Originale, constat etiam ex eo, quòd

thes. Christus Conceptus est ex Spiritu Sancto, &

Natus ex Virgine, Maria.

fin. Cur non communi modo conceptus & natus est Christus?

Ideò, ne Peccati originalis labe contaminaretur.

rat. Omnes enim, qui naturaliter à parentibus suis generantur,

ex conjunctione maris & foeminae videlicet,

illi in peccato concipiuntur & nascuntur.

Christus verò immunis esse debuit, ab omni peccato,

Heb. 7. 26. 27. *Talis nos decebat Pontifex, (ἀειρετός) sanctus, ab omni malo alienus, sine labe, separatus à peccatoribus, & sublimior Cælis factus: Cui non sit quotidie necesse, quemadmodum illis Pontificibus, (ordinariis scilicet illis V. T.) prius pro propriis peccatis hostias offerre, deinde pro peccatis populi.*

Heb. 4. 15. *Nobis per omnia similis, excepto peccato.*

test. Adeoque Christus,

Conceptus est, virtute Spiritûs S. sine operatione viri,

Luc. 1. 35. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus*

Altissimi inumbrabit te: propterea, id etiam, quod nascetur ex te, Sanctum, vocabitur Filius Dei.

Natus est, ex Maria, Virgine, sine conjunctione viri,

Esa. 7. 14. *Ecce, Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus, Immanuel; h. e. Nobiscum Deus: prout*

hoc citatur, & explicatur, Matt. 1. 23. Sic,

Matt. 1. v. 18. Maria, mater ejus, desponsata Josepho, priusquam convenissent, comperta est gravida à Spiritûs S.

9) *Concl.*

- 3) *Concl.* Ex his omnibus sequitur, & necessario concluditur,
thes. Peccatum Originale omnino esse, nec Infantes illo carere;
 | sed omnes homines in peccato concipi & nasci.
obj. Atqui dicitur à Paulo, 1. Cor. 7. 14. *Liberi vestri sancti sunt.*
Alioqui certe liberi vestri impuri essent, inquit,
Nunc autem sancti sunt, ex utroque, vel altero fidei nati.
Resp. Sancti sunt fidelium liberi,
 Non Naturâ; (quæ est corrupta, ut supra vidimus.)
 Sed Gratiâ federis; ex promissione illa federis,
 Gen 17. 7. *Ero Deus tuus, & seminis tui post te.*
 Confer, Rom. 11. 16. *Si radix sancta est, etiam rami.*
inst. Atqui Adamus fuit tantum Typus, & exemplar.
Resp. Typus, non peccati; (cujus fuit Radix & Caput:)
 Sed Typus Christi, futuri, aut post ipsum venturi.
 Sicut Christus, non tantum exemplar fuit justitiæ;
 sed etiam justitiæ author & reparator:
 Sic Adamus, non tantum fuit exemplar peccati;
 sed etiâ peccati, in mundum ingressi, author, caput, & radix.
repl. Infantium est regnum cœlorum, *Matt.* 19. v. 14.
Resp. Non ex natura, sed ex gratia:
 Quam gratiam illi novis peccatis actualibus vix dissipant.

II. Quid sit Peccatum Originale?

Def. Peccatum Originale est, Reatus & Corruptio totius generis hu-
 | mani, ex lapsu primorum parentum, per naturalē generationē.

Decl. Quemadmodum enī, in Primo peccato Adami, hæc tria occurrunt,

1. Transgressio ipsa, 2. Reatus, 3. Corruptio, indè sequens:

Sic etiam, in Peccato Originali, hæc tria consideranda sunt,

1. Defectio omnium posterorum, in, & cum Adamo;
2. Æqualis Reatus participatio, & imputatio;
3. Corruptio, in qua omnes nascuntur.

Ad Reatum pertinet, communis Culpa, & communis Pœna:

Ideoque 1. & 2. sub Reatu continentur; Corruptio sequitur.

In summa; Per Peccatum Originale intelligitur,

1. *Reatus* totius generis humani: hoc est,
 non tantum Defectio hereditaria omnium hominum;
 sed etiam Condemnatio hereditaria, indè sequuta.
2. *Corruptio* naturæ hereditaria: quæ est,
 præcipua pars Peccati Originalis.

1) Part. Partes igitur Peccati Originalis sunt duæ :

1. *Reatus* : qui duplex,

Culpæ ; quia omnes sunt rei peccati illius Primi ,
eò quòd omnes in Adamo peccârunt.

Pœnæ ; quia omnes sunt rei Mortis , propter illud peccatum,
eò quòd in Adamo omnes sunt mortui.

2. *Corruptio* : cujus partes etiam duæ,

Privatio boni , Rom. 7. 18. *Non habitat in me bonum.*

Inclinatio ad malum , Rom. 7. 21. *Malum mihi adjacet.*

Utraque est, tum Intellectûs, tum Voluntatis.

Intellectûs, partim

Privatio agnitionis Dei, ejus voluntatis & operum,

1. Cor. 2. 14. *Animalis homo non est capax eorum, & c.*

2. Cor. 3. 5. *Non sumus idonei, ad cogitandum & c.*

Pfal. 14. 2. Rom. 3. 11. *Non est, qui intelligat, & c.*

Inclinatio ad errores,

Eph. 4. 17. 18. *Gentes ambulat in vanitate mentis, tenebris obscuratam mentem habentes, & alienati à vita Dei, propter ignorantiam quæ est in ipsis, per obdurationem cordis ipsorum.*

Eph. 5. 18. *Eratis olim tenebra, & c.*

Voluntatis, partim

Privatio justitiæ originalis, sive,

Aversio ab iis, quæ Lex præcipit,

Rom. 8. 7. *Quod sapit caro, Legi Dei non subicitur.*

Rom. 3. 10. *Non est justus, ne unus quidem.*

v. 12. *Omnes deflexerunt, inutiles facti sunt, & c.*

Phil. 2. 13. *Deus efficit Velle, & c. ergo non est à nobis.*

Inclinatio ad ea, quæ Lex vetat, (aliàs, *Concupiscentia*, p. seq.)

Gen. 6. 5. c. 8. 21. *Figmentum cordis humani prævum.*

Rom. 8. 7. *Inimicitia est adversus Deum.*

2) *Dist.* Est autem Corruptio illa naturalis, diverso respectu,

Pœna peccati ; respectu peccati Primi :

quia enim Adamus est lapsus,

ideò & sibi & posteris Imaginem Dei deperdidit.

Peccatum ; in se spectatum : quia est,

1. Defectio omnium posteriorum Adæ, in lumbis ejus ;

2. Carentia sapientiæ & justitiæ, debitæ inesse.

2) *Nam*

1) *Nom.* Hoc Peccatum Orig. diversa in sacris literis sortitur Nomina:

Paulus vocat illud, Rom. 7. cap.

Peccatum inhabitans, vers. 20.

Malum sibi adherens, vers. 21.

Legem in membris, rebellantem legi mentis, vers. 23.

Corpus mortis, vers. 24. hoc est,

Substantiam, quæ mortem operatur & promeretur.

Jacobus vocat illud, *Concupiscentiam*, Jac. 1. v. 14. 15.

Non actualem illam, de qua Paulus, Rom. 7. v. 8.

Peccatum (originale sc.) occasione per illud præceptum sumtâ, effecit in me totam sive omnem concupiscentiam.

Sed annatam illam, quæ est fons actualium peccatorum:

Vt sonant verba Jacobi; *Unusquisq; tentatur, dum à propria Concupiscentia abstrahitur & inescatur. Deinde Concupiscentia, posteaquàm concepit, parit peccatum, &c.*

Confer, Gal. 5. 17. *Caro concupiscit adversus Spiritum, &c.*

Quomodo propagetur Peccatum Originale?

Obj. Occasionem huic quæstioni dederunt Pelagiani,

negantes Peccatum Originale, atque sic argumentantes;

Si Peccatum originis transit, ex parentibus, in sobolem, transit, vel per Animam, vel per Corpus.

Atquæ, non transit illud

Per Animam: quia Anima non generatur à parentibus;

sed à Deo iufunditur, (eaque pura,) teste

Scripturâ, Eccl. 12. 7. (9) *Spiritus redit ad Deum, qui dederat.*

Immortalitate ejus, Matt. 10. v. 28.

Gentili homine, Aristotele, *ἄνευ δὲ ἰσχυροῦς*

Per Corpus: quia Corpus per se est brutum.

Ergo, planè non propagatur; sed est ens fictum.

Resp. Non est una omnium aut eadem responsio, ad hanc objectionem.

1. Quidam, ut huic objectioni satisfaciant, dicunt,

thes. Peccatum Originale propagari per Corpus:

test. Idque, juxta illud dictum Christi, Joh. 3. v. 6.

Quod genitum est ex carne, caro est.

opp. Quia verò Anima est præcipua sedes Peccati, dicunt;

Animam pati à Corpore, at non propriè, sed per accid.

Quatenus Corpus fit organum animæ ineptum,

per quod Anima minus rectè agat: *de quo inf.*

2. Quidam

2. Quidam, ut hunc nodum dissolvant, dicunt,

thes. Animam etiam propagari à parentibus: &

Ne videatur immaterialis esse, ac manere, dicunt,
Animam de Anima in generatione propagari,
sicut Lumen de Lumine accenditur, manente
integro primo Lumine, alteroque in se etiam integro.

opp. Sed quomodo possibile est, ut Anima sit generabilis?

fitque ex materia, quæ in seipsa est immaterialis?

Si id verum esset, sequeretur, Animam esse mortalem:

Quicquid enim generatur, id etiam corrumpitur.

lim. Hoc quidem verum est, Totum hominem generari à parentibus.

Alioqui deterior esset conditio hominis, conditione pecudum.

Sed si de sola Anima sit sermo, verum est,

quod dicit Scriptura, *Deum indere spiritum homini:*

unde etiam Deus, *Pater spirituum* vocatur,

Heb. 12. 9. Num. 16. 22. cap. 27. 16.

3. *Jud.* Sed non opus est his velitationibus: Nam,

hyp. Scimus ex s. literis, Peccatum originale propagari à parentibus.

Etiamsi modum propagationis nesciremus, tamen id verum esset.

A modo rei, ad rem ipsam, non valet consequentia.

Non sequitur, Peccatum orig. non propagatur hoc vel illo modo,

Ergo planè non propagatur.

Et quanta sunt, quæ nescimus? Quanta sunt, quæ experimur
re ipsa vera esse, quum causæ eorum nos lateant?

thes. Hoc autem certum est, Peccatum originale propagari,

Non per solum Corpus, nec per solam Animam;

Sed per totum hominem, h. e. Animam & Corpus simul.

Sic enim intelligendum est illud Christi, Joh. 3. 6.

Quicquid natum est ex carne, caro est: hoc est,

Quicquid natum est ex naturali homine,

id ipsum naturâ suâ corruptum est.

prol. Anima quidem à Deo infunditur;

Sed justa sunt Dei judicia.

Dum infundit, eandem privat justitiâ suâ,

quia est Anima hujus Compositi; hujus hominis,

qui in Adamo peccavit, justitiâque originali se mulctavit.

Ità ut Anima sit pura, origine divinâ;

impura verò, conjuncta cum corpore.

§)inst.

ξ) *inst.* Et licet Anima sit spiritus, adeoque incorporea,
thes. Tamen testatur experientia, Animam etiam à corpore pati.
prob. Corpus quum est ægrum, Anima tristatur;

ut docet exemplum Christi, patientis, Matt. 26. 38.

Anima mea tristis est, usque ad mortem.

Sic præcordijs dilatatis, Anima fit læta;

lisdem compressis, Anima fit tristis:

Adeoque sequitur fere temperamentum sui corporis:

apod. Pariter etiam Anima potest contagium pati, à Corpore:

Non quidem propriè;

sed impropriè, per modum instrumenti incommodi.

Quemadmodum transpicienti, per vitrum rubrum,

omnia ei apparent rubra; viride, viridia; &c.

Sic Anima agit, non pro modo suo, sed corporis sui:

quanquam & imputatione iustà Dei impura sit; ut sup.

quod & Animæ impiorum, à morte, docent.

•) *Appl.* (in Usu.) Verum enimverò,

thes. Multò meliùs est, nos hinc ignorantiam nostram fateri,

& credere simpliciter, quod dicit S. Scriptura,

Eph. 2. v. 3. *Naturâ sumus filij iræ.*

Psal. 51. 7. *En in iniquitate natus sum,*

& in peccato concepit me mater mea.

sim. Si quis in foveam incidisset, ridiculum esset,

Eum diu disputare, quomodo inciderit in eam:

Satiùs est, eum dispicere, quomodo indè liberetur.

Sic nos, non tam disputabimus,

Quomodo in Peccatum originale inciderimus;

Quàm solliciti erimus, ut ab eo liberemur.

concl. In summa,

Quum audimus disputationes Adversariorum,

concludentium, Non esse Peccatum Originale;

potiùs eos miserabimur, quàm refutabimus.

Nos verò certi, ex S. Scriptura, de Corruptione naturali,

Ingemiscemus quidem ob miseriam nostram, dicentes,

(cum Paulo, Rom. 7. 23. *Miser ego homo, quis me &c.*

Sed ità, ut etiam adspiremus ad Liberationem nostram,

factam, per Jesum Christum, Dominum nostrum:

ut in reliquis versibus hujus Cap. Paulus docebit.

B b b b

C O N C L -

C O N C L U S I O.

R. Audivistis hac vice, Audd. ex verbis prælectis,

1. Omnes homines in Adamo peccasse, & æquali Reatu Mortis cum eodem teneri. Adeoque,
2. Esse Peccatum Originale; Quid illud sit? & Quomodo à parentibus in liberos propagetur?

C. Perpendite quæsiò, Audd. quàm miseri homines simus:

Non est tam exiguum peccatum, quòd non mereatur Mortem; Interim sumus naturâ filij iræ, & æternæ damnationis.

Cur ergo nos ipsos justos ac puros censeremus?

Rectè David coram Deo se humiliat, ac dicit,

Psal. 130. 3. *Si peccata observaveris, Domine, quis consistat?*

Psal. 143. 2. *Ne congregiaris iudicio cum servo tuo, ò Deus; nam non esset justus coram te ullus vivens.*

Apostolus ex Mose dicit, Heb. 12. 29. *Deus est Ignis consumens.*

Si Deus est Ignis consumens, quid fiet de nobis miseris? ubi manebimus cum stipulis peccatorum nostrorum?

Si Ignis majestatis divinæ splendet,

Peccata nostra manifesta fient, atque sic sanè perspicietur longè aliud, quàm quod nobis imaginamur:

Psal. 90. 8. *Proponis iniquitates nostras tibi,*

& occulta nostra lumini faciei tuæ.

Nec tantùm manifesta fient Peccata nostra, ad Ignem Dei;

Sed etiam necesariò adurentur: nam,

Non fert Majestas Dei peccata,

nec ea patitur impunita abire.

Ah! vero verius est, quod dicit Jobus patiens, Job. 9. v. 2. 3.

Verum est, novi ità esse: nam, Qui justus esset mortalis, comparatus cum Deo?

Si volet litigare cum eo, non poterit respondere ei, ad unum ex mille.

V. Ipse sanctus, & justus Deus, purget nos ab omni peccato nostro, per Sanguinem J. Christi, Filij sui; detque nobis Spiritum Sanctum, ut emendemus vitium naturale, caveamusque imposterùm peccare.

Illi unico, æterno, ac vero Deo, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, sit laus, honor, & gloria, in secula seculorum, Amen.

CONCIO L.

C O N C I O L.

De Comparatione Adami

Primi & Secundi.

TEXTUS, Rom. V. vers. 14--19.

Qui (Adamus) est typus illius, qui erat futurus, (Christi sc.) At non ut offensa, ita etiam est quod Deus gratificatur: Nam, si illius unius offensa multi mortui sunt; multo magis gratia Dei, & donatio per gratiam, qua est unius illius hominis, Jesu Christi, in multos exundavit. Neque ut illud, quod introiit per unum qui peccavit, ita est beneficium: nam reatus quidem est, ex una offensa, ad condemnationem; quod autem gratificatur Deus, est ex multis offensis, ad justificationem. Etenim, si per unam offensam mors regnavit, per unum; multo magis ii, qui exundantiam illam gratiae & doni justitiae accipiunt, in vita regnabunt, per unum Jesum Christum. Nempe igitur, sicut per unam offensam reatus venit in omnes homines, ad condemnationem; ita per unam justificationem beneficium redundavit, in omnes homines, ad justificationem vitae. Sicut enim, per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obedientiam, justii constituentur multi.

E X O R D I U M.

Diximus antehac, Apostolum in parte II. Capitis V. ad Romanos, Instituire comparationem, inter Adamum primum & secundum; Inter primum hominem Adamum, & Salvatorem J. Christum; inter Lapsum primi hominis, & Redemptionem Christi; inter Peccatum primi hominis, quod introiit in totum mundum, & Gratiam Christi, super omnes credentes extensam; inter Mortem, ex inobedientia primi hominis ortam, & Vitam aeternam, ex obedientia Christi fluentem.

Bbbb2

Hactenus

Haecenus autem explicavimus, ab una parte, Adami scil.

De ejus Peccato,

1. Quis fuerit ille Unus homo?
2. Quodnam ejus fuerit Peccatum?
3. Quomodo id Transierit in mundum?

De Morte indè introducta,

1. Quid sit Mors, transiens per peccatum?
2. In Quos illa transierit? In omnes homines:
3. Quare transierit? Quia scil. omnes peccârunt, nemine excepto, nisi Christo homine:
Ubi simul dictum est, de Peccato Originali,
An sit? Quid sit? Quomodo propagetur?

P. Jam veniemus ad Comparationem ipsam, inter Adamum & Christum.
Et quidem ex textu prælecto considerabimus,

- I. *Paritatem, quæ est inter utrumque:*
- II. *Imparitatem etiam, quæ est inter eos.*

V. Deus adsit nobis gratiâ Spiritûs sui Sancti: detque, ut
Quod in primo Adamo amisimus,
Id in secundo Adamo recipiamus; atque ità
veniamus tandem ad vitam æternam: *Amen.*

P A R S I.

Paritatem magnam esse, inter Adamum & Christum,

Prop. Significat Paulus illis verbis,

text. Ubi dicit; *Adamum fuisse typum illius, qui futurus erat:*
hoc est, Jesu Christi.

paral. Idem insinuat, in epistola alia, 1. Cor. 15. v. 45. & 47.

ubi comparationem etiam instituit, inter

Priorem hominem Adamum, & Posteriolem Adamum;

Primum hominem, & Secundum hominem:

Priorem factum animal vivens, Posteriolem spiritum vivificum;

Primum è terra pulvereum, Secundum è cælo Dominum.

opp. Est ergo Paritas inter eos; ità tamen, ut & sit Imparitas:

Id quod insinuat Paulus, in textu, vers. 18.

At non, ut παρὶστώμα, ità etiam est χάρισμα, &c.

Prop. Dicemus igitur, ut suprâ proposuimus,

in hac parte I. *de Paritate*; in seq. parte II. *de Imparitate* illa.

Tract.

Tract. Quatuor partes *Paritatis* in textu proponuntur :

I. *Prima Paritas* est, in Humanitate utriusque : quòd

Thes. Sicut Adamus fuit homo ; sic etiam Christus fuit homo.

Text. De Adamo dixerat suprà, vers. 12. *Sicut per unū hominem peccatū :*
hīc in textu dicit , vers. 15. *Si illius unius hominis offensā.*

De Christo dicit, eodem vers. 15. *Gratia Dei, & donatio per gratiam,*
quæ est unius illius hominis , Jesu Christi.

Exeg. Nominat Christum, *Hominem,*

thes. Non merum, sed verum.

decl. Non merum hominem : quia nominat eum ,

suprà, v. 1. & 11. infrà, v. 21. *Dominum nostrum ;*

infrà, cap. 9. v. 5. *Deum benedictum in secula.*

Sed *verum* hominem : quia oportuit eum hominem esse ,

Propter iustitiam Dei ; quæ , quod homo peccavit , noluit
in alia natura punire, quàm humana.

Propter necessitatem moriendi, ut posset mori ; juxta

Heb. 2. 14. *Quoniam pueri participes erant carnis & sanguinis,*
ipse quoque consimiliter particeps factus est eorundem,
ut per mortem aboleret eū, penes quem erat potestas mortis.

Propter condolentiam, quæ requirebatur in Salvatore ; juxta

Heb. 2. 17. *Unde debuit per omnia fratribus similis fieri, ut*
misericors esset & fidelis Pontifex, in iis, quæ apud Deum
agenda forent, ad expiandum peccata populi.

Heb. 4. 15. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit*
affici sensu infirmitatum nostrarum ; sed tentatum in o-
mnibus similiter, absque tamen peccato.

test. Hinc humanam naturam Christi etiam urget Paulus, 1. Tim. 2. 5.

Unus est Deus : Unus etiam Mediator Dei & hominum,

HOMO Christus *Jesus* : (h. e. qui factus est homo, Bez.)

Non, quòd tantum sit *Homo* ; aut *Mediator* tantum, quàm *homo* :

Sed, quia *Filius Dei* quum esset, adeoque *Deus* ipse,

Assumit humanam naturam, & factus est homo quoque.

Prout egregiè declarat Paulus, Phil. 2. v. 6. 7.

Qui, quum esset in forma Dei, non duxit esse rapinam, (ut solent
Spolium Opimum circumferre,) parem esse cum Deo : Sed ipse
se inaniuit, formā servi ACCEPTA, &c.

Sic Heb. 2. 16. *Non enim utique Angelos assumpsit,*
sed semen Abrahami ASSUMSIT.

Bbbb 3

a) Usus.

a) *Usus*. Nominat autem Paulus Christum, Hominem,
thes. In nostri consolationem.

decl. Si non fuisset Homo, non potuisset Redemptor noster esse:

| Quia autem Homo factus est, certi sumus, Eum

test. Fratrem nostrum esse, & Misericordem Pontificem; ut dicitur,
 Heb. 2. v. 11. & 14. & 17. ut supra.

| Heb. 4. 15. Per omnia nobis factum esse similem,
 participem infirmitatum, excepto tamen peccato.

concl. Ità ut dicere possimus, Quid est quod nobis deest?

Christus est Immanuel, h. e. Deus nobiscum, Matt. 1. 23.

Non solum naturà Deus, sed & Nobiscum ejusdem naturæ,
 qui nostri miseretur ut frater, ut consors naturæ nostræ.

II. *Secunda Paritas* est, in Unitate: quòd

Thes. Sicut Adamus fuit Unus; sic etiam Christus est Unus.

Text. Prout Paulus in textu valde illud Unum urget:

1. Sicut per Unum hominem peccatum introiit, & per peccatum mors;
 & ità in omnes homines mors pervasit, in quo peccarunt omnes:
 ut dixerat, vers. 12. ad quod nunc ponitur apodosis, vers. 15.

Sic per Unum hominem, scilicet Christum, gratia & donum per gratiam.

2. Sicut Unius lapsu, seu offensà, multi mortui sunt;

Sic Gratia Dei, & Donatio per gratiam, quæ est Unius illius
 hominis, Jesu Christi, exundavit in multos: ut ibid. v. 15.

3. Sicut Reatus est per Unum qui peccavit, ad condemnationem;

Sic Beneficium, quod gratificatur Deus, est ex multis offensis,
 ad justificationem: vers. 16. per Unum quoque, ut sequitur.

4. Sicut per unam offensam, mors regnavit, per Unum;

Sic recipientes exundantiam gratia, & doni justitiæ,
 in vita regnabunt, per Unum Jesum Christum: vers. 17.

5. Sicut per Unam offensam, reatus venit in omnes homines,
 ad condemnationem;

Sic per Unam justificationem, beneficium redundavit in omnes
 homines (credentes,) ad justificationem vitæ: vers. 18.

6. Sicut per inobedientiam Unius hominis, peccatores constituti multi;

Sic per Unius obedientiam, justi constituentur multi: vers. 19.

Exeg. Nota distinctionem, inter χάρις, & χάρισμα;

inter δωρεάν in χάριτι, & δώρημα;

inter δικαιοσύνη, & δικαιοσύνην, & δικαιοσύνην;

inter ἁμαρτία, reatum, & κατάκριμα, condemnationem.

β) *Usus*.

β) *Ufus.* Ideò verò toties *Unum* inculcat,

thes. Ne ullatenus alios quæramus, præter unum Christum.

ant. In Papatu fere tot finguntur Mediatores & Advocati,
quot sunt sancti, martyres, vel Angeli.

Imò Mariæ, matri Christi, deferunt ea, quæ sunt Christi;
eamque Christo, filio suo, imperare fingunt.

Distinguunt quidē inter Mediatores Intercessionis, & Satisfac-
tionis: sed inani effugio, quia & Sanctis hoc attribuunt,
quòd mereantur exauditionem sui, nostrique auxilium.

opp. Paulus verò Apostolus, de nullo alio vult audire,
quàm de uno Jesu Christo; quod toties repetit.

test. Unde & alibi dicit, (ut suprà,) 1. Tim. 2. 5. *Unus est Deus:*

Unus etiã Mediator Dei & hominũ, homo Christus Jesus.

Johannes verò, eundem Christum, & Propitiatorem facit,
& Advocatum seu Intercessorem solum, 1. Joh. 2. 1. 2.

Christus etiã ipse ait, Joh. 14. 6. *Ego sum Via, Veritas, & Vita,*
nemo venit ad Patrem, nisi per me. Et Matt. 11. v. 28. 29.

Venite ad Me, qui fatigati estis & onerati, & c. Ego & c.

concl. Idcirco & huic uni Mediatori soli adhærebimus, omissis alijs:

Esa. 63. 3. *Torcular calcavi solus, nec quisquam mecum.*

III. Tertia Paritas est in universalitate Objecti: quòd

Thes. Sicut Adami peccato, Omnes Adami posteri mortui sunt;

Sic etiam Gratia Jesu Christi, Omnibus contingit,
quotquot scilicet ad Christum pertinent, ejusque sunt per fidem.

Text. Paulus dicit, vers. 15. *Unã offensã Multos mortuos esse;* hoc est,
Omnes, ut dixerat antea, vers. 12. *Et itã in Omnes homines*
Mors pervasit, in quo Omnes peccãrunt.

Pariter dicit, vers. 15. *Gratia Dei, & donatio per gratiam, quæ est*
unius illius hominis, Jesu Christi, in Multos exundavit; hoc est,

in *Omnes,* Credentes scilicet: quorum est specialis universalitas;
etenim, *Omnes* etiam sunt *Multi.*

Prout in sequentibus dicit;

Vers. 18. *Sicut per unam offensam reatus venit in Omnes homines,*
ad condemnationem: Itã per unam justificationem beneficium re-
dundavit, in Omnes homines, ad justificationem vitæ.

Vers. 19. iterum relabitur ad Multos; *Sicut per unius hominis*
inobedientiam, peccatores constituti sunt Multi: itã per unius
obedientiam justii constituentur Multi.

γ) *Exeg.*

2) *Exeg.* Non quidem *Omnes* absolutè, tam infideles, quàm fideles;
thes. Sed restrictè, *Omnes credentes*: ij videlicet,

qui recipiunt exundantiam gratiæ, fide sc. ut *vers.* 17.
decl. Quemadmodùm Adami Peccatum transijt, in *Omnes homines*,

qui naturaliter ab eo generati, ad ipsum pertinent posteri:
 Sic etiam Gratia Christi contingit, *Omnibus ijs*,

qui ad Christum pertinent per veram fidem.
 Damnatio Adami, seu Reatus damnationis, transijt in *Omnes*

homines, qui naturaliter ab Adamo sunt propagati:
 Gratia Jesu Christi contingit *Omnibus credentibus*;

juxta illud, quod dixerat Paulus suprà, Rom. 3. 22.

Iustitia Dei, per fidem Jesu Christi, in Omnes,
 & *super Omnes, qui credunt*: conf. Rom. 1. 16.

prob. Hoc etiam arguit articulus græcus, *οἱ πολλοί, τῶν πολλῶν,*
Illi multi, Illos multos; *vers.* 15. & 19.

3) *Usus.* (*duplex, 1. Refut. 2. Consolat.*)

1. *Ref.* Erravit proinde olim Pelagius; Hodièque Puccius, Huberus:

err. Qui docuerunt, cùm aliunde, tùm ex hoc loco;

Sicut damnatio in Adamo, redundavit in omnes homines:

Sic quoque gratiam Christi, super omnes homines redundare;
 etiam infideles ipsos. Alioqui gratiam non *superare*,
 & *superabundare*; contra id quod dicitur infra, *vers.* 20.

ress. Sed id est contra expressum Dei verbum: nam,

Testatur id ipsum, plures damnari, quia non credant.

Nihilominus est, & manet verum,

Gratiam Christi exundare supra Peccatum: Exundat enim,

Non numero salvandorum, sed effecti præstantiâ: nam,

Peccatum mortem, Gratia vitam affert. Atquè,

Plus est, unum servare, quàm omnes perdere:

Plus est, quosdam salvare, quàm omnes reos facere:

ut etiam dicitur infra, *parte II.*

Gratiam Christi etiam *Omnibus* contingere: Scilicet,

Omnibus credentibus; hoc est, *Illis multis*, ut sup.

Nam de ejusmodi Generalitate loquuntur Promissiones,

Joh. 3. 16. *Ut omnis, qui credit, &c.*

Rom. 3. 22. *In omnes, & super omnes, qui credunt.*

conf. Proinde faciunt nobis injuriam, qui cavillantur,

Nos promissiones Evangelicas facere particulares.

3) 2. *Conso*

2. *Conf.* Si autem super Omnes homines redundat gratia,
thes. Si credant: Quid times, ô homo? Crede solummodò,
 Omnes credentes salvabuntur:
 Exstat ibi tuum, exstat ibi meum, exstat ibi
 omnium credentium nomen, nemine excepto.
test. Solummodò crede, inquit Christus, Marc. 5. 36.
 Si tu es ex fidelibus, qui credunt;
 Eris etiam ex illis *Omnibus & Multis.*
 Quòd si infirma sit tua fides, dic cum illo, Marc. 9. 24.
Credo, Domine, succurre incredulitati meae.

IV. *Quarta Paritas est, in Effectis: hoc est,*

Thef. In diversis Effectis, ex diversis Causis, ad diversos Fines.

Text. Sic enim dicit Paulus, totam comparationem tandem complectens,

Verf. 18. *Sicut per unam offensam, reatus venit in omnes homines, ad condemnationem: Ità per unam justificationem, beneficium redundavit in omnes homines, ad justificationem vitæ.*

Verf. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: Ità per unius obedientiam, justi constituentur multi.*

Verf. 17. dixerat; *Si per unam offensam mors regnavit, per unum: multo magis nunc, qui exundantiam illam gratiæ & doni justitiæ accipiunt, in vita regnabunt, per unum Jesum Christum.*

Exeg. Paulus duas veluti radices proponit,

thes. Ex quibus diversi quidem fructus nascuntur;

Ità tamen, ut sit æqualitss in illis fructibus.

decl. Adamus factus fuit *Inobediens:*

Christus factus fuit *Obediens, usque ad mortem, Phil. 2. 8.*

Facere voluntatem tuam, Deus mi, delector, & Lex tua est in visceribus meis, Psal. 40. 9. quod ità reddit Apostolus,

Ecce, adsum, ut faciam, Deus voluntatem tuam, Heb. 10. 7.

Ex inobedientia Adami multi *Peccatores* sunt constituti;

h. e. peccatrici naturæ facti sunt, & corrupti:

Ex obedientia verò Christi multi *Justi* constituentur, non solum per imputationem justitiæ, in *Justificatione*; sed etiam per infusionem justitiæ, in *Sanctificatione.*

Utrumque autem beneficium Christus procuravit,

illud, per inculpatum meritum Sanguinis sui;

hoc, per regenerationem Spiritûs Sancti.

Cccc

)Adamus

Adamus peccavit: Christus pro peccato satisfecit, & persolvit id, quod justitia Dei requirebat.

Ex peccato Adami provenit Reatus, ad damnationem:

Ex satisfactione Christi orta est gratia, seu Gratificatio, ad justificationem vitæ, quâ justificamur ad vitam æternam.

Ex peccato Adami derivata est Mors:

Ex satisfactione Christi Vita.

coll. Mirum, quomodo hæc omnia sibi corresponsdeant:

Inobedientiæ Adami, Obedientiæ Christi;

Peccato Adami, Justitiæ, seu Satisfactio Christi;

Reatus, κατὰ κρίματι, Donum gratiæ Christi, χάρις;

Damnationi, κατακρίματι, Justificatio, καρίσμος.

Morti, Vita.

Sic scilicet Adamus fuit Typus Christi.

Usus. Unde perspicitur singularis Dei φιλανθρωπία:

hyp. Qui nobis adumbravit, atque monstravit,

In Morbo, Medicinam;

In Morte, Vitam;

In Perditore, Servatorem;

In Media Pernicie, Salutem æternam.

thes. An non hæc gratâ mente recoleremus?

test. Dicentes, cum rege Davide, Psal. 103. v. 1-4.

Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomini sanctitatis ejus:

Benedic anima mea Domino, & ne obliviscaris ullius beneficiorum ejus:

Qui condonat omnes iniquitates tuas, qui medetur omnibus morbis tuis:

Qui vindicat à corruptione vitam tuam, qui coronat te benignitate & miserationibus.

Et cum Apostolo Paulo, Tit. 3. v. 3-7.

Eramus quondam & nos amentes, rebelles, errantes, servientes cupiditatibus & voluptatibus variis, in malitia & invidia degentes, odiosi, odio habentes: nimirum, ex lapsu illo primo Adami corrupti.

Sed postquam benignitas, & φιλανθρωπία, h. e. erga homines amor, apparuit Servatoris Dei: &c. &c.

P A R S II.

Hæc de Paritate, inter Adamum primum & secundum: sequitur *Imparitas*.

Prop. Esse. Disparitatē inter utrumque, Paulus his verbis significat, (ut & sup.)

Vers. 16. Neque ut illud quod introiit per unum, qui peccavit;

ita est beneficium, præstitum scit. per Jesum Christum

Prop. Duas præcipuè *Imparitates* Apostolus in textu proponit:

I. *Donum gratiæ in Christo multo potentius est, transgressione Adæ.*

Thef. Propter Peccatum Adami, homines mortuos esse, &

Mortem regnasse, propter Transgressionem illam Adami:

Propter Satisfactionem Christi, homines reductos esse ad Vitam,

imò ad Dominium vitæ. *Vers. 17. 18.*

Decl. Utrum ex his duobus potentius est, & fortissimum?

An Peccatum Adami, quod regnat ad Mortem?

An verò Gratia Christi, quæ regnat ad Vitam?

Sine dubio Gratia Christi potentior est, & fortissima: Nam,

Facilis descensus Averni; (inquit Virgilius,)

Sed revocare gradum, — Hoc opus, hic labor est.

Facile quis potest in perniciem adduci; non est ea ars magna:

At hæc est ars insignis, aliquem ex perniciæ liberare.

Quapropter; Si Christus unicum tantum ex perniciæ liberasset,

Præstitisset tamen aliquid longè majus ac præclarior,

quàm Adamus, qui omnes in exitium præcipitavit.

Atqui Christus, non unum solum servavit, non paucos;

sed Multos, imò Omnes, credentes scilicet.

Obj. Adami peccato, Omnes omnino homines mortui sunt;

Gratia Christi, Soli credentes liberantur ad vitam:

Ergo Gratia Christi non est præstantior, aut potentior.

Resp. Gratia Christi *superabundat supra Delictum*, inf. v. 20.

1. Non numero salvandorum, sed præstantiâ effecti hoc est,

Non, quòd illa totidem salvat, quot pereunt peccato;

Sed, quòd illa Vitam reducit, Morte longè superiorem.

2. Si rectè rem expendamus, consideremusque simul *Infantes,*

fidelium, qui morientes jure federis salvantur;

infidelium, de quibus nihil nobis definiendum est;

Contra, Adultos credentes, æquæ magnæ vrit pars;

Unde & *innumerales* vocantur, *Apoc. 7. 9.* (vid. inf.)

*) *Ufus.* Ergo, quisquis peccato te sentis gravatum & oneratum,
thes. Ne despera; quasi pauci serventur:

| Gratia Christi satis ampla est, imò amplior peccato.
ant. Christus quidem dicit, Matt. 7. 13. 14.

| Lata est porta, & spatiosa via, qua ducit ad exitium;
 Multique sunt, qui introeunt per eam:
 Angusta est porta, & stricta via, que ducit ad vitam;
 Paucique sunt, qui inveniunt eam.

opp. Sed verum quoque est, quod dicit Johannes, Apoc. 7. v. 9:

| Postea vidi, & ecce, aderat turba multa, quam numerare
 nemo possit, ex omnibus gentibus, & tribubus, &
 populis, & linguis, stabantque ante thronum, & in
 conspectu Agni, amicti stolis albis, & palma in mani-
 bus eorum: Et clamabant voce magna, dicentes; Salus
 à Deo nostro, insidenti throno, & ab Agno.

| Antea autem viderat, duodecies mille obsignatos, ex sin-
 gulis tribubus Israëlitarum, vers. 3. 4-8.

exēp. Quapropter, ne dicito cum Caino desperante, Gen. 4. 13.

| Peccatum meum majus est, quam ut possit remitti.

| Sed dic cum Apostolo Paulo, Rom. 5. 20. Ubi amplificatum
 est peccatum, ibi superabundavit gratia.

concl. In summa, Gratia Christi longè præstantior est ac potior,
 quam Peccatum, qualecunque & quantumcunque sit:

| Unde Johannes, 1. Joh. 1. 7. Sanguis Jesu Christi, Filii Dei,
 purgat nos ab OMNI peccato: originali, actuali, eoque
 tam graviori, quam leviori, tam magno, quam parvo.

II. *Adami peccatum unicum est, Christi gratia pro multis peccatis.*

| *Text.* Ità enim sonant verba textûs, Vers. 16. Reatus quidem est, ex Una
 | offensa, ad condemnationem: quod autem Gratificatur Deus, est
 | ex Multis offensis, ad justificationem.

| *Exeg.* Hic est sensus horum verborum;

| *gen.* Adamum fecisse nos tantum, reos unius peccati:

| Christum verò justificare, ab omnibus peccatis;

| non solum originali, sed & actualibus omnibus:

| Imò verò, insuper nos etiam participes facere,

| Spiritûs Sancti, & omnium donorum ejus.

| Facit enim Paulus mentionem, non modò Gratia Dei,

| sed & Doni ex gratia, vers. 15. itè v. 17.

*) *thes.*

DE ADAMO PRIMO & SECUNDO

17

Spec. Per *Gratiam Dei* intelligitur, *Gratia Patris*;
Fons omnis misericordiae, quae nobis contigit in Filio: ut,
Rom. 3. 24. 25. *Ut qui justificentur gratis, id est,*
Dei gratia, per redemptionem factam in Jesu Christo:
Quem praestituit Deus, ut esset Placamentum, per fidem,
in Sanguine ipsius, ad demonstrationem justitiae suae.

Per *Donum gratiae* intelliguntur, omnia hanc gratiam consequuta:
e. g. *Justificatio, Sanctificatio, Pax, Gaudium, Glorificatio;*
De quibus, partim initio hujus *Cap. V.* dictum est,
partim dicetur *Cap. VI. & seqq.*

Appl. (in Doct. & Usu.)

Doct. Ergo, sequitur hinc infallibiliter, quod
thes. Christus est Fons Salutis nostrae;

test. *E cujus plenitudine omnes accipimus, & gratiam pro gratia:*

Sicuti docet Johannes Evangelista, Joh. 1. v. 16.

Gratiam pro gratia; h. e. Unam gratiam, post aliam:

Gratia Patris est nostra, Gratia Filii, Gratia Spiritus S.

Atque haec omnia, *Pro gratia*, h. e. gratis, & gratuito,
sine ullis nostris meritis, sine ullis nostris operibus.

Unde & *Gratia Christi* expressè vocatur, in textu, *vers. 15.*

prol. Dicit quidem Jacobus, Jac. 1. 17. *Omnis donatio bona, & omne in-*
tegrum donum, est supernè, descendens à Patre luminum, apud quem
non est transmutatio, aut conversionis obumbratio.

Sed quicquid gratiae descendit ad nos à Deo, id descendit

Per Filium ejus, Dominum nostrum Jesum Christum: ut,

test. Eph. 1. v. 3-8. *Benedictus esto Deus, & Pater D. N. 7. Christi,*

qui benedixit nobis omni benedictione spirituali, in caelis, in Chri-

sto: Sicut elegit nos in ipso, ante iactum mundi fundamentum,

Ut simus sancti & inculpatae in conspectu ejus, cum charitate.

Qui praedestinavit nos, quos adoptaret in filios, per Jesum Chri-

stum, in sese, pro benevolenti affectu voluntatis suae: Ad laudem

gloriosae suae gratiae, quae nos gratis sibi acceptos effecit, in illo

Dilecto: In quo habemus Redemptionem, per Sanguinem ipsius;

Remissionem, inquam, lapsuum, ex divite ipsius Gratia: Quae

exundavit, in nos, omni sapientia & prudentia. Sic alibi, pas-

sim; item,

Rom. 8. 32. *Qui proprio Filio non pepercit, sed eum pro nobis tra-*

didit; quomodo non etiam cum eo nobis omnia gratificabitur?

sim. Atque ita agit Deus, quemadmodum benignus aliquis homo,
 Qui non solum obaratum hominem ex carcere liberat,
 per solutis creditori omnibus ejus debitis;
 Sed etiam insuper pecuniâ donat, quâ possit inopem suam vitam
 sustentare, & vivere sine querela.

Sic, inquam, Christus, Salvator & Redemptor noster,
 Non tantum satisfacit pro debitis nostris, supremo Creditori,
 imputatque nobis justitiam, quâ coram eo justî comparemus;
 Sed etiam insuper nobis dat Dona spiritualia, nempe Sp. S.
 qui in nobis efficit fidem, quâ hanc gratiam recipimus;
 quique nos regenerat, ad novam vitam,
 ne in ulteriorem offensionem incidamus.

Adeò ut *Justi* coram Deo *constituamur*, (ut dicitur *vers. 19.*)

Non tantum Imputatione justitiæ & meriti Christi;

Sed etiam Regeneratione, per Spiritum S. factâ.

§) *Usus*. (triplex, 1. *Refutationis*, 2. *Consolationis*, 3. *Admonitionis*.)

I. *Ref.* Proinde,

err. Errant Monachi in Papatu: qui docent,

Christum nos tantum à peccato Originali liberasse;

Non etiam ab Actualibus: Pro his enim oportere

Nos ipsos satisfacere, Satisfactionibus ab ipsis impositis.

Errant etiam Anabaptistæ plerique: qui docent,

Christum tantum mortuum esse, pro Peccato Adami;

Non etiam pro nostris peccatis, quæ committimus ipsi:

Illa nobis remitti per Misericordiam Dei, sine Satisfact.

Qui etiam est error Socinianorum; negantium,

Christum loco nostro justitiæ Dei satisfacisse.

ref. Sic utique Christus non esset potentior Adamo.

Atqui potentior est Adamus secundus, Adamo primo;

Christus videlicet: qui liberat nos,

Non solum à Peccato, quod in nos propagavit Adamus;

Sed etiam à nostris Peccatis omnibus, quæcunque ipsi com-
 mittimus, qualiacunque: dummodò credamus.

test. Manet enim verum id, quod dicit Paulus, in textu;

Gratiam Christi esse, *ex multis peccatis*.

Manet verum illud Johannis, sæpius allegatum, *1. Joh. 1. 7.*

Sanguis J. C. F. D. purgat nos ab omni peccato. Quid hoc, *omni*?

Hoc est, Originali, & Actuali, qualiacunque, quantocunque.

o) 2. *Conf.*

2. *Conf.* Hæc Consolatio est, omnium consolationum præstantissima,
thes. Omnia peccata nostra per Christum esse expiata.
hyp. Queritur David, Psal. 40. v. 13.

Assequuntur me iniquitates meæ, adeò ut nequeam dispicere:
 Numerosiores sunt capillis capitis mei;
 animus etiam meus derelinquit me.

opp. Sed hæc est consolatio nostra,

Christus illis omnibus sufficit expiandis. Quapropter,
test. Rom. 8. 33. 34. *Quis est, qui accuset Electos Dei?*

Deus est, qui justificat. *Quis est, qui condemnet eos?*

Christus is est, qui mortuus est; imò verò qui etiam suscitatus
 est; qui etiam est ad dextram Dei; qui etiam interpellat pro
 nobis. Concluditur, Rom. 8. 1. Nulla igitur nunc est conde-
 mnatio ijs, qui sunt in Christo Jesu.

1. Joh. 2. 1. 2. *Quòd si quis peccarit, Advocatum apud Patrem
 habemus, Jesum Christum justum. Et ipse est Propitiatio pro pec-
 catis nostris; nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi
 peccatis: h. e. omnium credentium, in universo mundo.*

Nec omitterendū dictū illud, quod sequitur textum, Rom. 5. 20. 21.

*Ubi amplificatum est Peccatum, ibi superabundavit Gratia: ut,
 Quæ admodum regnaverat Peccatum, ad Mortem; ita etiam
 Gratia regnaret, per justitiam, ad Vitam eternam, idque
 per Jesum Christum, Dominum nostrum.*

3. *Adm.* Tantum hoc studiosè ac seriò cavendum est nobis,
thes. Ne securi tantà Gratià, licentiùs peccemus:

test. Ut monet Paulus, in seq. cap. Rom. 6. 1. 2. *Quid igitur dicemus?
 An permanebimus in peccato, ut Gratia auctior fiat? Absit:*

Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo? & c.

Tenendū illud Christi, ad sanatū, Joh. 5. 14. *Ecce, sanus factus es:
 ne pecces ampliùs, ut ne quid deterius tibi fiat.*

Itè illud Zachariæ Sacerdotis, patris Joh. Bapt. Luc. 1. 74. 75.

*Redemit nos: ut liberati, sine metu, ipsum colamus, cū omni san-
 ctitate & justitia, in ipsius conspectu, cunctis vitæ nostræ diebus.*

Tandè illud Pauli, 2. Cor. 5. 15. *Hoc statuendū: Si unus pro omnib.
 mortuus est, nempe istos omnes fuisse mortuos; (cū in Adamo,
 tum in seipsis, mortis æternæ reos.) Et unum illum pro omni-
 bus mortuum esse, ut qui vivunt, posthac non sibi vivant,
 sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & suscitatus est.*

CONCL-

C O N C L U S I O.

R. Hæc est illa *Paritas*, & illa *Disparitas*, Auditores,
quæ est in ter Adamum Primum & Secundum.

Possent quidem & aliæ comparationes inter utrumque proponi,
adductis etiam ex reliqua Scriptura aliis partibus comparationis:
sed id differemus, in sequentem Concionem, de Typo Adami.

C. Nunc hoc sufficiat tibi, ô Christiane ac fidelis homo:

Si te gravatum deprehendas, à parte Adami primi;

si urgeat primus ille lapsus, si indè ortum peccatum Originale;
si innumera peccata alia, indè resultantia, te premant:

Concede ad alteram partem Adami [secundi, Christi videlicet,

Si terret ille, Hic te solabitur;

Si damnet ille, Hic te absolvet;

Si ad Mortem adjudicet ille, Hic ad Vitam te reducet.

Considera illud Pauli, 1. Cor. 15. v. 12.

Sicut in Adamo omnes moriuntur;

Ità & in Christo omnes vivificabuntur.

O quoties gravatur conscientia pij hominis, lapsu Primi Adami!

Si cui laborandum sit in sudore vultus sui,
cogitat, id à lapsu Adami ei contingere:

Si quis inopiam patiatur, & pauperiem,
cogitat, id à lapsu primo esse:

Si cui moriendum sit, charique ac chara hujus mundi relinquenda,
cogitat, à lapsu primo protoplastarum hoc esse:

Si quæ in puerperij doloribus versatur, ac deficit,
cogitat, id à lapsu Evæ, omnium matris, sibi contingere.

Si jam tale quid te gravet, atque sollicitum reddat, agè,

A primo Adamo te confer, ad Adamum secundum, ac dicito;

In Adamo maledictus sum, in Christo benedictus:

Ab Adamo mihi mors obtigit, in Christo vitam habeo.

V. Idcirco illi gratias ago, ex toto corde meo.

Gratia sit Patri, qui pro misericordia sua nobis dedit Filium:

Gratia sit Filio, qui non dedignatus est miserum peccatorem:

Gratia sit Spiritui S. qui nos consolatur, & de his certos facit:

Gloria & Gratia sit uni illi vero, gratioso ac misericordi Deo.

in æterna secula, Amen, Amen, Amen.

CONCIO LI.

C O N C I O L I.

De Typo Adami, *fusiùs tractato.*T E X T U S, *Rom. V. vers. 14.**Qui (Adamus) est typus illius, qui erat futurus, (Christi sc.)*

E X O R D I U M.

Nihil in N. T. annunciatur, quod non sit in V. T. promissum :Unde Paulus Apostolus dicit, *Rom. 1. v. 1. 2. Separatum se esse, ad predicandum Euangelium Dei, quod antè promiserat Deus, per Prophetas suos, in Scripturis sanctis, V. T. scilicet.*Et Petrus Apostolus ait, *Act. 15. v. 11. Per gratiam Domini Jesu Christi, credimus, nos fideles N. T. servatum iri, quemadmodum & illos, fideles scil. V. T.*

Quod enim nobis, fidelibus N. T. exhibitum est, misso Jesu Christo, id ipsum olim fidelibus V. T. fuit prænunciatum & promissum.

In principio Deus ipse Euangelium, de Christo mittendo, annunciavit, Primis nostris parentibus, postquam lapsi essent, promittens illud, *Gen. 3. 15. Semen Mulieris conteret caput Serpentis.*

Abrahamo Patriarchæ, promittens ei illud,

Gen. 22. 18. In Semine tuo benedicta erunt omnes gentes :
hoc est, in Christo, ex te nascituro, *Gal. 3. 16.*

Deinde illud per Patriarchas, & Prophetas suos, annunciari curavit.

Jacobus patriarcha, condictus Israël, prophetavit de Christo,

*Gen. 49. v. 10. Non recessurum sceptrum à Juda, neque legislatorem è medio pedum ejus, usque dum venturus esset SCHILOH, (h. e. Messias, Filius ejus, Tranquillator ;) cui sit futura obedientia populorum. Confer, Ibid. v. 18.*Moses concionabatur, *Deut. 18. v. 15. 18. Deum excitaturum Israëlitis Prophetam, è medio fratrum, sicut se ; ei auscultandum.*David, de ejus morte, resurrectione, sessione ad dextram Dei, &c. prophetat passim, *Psal. 16. & 22. & 40. & 69. & 110. &c.*Esaias prophetat, de ejus nativitate, ex Virgine, *Esa. 7. 14.*de ejus passione, & morte, & sacrificio cruento, *Esa. 53. &c.*

Et quis omnes prophetias V. T. de Christo, recenscat ?

D d d d

Non sol-

Non solum autem, per Prophetas suos, Euangelium annuntiavit Deus:
sed etiam idipsum, per varias Ceremonias Legis, adumbravit;
itemque per alios aliquot præclaros Typos præfiguravit.

Egregij Typi Christi fuerunt Isaacus, Gen. 22. 6. item, Josephus, &c.
itemque Simlon, David, Salomon, &c.

Paulus in *textu* prælecto expressè dicit,

Adamum fuisse Typum illius, qui futurus erat, Christi:

Explicatque aliquot partes, in quibus is hunc præfiguravit;

Verf. 18. *Sicut per unius peccatum Reatus venit, in omnes homines,
ad condemnationem: ita per unius justitiam Beneficium redundasse,
in omnes homines, ad justificationem vitæ.*

Verf. 19. *Sicut per Inobedientiam unius hominis, peccatores constituti
sunt multi: Ità per unius Obedientiam, justi multi.*

Prout in præced. concione fusiùs proposuimus, & explicavimus.

Sunt tamen & aliæ complures partes comparationis, inter Adam & Christum;
in quibus Adamus gessit typum Christi:

quas conabimur etiam, ex reliqua Scriptura, huc congerere;
prout promisimus in Concione præcedenti.

P. Attendendum igitur vobis erit, Auditores, ad Typum,

I. *In rebus similibus;*

in quibus Adamus & Christus sibi sunt pares:

II. *In rebus oppositis & contrariis;*

in quibus, quod in Adamo est sic, in Christo est aliter:
quodque in Adamo fuit malum, à Christo fuit factum bonum:

V. Deus adsit nobis gratiâ Spiritûs sui Sancti, ne id fiat sinè fructu,
sed ad suam gloriam, nostrique ædificationem: Et,

Quia Adamus, omnium nostrum pater, egregiam Imaginis divinæ vestem,
sibi & nobis exuit; Alter Adamus, Christus,
qui est Imago Dei Patris, nos iterum suâ Imagine vestiatur:

Ut digni simus, tandem in conspectu Dei, Patris nostri cœlestis, compa-
rere, ibique beato & æterno gaudio frui: *Amen.*

P A R S I.

Typum Adami in SIMILIBUS quod attinet,

Prop. Consideranda nobis Primi hominis, *Origo, Conjugium, Imago, Lapsus,*
Labor, Proles, Mors; videndumque, ut in his referat Christum.

Tract. Videamus singula, in singulis illis: *pag. seqq.*

I. *Originem*

I. ORIGINEM Adami quod attinet,

1. Adamus à Deo creatus est, *in principio*, Gen. 1. & 2.
Christus autem, ut unigenitus Dei Filius, à *Principio*,
h. e. ab æterno, à Deo est Genitus; juxta Joh. 1. v. 1. 2. itèm,
Pfal. 2. 7. *Filius meus es tu, ego Hodie genui te*, i. e. ab æterno.
Mich. 5. 2. *Cujus exortus, inde à principio, à diebus seculi.*
Prov. 8. 22. *Jehova acquisivit me, principio viae suae,*
ante principium, ante primordia terræ.
Kanani, h. e. acquisivit me, uti accipitur Gen. 14. 19.
Generando scilicet, (non creando,) ut Ezech. 16. 4.
2. Adamus, immediatè à Deo creatus, vocatur *Filius Dei*, Luc. 3. 38.
Christus est *Unigenitus Dei Filius*, qui est *in sinu Patris*, Joh. 1. 18.
Proprius Dei Filius, Rom. 8. v. 32.
3. Adamo inspirabat Deus *Animam viventem, in naves ejus*, Gen. 2. 7.
Christo autem, Filio suo, communicavit totam essentiam suam:
Ità ut Pater & Filius sint unius essentiae, *ὁμοούσιου*, & coæterni;
Joh. 10. 30. *Ego & Pater unum sumus.* Sic, Joh. 17. 11. 21.
Joh. 5. 26. *Sicut Pater habet vitam in seipso,*
sic dedit & Filio habere vitam in seipso.

II. CONJUGIUM Adami quod attinet,

1. Sicut Eva, uxor Adami, *ex costa Adami est facta*, Gen. 2. 21. 22.
Sic Christus sibi desponsavit Ecclesiam, Eph. 5. 25. quæ est
Corpus ejus, Eph. 1. 23. 1. Cor. 12. v. 12. 27. quamque
Proprio illo suo sanguine sibi acquisivit, Act. 20. 28.
2. Sicut Adam & Eva unius ejusdemque carnis & sanguinis participes erant:
Sic Christus, quum vellet Sponsus & Frater noster fieri,
Heb. 2. 14. *Particeps factus est carnis & sanguinis nostri:*
Heb. 4. 15. *In omnibus infirmitatibus nostris similiter tentatus,*
excepto tamen peccato.
3. Sicut Adam de Eva dicit, *Caro de carne mea, & os & c.* Gen. 2. 23.
Sic de Christo dicit Paulus, Eph. 5. 30. quòd simus nos
Membra Corporis ejus, & ex carne ejus, & ex ossibus ejus.
4. Sicut Eva, uxor Adami, à Viro *Vir* est dicta, Gen. 2. 23.
Sic nos à Christo *Christiani* vocamur; quod nomen fidelibus
primò omnium fuit inditum, Antiochie, Act. 11. 26.
5. Sicut Adamus & Eva erant *nudi, nec erubescabant*, Gen. 2. 25.
Sic Christus est nudus à peccatis, facitque Ecclesiam ab iis nudam:
Nec erubescit nos fratres vocare, Heb. 2. 11. Eph. 5. 27. & c.

III. IMAGINEM DEI in Adamo quod attinet,

1. Sicut Adamus fuit conditus, *ad Imaginem Dei*, Gen. 1. 26. 27.
Sic Christus, Filius Dei, est *Imago Dei invisibilis*, Col. 1. 15.
Splendor gloria, & Character personæ ejus, Heb. 2. v. 3.
2. Sicut Adamo datum fuit *Dominium super creaturas terræ*, Gen. 1. 26. 28.
Sic Christo *data est omnis potestas, in cælo & in terra*, Matt. 28. 18.
3. Sicut Adam *animalibus omnibus & singulis indidit nomina*, Gen. 2. 19.
Sic Christus *nos novit nominetenus*, 2. Tim. 2. 19. Esa. 43. 1.
Nomina nostra curavit inscribi in cælo, Luc. 10. 20.
In libro vitæ Agni, Apoc. 13. 8. c. 17. 8. c. 21. 27.
Dat nobis novum nomen, in calculo albo scriptum, Apoc. 2. 17.

IV. LAPSUM Adami quod attinet,

1. Adamus tentatus est à Diabolo, in paradiso, Gen. 3. 1. &c.
Sic & Christus tentatus est à Diabolo, in deserto, Matt. 4. 1. &c.
2. Diabolus ad Evam accedebat, quum esset sola, velletque edere, Gen. 3.
Sic Diabolus ad Christum, quum esset solus, & jejunasset 40. dies, Mat. 4.
3. Adamus, videns se nudum, *texebat folia ficuum*, Gen. 3. 7.
Christus vestit nos *nudos, miserosque homines, veste suâ*,
quæ est vestis innocentia suæ, Apoc. 3. 17. 18.
4. Adamus lapsus, *timebat à conspectu Dei, seque occultabat*, Gen. 3.
Christus eodem modo *cæpit expavescere, & gravissime angî*,
quum ei incumberet ira Dei, ob peccata nostra, Marc. 14. 33.
5. Adamus ejiciebatur; ex paradiso, in miserum mundum, Gen. 3. 23. 24.
Christus etiam *exscindebatur è terra viventium*, Es. 53. 8.
6. Adamo & Evæ fecit Deus *tunicas pelliceas*, Gen. 3. 21.
Christo autem *corpus adaptavit*, Heb. 10. 5.
Atque ita nudam & invisibilem divinitatem ejus textit ac vestivit
tunicâ visibili humanitatis, Phil. 2. 7. 8.
7. Adamus peccans, amittebat Imaginem Dei, quâ erat donatus:
Christus, pro peccatis nostris satisfactor, occultabat
Imaginem Dei, in qua erat, par Deo, Phil. 2. 6. 7.

V. LABOREM Adami quod attinet,

1. Adamo laborandum erat, *in sudore vultus sui*, Gen. 3. 19.
Christus, suscipiens laborem Redemptionis, laborabat
in sanguineo sudore vultus sui, Luc. 22. 44.
2. Adamus cum dolore & molestia victum sibi comparabat, Gen. 3. 17. 18.
Christus etiam, *non habebat, ubi caput reclinaret*, Matt. 8. 20.

VI. Prolem

VI. PROLEM Adami quod attinet,

1. Adamus duos habebat filios, quorum unus alterum oderat,
& persequabatur, tandemque interficiebat, *Gen. 4. v. 5. 8.*
Sic etiam Christus dicit, *Matt. 10. 34. 35. 36. Ne existimate, me venisse, immissurum pacem in terram: Non veni, immissurus pacem, sed gladium. Nam veni facturus, ut dissideat filius à patre suo, & filia à matre sua, & nurus à socru sua; Et inimici hominis erunt, qui sunt domestici ipsius.*
Confer, *Gal. 4. v. 29.*
2. Adamus habebat filium degenerem, Cainum, *Gen. 4.*
Christus unum habuit Apostolum degenerem, Judam, *Matt. 26.*
Sicut Cain in peccatis suis desperabat, dicens, *Peccatum suum gravius esse, quam ut posset remitti, Gen. 4. 13.*
Sic etiam Judas desperavit in peccatis suis, & abiens strangulavit sese, &c. *Matt. 27. 5. Act. 1. 18.*
3. Adamus genuit liberos, *ad similitudinem suam, ad imaginem suam;* (non Dei, ut ipse erat creatus,) *Gen. 5. 3.*
Christus etiam regenerat suos fideles, per gratiam Spiritûs. S. *ad suam imaginem, Rom. 8. 29. 1. Cor. 15. 49.*
4. Adamus in senectute sua etiam genuit filios, filias, *Gen. 5. 4.*
Sic Christus, in fine mundi, in senecta mundi, etiam sibi liberos educavit, Ecclesiamque colligit ut ab initio:
Juxta promissionem illam ipsius, *Matt. 28. 20: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, Usque ad consummationem seculi.*

VII. MORTEM Adami quod attinet,

1. Adamus tandem mortuus est, quum esset *annorum nongentorum, & triginta, Gen. 5. v. 5.*
Sic etiam Christus pro nobis mortuus est, quum esset annorum circiter triginta quatuor.
Nongenti illi anni Adami, significant Christi ætatem diuturnam, h. e. æternitatem suam, cum Patre:
Triginta verò anni Adami, supra nongentos, significant ætatem Christi brevem, in assumta humana natura, quæ vix excessit 34. annos, arg. Luc. 3. 23.
2. Adamus mortuus, sepultus etiam est, juxta denunciationem illam, *Gen. 3. 19. In terram reverteris; Pulvis es, & in pulverem reverteris.*
Sic etiam Christus, mortuus in cruce, *sepultus est, Matt. 27. 60.*

P A R S II.

Typum Adami in OPPOSITIS & Contrariis rebus, quod attinet, Prop. Enarrat Paulus, in textu, quasdam earum; nobisque occasionem dat, reliquas ex reliqua Scriptura indagandi.

Tract. Repetamus Textuales obiter, deinde alias Aliunde illis subjiciamus.

¶ 1. *Textuales: In hoc Cap. V. has comparationes introducit, thes. In quibus est similitudo, cum dissimilitudine:*

Verf. 18. *Sicut per unam offensam Reatus venit, in omnes homines, ad condemnationem: Ita per unam justificationem, (unius justitiam,) Beneficium redundavit, in omnes homines, (credentes,) ad justificationem vite.*

Verf. 19. *Sicut enim per Inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi, (illi multi, h. e. omnes homines:) Ita per unius Obedientiam, justi constituentur multi, (illi multi, h. e. omnes credentes.)*

decl. Quas comparationes superiori concione explicavimus:

In quibus comparantur res diversæ; ita tamen, ut optimè sibi invicem respondeant. Nimirum,

1. *Inobedientiæ Adami, opponitur Obedientia Christi;*
2. *Peccato Adami, opponitur Justitia Christi;*
3. *Reatus in Adamo, opponitur Gratia in Christo;*
4. *Damnationi debitæ, opponitur Justificatio gratuita;*
5. *Morti ab Adamo ortæ, opponitur Vita à Christo parta.*

Instituit autem Apostolus ejusmodi comparationem:

1. *Sicut Adamus fuit inobediens factus, in paradiso;*
Ita Christus factus fuit obediens, usque ad mortem: &
Sicut per Adami inobedientiam peccatores constituti multi;
Ita per Christi obedientiam justi constituentur multi.
2. *Sicut Adamus peccavit;*
Ita Christus justus, pro peccatis justitiæ Dei satisfecit.
3. *Sicut Adamus sibi, suisque, Reatum conciliavit;*
Ita Christus, satisfaciendo, suis Beneficium gratiæ.
4. *Sicut reatus ab Adamo Damnationem adduxit;*
Ita beneficium gratiæ Christi Justificationem.
5. *Sicut peccatum Adami regnavit ad Mortem;*
Ita gratia per Christum regnavit ad Vitam.

¶ 2. *Aliunde:*

¶ 2. *Aliunde*: Isthæc comparatio, quam Paulus hoc Cap. V. instituit, *thes.* Occasionem nobis præbet, rem ampliùs indagandi: ubi, quod sic est in Adamo, id aliter est in Christo; quod per Adamum est perditum, id à Christo est restitutum. *prop.* Considerabimus & hîc Adami, *Originem, Lapsum, Consequentia lapsum, Prolem, & Mortem.* *tract.* Exempli gratiâ:

I. O R I G I N E M Adami quod attinet,

1. Adamus est, è terra, pulvereus;

Christus est è cælo, cœlestis, ipse Dominus è cælo.

1. Cor. 15. 47. *Primus homo, è terra, pulvereus:*

Secundus homo, ipse Dominus è cælo.

Non, quòd Carnem suam è cælo attulerit;

ut Anabaptistæ somniant, hoc dicto abutentes:

Sed, quòd Filius Dei, cœlestis & divinæ naturæ,

humanam naturam ex Maria virgine assumserit:

ut docetur, *Phil. 2. 6. 7. Heb. 2. 16.*

2. Adamus, Creatus est, in tempore, in principio;

Christus, Genitus est, ab æterno: *ut supra, part. I.*

II. L A P S U M Adami quod attinet,

1. Adamus à Diabolo tentatus est, seductusque:

Christus quidem à Diabolo est tentatus, *Matt. 4. 1. & c.*

At non seductus, constans & immotus mansit, *Ibid. v. 11.*

2. Adamus se à Diabolo vinci ac subigi passus est:

Christus Diabolum vicit ac subjugavit; juxta,

Heb. 2. 14. Christus per mortem abolevit eum, penès quem erat potestas mortis, hoc est, Diabolum.

Apoc. 12. 10. Nunc facta est salus, & potentia, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus: quia victus ac dejectus est Accusator fratrum nostrorum, & c.

3. Adamus seductus est à Muliere, ab uxore Eva, *Gen. 3. 6. 12.*

Ità ut à Muliere perditio venerit in mundum; ut

1. *Tim. 2. 14. Adamus non fuit seductus, (immediatè sc. à Diabolo;) sed Mulier seducta, causa transgressionis fuit.*

2. *Cor. 11. v. 3. Sicut Serpens Evam seduxit calliditate suâ.*

Christus, qui salutem mundo restituit, natus est à Muliere;

Gal. 4. 4. Misit Deus Filium suum, factum ex Muliere;

Ità ut à Muliere, & Mors, & Vita, originem traxerit.

4. *Primus*

4. Primus homo, Adamus, seducebatur à Muliere,
 quæ erat exstructa ex ipsius corpore, è costa, *Gen. 2. 22.*
 Secundus homo, Christus, à Muliere ortus, salutem mundo restituit.
 Quod à primo homine oriebatur, seducebat eum;
 quod à Muliere nascebatur salutem in mundum reduxit: ut,
Gen. 3. 15. Semen mulieris conteret caput Serpentis.
 Itaque à Viro solo nil boni venit, à Muliere sola aliquid boni:
 Malum, quod à viro venit, Mulier est;
 Bonum, quod à muliere venit, Vir est.
 Vir, ne haberet quo insolesceret, est, unde malum est ortum;
 Mulier, ne haberet quo eveheretur, est malum id ortū à viro:
 Vir, ne tristaretur, est bonum id, à muliere natum;
 Mulier, ne tristaretur, est ea, unde id bonum est natum.
5. Adamus, manum suam extendit ad lignum vetitum, & mortē adduxit:
 Christus utramque manum in ligno Crucis extendit,
 atque sic vitam generi humano reduxit.
6. Adamus, à vetito ligno decerpit fructum peccati, & perditionis:
 Christus Chirographum peccatorū nostrorum ligno Crucis affixit,
 atque ita debita peccatorum nostrorum expunxit; *Col. 2. 14.*

III. C O N S E Q U E N T I A L A P S U M quod attinet,

1. Adamus sibi & nobis amisit *Imaginem Dei*:
 Christus nobis illam restituit, *Eph. 4. 24. Col. 3. 10.*
 Est enim ipse *Imago Dei invisibilis*, *Col. 1. 15.*
 & ad ipsius *Imaginem conformamur*, *Rom. 8. 29.*
2. Adamus amisit sibi & nobis *Dominium in creaturas*:
 Christus restituit nobis *Dominium multò excellentius*,
 In Peccatum, Satanam, Carnem, Mundum, Mortem, Infernum.
1. Cor. 15. v. 54. 55. 57. Absorpta est Mors, ad victoriam.
Ubi tua, o Mors, victoria? Ubi tuus, o Inferne, aculeus?
Deo autem habetor gratia, qui dat nobis victoriam,
per Dominum nostrum Iesum Christum.
Joh. 16. v. 11. Princeps hujus mundi condemnatus est. (Rō. 16. 20.)
v. 33. Confidite, ego vici Mundum. (Rom. 6. v. 12. 14. & c.)
3. Propter Adamum *Maledictio* venit in mundum:
 In Christo *Benedicta sunt omnes gentes*, *Gen. 22. 18.* [1. 3.
 In Christo *benedixit nobis Deus omni spiritali benedictione*, *Eph.*
 Christus *Maledictionem Legis* in se suscepit, nosque ab illa liberavit,
dum pro nobis factus est Maledictio, *Gal. 3. 13.*

4. Adamus

4. Adamus fugiebat à Deo, *erubescens, quia nudus erat*, Gen. 3. 10.
Christus *expavescebat, ac gravissime angebatur*, Marc. 14. 33.
vestitus veste peccatorum nostrorum, contemptus, & abscondens
faciem suam à nobis, Esa. 53. v. 3.
5. Adamus terrebatur *voce Dei, itante per hortum*, Gen. 3. 8.
Christus confirmabatur *voce Dei, è cœlo emissâ*,
Matt. 3. 17. cap. 17. 5. *Hic est Filius meus dilectus, & c.*
6. Adamus culpâ rejiciebat in Evam, Eva in Serpentem, Gen. 3. 12. 13.
Deus verò peccata omnium nostrum, in Christum, Esa. 53. 6.
7. Adamus induebatur à Deo pellibus, quia nudus, Gen. 3. 21.
Christus, crucifigendus, exuebatur vestibis suis, ac nudabatur;
ut nos veste innocentia & justitia ejus vestiremur, Apoc. 19. 8.
8. Adamus ejiciebatur, cum omnibus posteris, ex paradiso, viamque
munivit flammeo ac vibrante se gladio Cherubi, Gen. 3. 23. 24.
Christus reclusit nobis viam, ad paradysum cœlestem; unde ait,
Luc. 23. 43. *Hodie mecum eris in paradiso*: Imò,
Ad cœlestia tabernacula; de quibus Christus, Joh. 14. 2. 3.
9. Adamus arcebatur ab Arbore Vitæ, Gen. 3. v. 22. & c.
Christus *vincenti dat edere ex Arbore illa Vitæ, quæ est in medio*
Paradisi, Apoc. 2. 7. Confer, Apoc. 22. 2.
10. Adamus excludebatur, à fluviis amœnissimis Paradisi, Gen. 2. 10.
Christus reddit nobis *Aquam vitæ, scaturientem, salientem ad vi-*
tam æternam, Joh. 4. 14. Confer, Joh. 7. 38.
Reducitque ad *fluvium illum purum aquæ vitæ, splendidum, tan-*
quam Crystallum, & c. Apoc. 22. v. 1. & c.

IV. P R O L E M Adami quod attinet,

- Adamus habuit liberos, ex suo semine prognatos, & quidem,
ad similitudinem suam, & corruptam imaginem suam, Gen. 5. 3. 4.
Christus habet filios, instar *roris aurora*, Psal. 110. 3.
Datque hoc *jus, quot quot eum excipiunt, ac in nomen ejus credunt,*
ut filij Dei fiant; qui non ex sanguine, neque ex libidine carnis, aut
viri, sed ex Deo geniti sunt, Joh. 1. v. 12. 13.

V. M O R T E M Adami quod attinet,

1. Moriendum erat Adamo, propter sua peccata:
Christo moriendum fuit, propter aliena peccata, nostra scilicet.
2. Omnibus Adæ filiis moriendum est: At Christus inquit, *Ego sum*
Resurrectio, & vita: qui credit in me, etsi mortuus sit vivet;
sique vivat, non morietur in æternum: Joh. 11. v. 25. 26.

E e e e

C O N C L -

CONCLUSIO.

R. Audivistis, Auditores, Typum Adami, quo refert Christum,
 1. In rebus similibus;
 2. In rebus dissimilibus.

C. Quod David de Homine canit, *Psal. 8. v. 4. &c.* mirari se,
 quòd bono hominis Deus omnia creaverit;
 tantum quòd paulò minorem eum fecerit Angelis:

Id Paulus, in epistola ad Hebræos, de Christo intelligit, *Heb. 4. 6--9.*

Ob nullam aliam causam, quàm quod Adamus fuit typus Christi:

Ut patuit, *ex textu prælecto*;

Ut & patet, ex *1. Cor. 15. 45. 47.* ubi agit etiam,

De Adamo, Primo & Secundo;

de homine priori, Adamo, & posteriori, Christo.

Adamus Primus homo vocatur, non quòd sit præstantior;

sed Christus Secundus, & Posterior homo, vocatur:

Quia ipse restituit, quod primus homo perdiderat.

Ergo à Primo Adamo, nos conferamus ad Adamum Secundum;

à fonte Mortis, ad fontem Vitæ;

à Peccato, ad Justitiam; à Reatu, ad Gratiam.

Adhæc, deponamus Veterem, & induamus Novum hominem;

ut monet Paulus, *Eph. 4. 22. 23. 24. Col. 3. 8. 9. 10.*

Mortificemus Veterem, & Vivificemus Novum hominem;

ut monet idem Paulus, *Rom. 6. v. 4. &c.*

Non jam ampliùs obtineat illud, *Adæ filij sumus*;

Gerimus imaginem Adami, Primi hominis;

Corrupti sumus in Adamo; In Adamo omnes sumus mortui:

Sed vigeat illud, *Dei Filij sumus*;

Sumus Christi, ut qui nos pretiosè emit;

Renovati sumus, ad Imaginem Christi;

Christus nos redemit, Christo nunc vivendum est,

peccatis renunciandum, pietati studendum.

V. Ad hoc largiatur nobis suam Gratiam Secundus homo,

Ipsè Dominus è cælo, Jesus Christus, Salvator mundi;

Qui est Agnus ille maçtatus, (*Apoc 5. v. 12. 13.*)

Cui cum Patre, & Spiritu Sancto, debetur *Benedictio,*

& honor, & gloria, & robur, in secula seculorum, Amen.

CONCIO LII.

C O N C I O L I I.

De Aucto Peccato, & Aucta Gratia.

T E X T U S, Rom. V. vers. 20. 21.

Lex verò præterea introiit, ut amplificaretur Offensa: Sed, ubi amplificatum est Peccatum, ibi superabundavit Gratia. Vt, quemadmodum regnaverat Peccatum, ad Mortem; ita etiam Gratia regnaret, per Justitiam, ad Vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.

E X O R D I U M.

Apostolus Paulus, ut diximus initio hujus Capituli V.

1. Enarrat fructus quosdam, ex Justificatione provenientes; ut, Pacem, Gloriationem:
2. Comparat Gratiam Jesu Christi, Secundi Adami, cum Lapsu primi hominis, Primi Adami:
3. Prætereaque ostendit Officium Legis, cujus accessione, Peccatum fit auctum, ut augeatur Gratia.

Ad hoc postremum usque pervenimus, nunc explicandum; descriptum versibus duobus postremis hujus Cap. V.

Dixerat suprâ Paulus, vers. 13. *Usque ad Legem peccatum fuisse in mundo;* hoc est, Etiam ante Legem, per Mosen latam, Peccatum viguisse: atque probaverat, Omnem Salutem esse à Christo Jesu.

Potuisset aliquis interrogare; Cur ergo Lex esset lata?

Ad id jam respondet Paulus, dicens; *Lex verò præterea introiit, ut amplificaretur Offensa: sed, ubi amplificatum est Peccatum, ibi superabundavit Gratia: ut, quemadmodum regnaverat Peccatum, ad Mortem; ita etiam Gratia regnaret, per Justitiam, ad Vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.*

In quibus verbis Paulus Apostolus duo docet; & describit,

1. Terribile Legis officium, in notificandis peccatis:
2. Consolationem, adversus hunc terrorem Legis.

Eccc 2

P. Quæ

P. Quæ verba nos hæc vice consideraturi, dicemus de his duobus:

I. De Aucto Peccato;

II. De Aucta Gratia.

V. Faxit Deus, ut cedat idipsum ad suam gloriam,
nostrique consolationem solidam in vita & morte:

Ille terrorem conscientiarum nostrarum, ex aucto peccato, eximat,
consoleturque nos, Gratiâ superabundanti in Christo Jesu,
quæ regnat, per justitiam, ad Vitam æternam: Amen.

P A R S I.

Auctum Peccatum quod attinet,

I. Text. De eo sic scribit Apostolus; *Lex verò præterea introiit,*
ut amplificaretur Offensa illa.

Exeg. (quæ est Doct.) Unde clarè perspicitur,

Thes. Ex Lege nos nullam posse habere consolationem;

siquidem ea nos arguit ac convincit peccati: Et quidem,

Decl. Ex Lege Peccatum fit auctius & potentius. Quomodo verò?

ægr. Estne Lex causa Peccati? ita ut Lex,

non solum efficiat Peccatum, sed & id gravius faciat?

Minimè verò: Sed hic est sensus horum verborum,

Sic. Lex lata est per Mosen, ut ita Venenum peccati,
(quod sc. ex primo lapsu in universum mundum se effuderat,
& ut occultum vix cognosci poterat,)

Augeretur: hoc est, plenius & planius cognosceretur,
quam pestilens, periculosum, ac noxium venenum esset.

hyp. Est enim Lex, instar Speculi, ut insinuatur, Jac. I. v. 23. 24.
Si quis est auditor sermonis, & non effector, is similis est viro,
consideranti faciem suam nativam in Speculo: Nam simul-
ac consideravit se, abit, statim oblitus qualis sit.

sim. Multi maculantur in facie, nescientes, se deformatos esse;

At si ad Speculum se conferant, vident maculas deformes.

Multi, læsi in facie, existimant id nihil esse, aut parum;

At ad Speculum venientes, vident, quam turpe sit vulnus.

Senes non bene conspiciunt; at utentes perspiciliis, seu con-

spiciliis, omnia ipsis grandiora apparent, rectiusque videntur:

Ita & nos habemus caligantes oculos, in dignoscendis peccatis;

Sed conspicio Legis adhibito, apparent grandiora.

a)text.

a) *text.* Atque hoc est, quod Paulus hinc dicit, *in textu*;

Lex præterea introiit, ut amplificaretur offensa: hoc est,

Ut tantò rectiùs scèditatē & magnitudinem peccati cognoscamus.

test. Idem suprà dixerat, Rom. 3. 20. *Ex Lege est cognitio peccati:*
de quo suprà, suo loco, fusiùs diximus.

Idem & insinuârat, Rom. 4. 15. *Lex iram efficit: Ubi enim
non est Lex, ibi nec transgressio est: (sic cap. 5. 13.)*

Hoc est, Non ità cognoscitur: ut ibid. sup. declaravimus.

Idem etiam infrà docet, Rom. 7. v. 7. *Imò,*

Peccatum non cognovi, nisi per Legem: Nam,

*Ipsam quoque Concupiscentiam non nossem peccatum esse;
nisi Lex dixisset, Non concupisces.*

ß) *Usus.* Videte, hoc est Officium Legis, à Deo per Mosen latae;

thes. Ut augeat Peccatum: hoc est, Ut peccati scèditas, magnitudo,
multitudo & varietas, tantò rectiùs cognoscatur.

epith. Lex quidem habet & alia Officia: nempe,

1. Ut nobis sit Regula bonorum operum, gratitudinis debitæ:

Ne ea degenerent in *ιδελοθεν οικειας*; juxta,

Matt. 15. 9. *Frustra me colunt, docentes doctrinas, quæ
sunt præcepta hominum.*

Ut ergo placeant Deo Bona nostra opera,

exigenda ea sunt, & dirigenda, ad Legem Dei; juxta,

Rom. 12. 2. *Ad hoc, ut probetis, quæ sit Voluntas Dei,
bona illa, placens, ac perfectæ.*

2. Ut, non Peccatum modò, sed & Gratiam auctiorem faciat.

Ostendens enim gravitatem Peccatorum nostrorum,

Excitat in nobis desiderium quærendi Gratiam Christi:

Ut Paulus Legem vocat pædagogum ad Christum,

Gal. 3. 24. *Itaque Lex pædagogus noster est ad Christum,
ut ex fide justificaremur.* Unde etiam alibi dicit,

Rom. 10. 4. *Finis Legis est Christus, ad justitiam credenti.*

Significat enim, Gratiam illam magnam esse oportere,
quæ tantis peccatis remittendis sufficiat;

ut in *parte II.* porrò cognoscemus.

concl. Sed id fit per accidens, accedente scilicet Euangelio:

Hoc autem est proprium officium Legis, ut *Augeat peccatum;*

Hoc est, ut hominibus, qui identidem extenuant sua peccata,
ob oculos ponat Gravitatem peccatorum suorum.

Eccc 3

II. Text.

II. Text. Porrò dicit in textu Paulus; *Quemadmodum Peccatum regnaverat ad Mortem.*

Exeg. Duo Regna Paulus in præced. verbis notaverat, duosque Reges: *thes. Mortis regnum*, ad mortem, & condemnationem;

Vita regnum, ad vitam, ad justificationem vitæ: *vers. 17.*

decl. Mortis regnum nunc vocat *Peccati regnum*: Nam, *Peccatum, est stimulus Mortis*, 1. Cor. 15. 56.

Mors, est stipendium Peccati, Rom. 6. 23.

Quia verò Diabolus *habet potestatem Mortis*, Heb. 2. 14.

idcirco id etiam vocatur *Diaboli regnū*, Matt. 12. 26. Col. 1. 13.

Denique, quia Lex peccatum auget, sceditatem ejus ostendendo, est ea veluti *Nuncius mortis*: unde Paulus ait,

Rom. 7. 10. *Inventum est illud Præceptum, quod erat ad Vitam, mihi cedere ad Mortem.* Quasi dicat,

Si quis Legem perfectè servaret, viveret per eam; ut,

Lev. 18. 5. *Homo, qui fecerit ea, vivet per ea.*

Sed quia nemo potest perfectè servare Legem,

ideò Lex transgressori denunciat Maledictionem; ut,

Deut. 27. 26. *Maledictus omnis, qui non præstiterit verba Legis hujus, ut ea faciat.* Conf. Gal. 3. 10. 12.

2. Cor. 3. 6. *Litera occidit, Spiritus autem vivificat*:

Hoc est; Lex, quæ *Litera* confertur, annunciat Mortem;

Euangelium contrà, *Spiritus* vocatum, Vitam annunciat.

1. Cor. 15. 56. *Peccatum est stimulus Mortis, Lex verò est Vis peccati*: h. e. Auget peccatum; ut est in textu.

ampl. Hæc quatuor, *Lex, Peccatum, Mors, Diabolus*, eò respiciunt, ut hominem in exitium & damnationem præcipitent.

Ideò dicit Paulus hîc, *Legem introisse, ut augetur Peccatum; Peccatum verò regnare, ad Mortem.*

Dicit autem, *Peccatum regnaverat*, non, *regnat* ad mortem; respiciens ad Pios & fideles, in quibus regnare desinit:

Juxta Rom. 6. 12. *Ne regnato peccatum in mortali corpore vestro, ut ausculteris ei, in cupiditatibus corporis.*

itè, verl. 14. *Peccatum vobis non dominabitur;*

non enim estis sub Lege, sed sub Gratia. Et v. 17. 18.

Fuistis quidem servi peccati, nunc facti servi justitiæ.

Unde etiam orta est illa distinctio *Peccati, in Peccatum Regnans, & Non-regnans.*

*) Usus.

v) *Ufus.* Videte iterum, ô Auditores,

hyp. Terribile Legis officium, & periculosum Dominium Peccati,
ad mortem & condemnationem, ad terrendas conscientias.

thes. Qui huic Legi soli adhærescit, nec respicit Euangelium,
illi desperandum est, ac dicendum cum Caino, Gen. 4. 13.

Peccatum meum gravius est, quàm ut possit remitti.

ant. Beatus verò, quem hoc terribile Legis officium compellit,
ad quærendam Gratiam, in Jesu Christo Salvatore.

exēp. Veluti Paulus, considerans Regnum peccati ad Mortem, suamque
impossibilitatem ad servandam Legem, Rom. 7. 22-25.

*Delector Lege Dei, quod ad interiorē hominē: Sed cerno aliam
legem in membris meis, belligerantē adversus legē mentis meæ,*

& captivū reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis.

Ærumnosus ego homo, quis me eripiet ex illo corpore mortis?

Gratias ago Deo, per Jesum Christum Dominum nostrum.

spec. O quoties multitudo & gravitas peccatorū nostrorum nos terret!
quoties cogimur conqueri de aucto & amplificato peccato!

O quoties cogimur conqueri & lamentari, cum Davide,

Psal. 40. 13. *Assequuntur me iniquitates meæ, adeò ut nequeam
dispicere; numerosiores sunt capillis capitis mei, &c.*

Psal. 38. 5. *Iniquitates meæ transcendunt caput meum,
ut onus grave; graviores sunt, quàm ut perferre queam.*

O quoties sentimus veritatem illius dicti, Psal. 130. 3.

Si peccata observaveris Jah, Domine, quis consistat?

Nam Peccata nostra indies augentur, & accedente Lege,
auctiora redduntur & manifestiora:

Si Deus peccata observaret, certè nemo consisteret.

Manasse resipiscens, queritur in sua Precatione, (in Apocryph.)

Verf. 6. *Plus peccavi, quàm sit numerosa arena maris; plurimæ
sunt iniquitates meæ: nec sum dignus, qui intentis oculis con-
tuear etiam cælum, (ut, Luc. 18. 13.) præ multitudine, & ma-
gnitudine, iniquitatum mearum.*

Certè, id & nobis querendum meritò est: nam,

Aucta sunt & nostra peccata, indiesque augentur;

Lege tuâ introëunte, peccataque ostendente.

concl. Quid consolationis restat, contra hæc aucta peccata?

Pandetur illa parte II. ad quam nunc nos accingemus;

Ubi auctum est peccatum, ibi superabundavit Gratia.

P A R S II.

P A R S II.

Auctam Gratiam, ejusque Superabundantiam, quod attinet,
 I. *Text.* De ea sic scribit Apostolus; *Sed, ubi amplificatum est Peccatum,*
ibi superabundavit Gratia.

Exeg. Respicit & hic finem latæ Legis, præterea introeuntis: nam,
thes. Lex, non tantum est concionatrix Peccati; sed & Gratia, ut sup.
 Si docet nos, quam multa ac magna sint nostra peccata;
 Docet nos quoque, quam magna & superabundans sit Gratia,
 ut quæ ex tam multis & magnis peccatis liberet.

text. Idcirco dicit Paulus; *Legem præterea introiisse,*
 non tantum, *ut augetur peccatum;*
 sed etiam, *ut auctior redderetur Gratia.*

rest. Idcirco, ut & supra diximus, Lex Dei vocatur, Gal. 3. 24.
Pedagogus noster, in Christum respiciens,
Ut ex fide justificaremur.

Prout & finem ejus vidimus, ex Rom. 10. v. 4.

Finis Legis est Christus, h. e. cum completio, tum oppositio
Ad salutem, cuius credenti; h. e. Christus adduxit fidelibus
 Justitiam, quam Lex à nobis requirit.

decl. Adeoque oportet, & Legem & Gratiam simul prædicari: nam,
 Quò periculosior morbus, eò major Ars Medici;
 Quò periculosius peccatum, eò major Gratia Christi.

Lata igitur etiam est Lex, ut & ex ea appareret,
 Quanta esset Gratia Christi, nobis in Christo præstita:
 Imò, longissimè Peccatum à Gratia exsuperari; nam,
Superabundavit, ὑπερπερισσεύσας ἢ χάρις.

Doct. Hæc ergo est nostra consolatio, contra Auctum peccatum;
thes. Gratiam Dei in Christo multò auctiorem esse peccato.

decl. Lex auget, & majora efficit Peccata:

Non autem sunt tam magna Peccata nostra,

Ut non sit major Gratia Dei, nobis in Christo præstita.

text. Quapropter Paulus, his textûs verbis, mendacii arguit Cainum.
 Cain dicebat; *Majus est peccatum meum, quam ut possit remitti:*
 Paulus dicit, *Ubi auctum est peccatum, ibi superabundavit gratia.*

Hinc Augustinus, considerans id ipsum, ait; *Mentiris Cain:*
 Non enim *Peccatum est majus, sed major est Gratia.*

dex^op.

3) *exēp.* Atque hoc est, quod expertus est ipse Paulus, dicens, 1. Tim. 15. 16.

*Certus est hic sermo, & dignus omnibus modis qui recipiatur,
Christum Jesum venisse in mundum, ut Peccatores servaret;
quorum primus sum ego: (quia prius eram blasphemus, &
persequutor, & contumeliosus, ut dixerat vers. 13.)*

*Verum ideo misertus est mei, ut in me primo ostenderet Jesus Christus
omnem irae cohibitionem; ut essem exemplar credituris in eum, ad
vitam eternam.*

*Dixerat ibidem, vers. 14. quod & hic in textu dicit;
Superabundavit autem Gratia illa Domini nostri,
cum fide, & dilectione, in Christo Jesu.*

Hanc gratiam superabundantem experta quoque est Peccatrix illa,
De qua, Luc. 7. 38. Cujus peccata tam graviter eam premebant
ut eam in terram, ad pedes Jesu Christi deprimerent,
lacrymas ex ejus oculis exprimerent, tam copiosas,
ut illis pedes Christi rigaret, capillisque capitis sui extergeret.

Sed, quàm gravia essent ipsius peccata, audivit tamen
consolatoria illa verba Christi, vers. 48. & 50.

Remissa sunt tibi peccata: Fides tua te servavit, Abi cum pace.

Experiebatur eandem quoque gratiam Publicanus, Luc. 18. 13.

*Peccata ejus tam gravia erant, ut Staret procul,
neque auderet oculos suos in cælum attollere, sed cædens pectus
suum, diceret; Propitius esto, Deus, peccatori mihi.*

*Verum Gratiam peccatis suis majorem expertus est, eò quòd
Descendit justificatus in domum suam, præ Phariseo, v. 14.*

Sciverunt hoc etiam fideles V. T. ante Christum exhibitum:

Unde Daniel, pro se ac populo orans, dicit, Dan. 9. v. 8. 9.

Domine, penès nos est pudor vultus, quia peccavimus in te:

At penès D. Deum nostrum, sunt miserationes & condonationes.

4) *test.* Hoc ipsum est, quod & David canit, Psal. 130. 7. *Apud Jehovam
est Benignitas, & plurimum apud eum est Redemtionis:*

Id quod Lutherus eleganter ità reddidit, in Ode sua;

Ob bei ons ist der sunden viel,

Bei Gott ist viel mehr gnaden.

Sein handt zu helfen hat kein ziel.

Wie gross auch sei der schaden.

Itèm Psal. 103. v. 3. 4. Itèm vers. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

Confer, Exod. 34. v. 6. 7. sic, Num. 14. v. 18. &c.

Ffff

¶ Usus.

3) *Ufus.* Quapropter, Auditores, peccatis gravati & onerati,
thes. Semper nobis appellandū est, à magnitudine peccatorū nostrorū,
 ad magnitudinem, & superabundantiam gratiæ divinæ.
spec. O quàm sæpè expurgiscitur Conscientia, dicitque,
 Hei mihi, quàm magna ac multiplicia sunt mea peccata!
 Hic semper regerendum est illud Apostoli, in textu;
Ubi auctum est peccatum, ibi superabundavit gratia.
exēp. Ad hanc magnitudinem Gratia appellat,
 Moses, Num 14. v. 19. *Condona, quæso, ô Deus, iniquitatem
 populi hujus, pro Magnitudine benignitatis tuæ;
 prout condonasti hætenus populo huic, ab Ægypto hucusque.*
 David, Psal. 51. v. 3. *Gratiam fac mihi, ô Deus, miserere mei,
 secundum Benignitatem tuam, secundum Magnitudinem,
 seu Amplitudinem, miserationum tuarū, dele defectiones meas.*
test. De hac Magnitudine & amplitudine Gratia, testatur Deus,
 Esa. 54. 10. *Quamvis montes recederent, & colles dimoveren-
 tur; attamen Benignitas mea à te non recedet, & fedus pa-
 cis meæ non dimovebitur; ait miserator tuus, Jehova.*
 Eandem testatam facit Rex & Propheta David,
 Psal. 103. 11. 12. *Quam alti sunt cæli supra terram, tam præ-
 valet Benignitas Dei, erga timentes eum:
 Quàm longè abest Oriens ab Occidente, tam longè amovet à
 nobis iniquitates nostras.*
 Psal. 117. 2. *Invaluit erga nos Benignitas ejus.*
 Psal. 36. 6. 7. *Jehova, in cælis est Benignitas tua;
 Fides tua, usque ad superiores nubes: Justitia tua, (seu Mi-
 sericordia, Dan. 4. 24. Matt. 6. 1.) instar montium maxi-
 morum; Judicia tua, instar abyssi magnæ.*
 Eandem amplitudinem Gratia testatur Petrus Apostolus,
 1. Pet. 1. 3. *Benedictus esto Deus, & Pater D. N. J. Christi,
 qui pro Multa sua misericordia, nos regenuit in spem vivam,
 per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, & c.*
concl. His & similibus dictis consolabimur nos, contra illam
 gravitatē, magnitudinē, & multitudinem, peccatorum nostrorū:
 Illā, inquam, magnā, amplā, exsuperanti, & superabundanti gra-
 tiā, quæ est in Christo Jesu, Domino & Salvatore nostro.
 Sic quoque non emanabit, quod Apostolus Paulus porrò dicit,
 in textu prælecto, de fine illius Gratia.

II. Text.

II. *Text.* Ut, quemadmodum regnaverat Peccatum, ad Mortem;

*Ita etiam Gratia regnaret, per justitiam,
ad Vitam eternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.*

Exeg. Ut Peccatum ad Mortem, sic Gratia ad Vitam regnat. Nam,
comp. Lex severa annunciat Peccatum;

Euangelium lætum annunciat Justitiam in Jesu Christo.

Peccatum est stimulus Mortis, *1. Cor. 15. 56.*

Gratia autem est stimulus Vitæ.

Lex est vis Peccati, *1. Cor. 15. 56.*

Euangelium est potentia Dei ad Salutem, *Rom. 1. 16.*

Stipendium peccati est Mors, *Rom. 6. 23.*

Donum autem Dei est Vita æterna, *Ibid.*

Diabolus potestatem & dominium Mortis habet, *Heb. 2. 14.*

Christus Vitæ, est Princeps Vitæ, *Act. 3. 15.*

concl. Unde patet, quanto potentius sit Regnum vitæ, Regno mortis;
quantoque potentior sit Princeps Vitæ, Jesus Christus,
præ Principe hujus mundi, principe Mortis, Diabolo.

Doct. Bone Deus, quanta tua est in nos Gratia!

thes. Quàm amicabile est, Regnum illud vitæ ac gratiæ,
in quod nos transtulit Deus, pro misericordia sua!

caus. De qua Paulus, *Col. 1. v. 12. 13. Gratiarum agamus Patri, &c.
Qui nos eripuit è Regno tenebrarum, quod est Diaboli,
ac transtulit in Regnum Filij sui dilecti.*

decl. In hoc Regno nihil est, quàm Gratia & Misericordia:

Imò, in hoc Regno coronat, Rex ille Gratiæ ac Gloriæ, Christus,
subjectos tuos, Gratiâ & Misericordiâ.

test. Ut etiam testatur David, *Psal. 103. 4. Qui coronat te,
Benignitate & Miserationibus.*

Beatus, qui in tali Regno civis & subditus est; teste Davide,
*Psal. 65. 5. Beatus, quem eligis, & admoves, ô Deus,
inhabitaturum atria tua.*

*Psal. 84. 5. 6. Beati, qui inhabitant domum tuam;
Beatus homo, cui facultas est in te, semitam suam instituendi.
Illi enim verè dicere possunt, quod dicit David, Psal. 23. 6.
Tantummodo Bonum & Benignitas prosequuntur me,
omnibus diebus vite meæ; imò, in æternum.*

De hoc Regno testatur Paulus, *Rom. 14. 17. Regnum Dei est,
Justitia, & Pax, & Gaudium per Spiritum Sanctum.*

Ffff 2

n) Usus.

Ufus. Ad hoc Regnum Gratiae contendendum est nobis :

thes. Huic Regi gratioso, Christo, verâ fide nos subdamus ;
quotidie nos examinantes, An simus in hoc Regno.

sign. Si autem vis scire, an sis in tali Regno Gratiae, explora teipsum,
An Regnum peccati adhuc apud te sit ;
An Regnum illud tenebrarum apud te etiamnum vigeat,
ex quo Deus transfert suos, in Regnum Filii tui dilecti.
Si comperis, Peccatum adhuc super te dominari,
fanè, non es in Regno illo Gratiae.

Si comperis, te Peccatis dominari, aequè illis resistere,
certus esse potes, te esse in Regno Gratiae.

Si te Spiritum Christi pateris regere, adeò ut,
Licet subinde pecces, tamen resurgas, ac peccata oderis,
& imposterùm tibi ab illis studiosè caveas ;

Certus esse potes, te esse in illo Regno Gratiae.

Si abnegatâ impietate, & mundanis cupiditatibus,
temperanter, & justè, & piè vivas, in presenti seculo, Tit. 2. 12.

Certus esse potes, te esse in Regno illo Gratiae,
quod est per Justitiam, ad Vitam eternam,
per Dominum nostrum Jesum Christum, text.

test. Ut igitur ad tale Regnum pervenias, & in eo perseveres ;
Attende ad admonitionem Pauli, Rom. 6. vers. 12.

Ne regnato Peccatum, in mortali corpore vestro,
ut auscultetis ei, in cupiditatibus corporis. Et vers. 14.

Peccatum enim vobis non dominabitur :

Non enim estis sub Lege, sed sub Gratia.

Attende etiam ad illud, quod dicit Christus, Luc. 17. 20. 21.

Non veniet Regnum Dei, ita ut observari possit :

Ecce enim, Regnum Dei intus habetis. Quapropter,

Intus in nobis illud quæramus, & intus promoveamus :

Sic veniet Regnum Dei ad nos.

Cum primis observemus illud Christi, Matt. 6. v. 33.

Querite primò Regnum Dei, & Justitiam ejus :

Et reliqua omnia adjicientur vobis,

concl. Ante omnia verò seriò precare, ut docuit Christus ;

Adveniat Regnum tuum : Quia tuum est Regnum.

Rege nos verbo & Spiritu tuo, ut nos tibi Indies magis ac magis
subjiciamur, atque ita tui Regni Gratiâ fruamur, Amen.

CONCL.

C O N C L U S I O.

R. Audivistis ità, Auditores in Christo dilecti,

1. De Aucto Peccato;

2. De Aucta, & Superabundanti Gratia, per Christum.

C. His verbis concludit Apostolus Cap. V. ad Romanos: adeoque;

Quibus verbis idipsum incoârat, iisdem id etiam claudit.

Dixerat initiò; *Justificati fide, Pacem habemus apud Deum,*
per Dominum nostrum Jesum Christum:

Ultima hujus Capituli finiuntur similibus verbis; *Gratia regnat,*
ad Vitam eternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.

Quo ipso vult significare Paulus, Jesum Christum esse solum,
Authorem, & Principium, & Finem, Salutis nostræ:

Qui nos cum Deo reconciliavit, Pacemque inter nos & Deum fecit;

qui nos justificavit, per Sanguinem suum, in fide;

qui nos liberavit ex miseria, in quam nos Adamus præcipitavit;

qui nos à Morte, ad Vitam beatam, reduxit;

qui nos è regno Peccati, in regnum Gratiæ, transtulit.

Cum Capite hoc V. concludit Paulus doctrinam Justificationis:

Cum Capite VI. ordietur aliam doctrinam, de Sanctificatione;
quam deducit per Cap. VII. in Cap. VIII. usque.

In Cap. VIII. IX. X. XI. tractabit doctrinam, de Electione Dei;
sublimem illam Prædestinationis æternæ doctrinam.

In reliquis Capp. urget Bona opera, & Vitam Christianam.

Hæ Doctrinæ omnes, prout in hac Epistola proponuntur,
non possunt brevi tempore, pro dignitate sui, exponi:

Sufficit mihi, me vobis, ex prioribus Quinque Capitibus,
proposuisse nobilissimam illam Justificationis doctrinam:

Quæ est præcipua doctrina, inter nos & Papistas ventilata;

quæque est fundamentalis, de fundamento Salutis,

in qua qui errat, dicitur errare in fundamento.

V. Deus det, ut dicta hætenus, non sint frustra dicta;

Reliquæ autem doctrinæ, si non à me, ab alio tractentur:

Ad sui nominis gloriam, Ecclesiæque ædificationem.

Illi sit laus, honor, & gloria, & benedictio, nunc,

& in omnia secula seculorum, Amen.

F I N I S.

Efff 3

INDEX

INDEX ABBREVIATURARUM,

Methodo hujus Operis inservientium.

	A.		D.
A.	Assumptio.	decl.	declaratio.
add.	additio.	def.	definitio.
Adm.	Admonitorius usus.	diff.	differentia.
ampl.	amplificatio.	dist.	distinctio.
anal.	analysis.	distr.	distributio.
ant.	antithesis.	Doct.	Doctrina, pars 1. appl.
apod.	apodosis.	dub.	dubium.
appl.	applicatio.		E.
appr.	appropriatio.	epith.	epithesis.
arg.	argumentatio.	err.	error.
ægr.	ægrus.	Euch.	Eucharisticus usus.
ass.	assumptio.	exc.	exceptio.
	C.	exeg.	exegetis.
C.	Conclusio: Clausula.	exēp.	exempla.
cas.	casus.	exp.	experientia.
caus.	causa.		F.
caut.	cautio.	fin.	finis.
cogn.	cognata.	form.	forma.
coll.	collatio.	fund.	fundamentum.
comp.	comparatio.		G.
concl.	conclusio.	gen.	genus, general.
cond.	conditio.		H.
conf.	confirmatio.	hom.	homonymia.
conj.	conjuncta.	hyp.	hypotesis.
cons.	consequens, confectarium.		I.
Cons.	Consolationis usus.	impl.	impletio.
cont.	contrarium, a.	inst.	instantia.
conv.	convenientia.	jud.	judicium.
Corr.	Correctionis usus.		

L.
lim. limitatio.
 M.
mat. materia.
med. media.
mod. modus.
 N.
nom. nomen.
nex. nexus.
 O.
obj. objectio.
occ. occasio.
opp. oppositio, opposita.
 P.
P. propositio.
par. par, paria.
paral. parallela.
part. partitio, partes.
prap. præparatio.
prop. propositio.
prob. probatio.
pro. pro, (*non contra.*)
prol. prolepsis.
prot. protasis.
 Q.
quest. quaestio.
 R.
R. Recapitulatio.
rat. ratio, rationes.
ref. refutatio, Refutat. *usus.*
rep. repetitio *theseos.*
repl. replica.
resp. responsio.
ret. retorsio.

S.
scop. scopus.
sens. sensus.
sep. separata.
sign. signum, a.
sim. simile.
spec. species, specialis.
subd. subdivisio.
subj. subjectum, objectum.
sum. summa.
syll. syllogismus.
syn. synonymia.
 T.
temp. tempus.
test. testimonia.
text. textus.
thes. thesis.
theos. θεοσις.
tract. tractatio.
trans. transitio.
typ. typus.
 V.
V. Votum: *δοξολογία.*
vat. vaticinia.
ver. vera doctrina.
verb. verba.
Usus. Usus, *pars 2. applic.*

FINIS.

SOLI DEO GLORIA.

ERRATA.

Quæ ob festinationem Operis Leviora quædam forte irrepsērunt Errata, facile *Benevolus Lector* ipse corriget. Hæc pauca annotasse sufficiat, maxime in primis aliquot foliis, me absente impressis.

*Pag. 1. lin. 12. post vocem Apostolo adde omiff. Paulo. Pag. 4. lin. 14. inter voces Dei Christi insere omiff. &. P. 5. l. 17. pro APOSTOLATUM scribe majoribus characteribus, APOSTOLATUM. P. 6. l. 12. pro 18. lege 28. Pagina 8. linea 19. iisdem, quibus pagina 7. linea 3. scribatur characterib. majoribus: similiter ejusmodi characterib. majoribus scribantur pag. 12. linea 2. & 3. & pag. 19. linea 1. atque pag. 23. linea à fine 3. & 4. Pag. 15. l. 6. lege benedicentur. P. 25. l. 5. lege Precatione: *ibid. lin. à fine 3. prædicemus. P. 28. l. 15. erga. P. 64. l. 21. lege ἀποκαλύπτειν. P. 129. l. à fin. 11. pro Ex legibus lege Exlegibus. P. 136. l. 22. pro videtur lege videntur: *ibid. l. à fin. 7. comma positum ante vocem etiam ponatur post eam. P. 188. l. à fin. 6. lege Gen. 50. P. 192. l. à f. 2. pro Act. 15. lege Act. 18. P. 211. l. 12. pro Et si lege Et si. P. 224. l. à f. 15. lege Spiritus Dei. P. 234. l. à f. 4. lege Atqui. P. 246. l. à f. 6. pro secundum lege secundam. P. 247. sub. Exeg. deest lit. 9. P. 294. l. 13. lege firmissimè: l. 22. pro. fit. lege sit: l. 24. lege justificare. P. 370. l. à fin. 5. pro Casar lege Cæsar. P. 424. l. à f. 11. lege Quomodo. P. 497. l. 9. lege illa. P. 514. l. 1. pro sit lege sit.***

HARDEROVICI.

Excudit ALBERTUS SAS, Academiae Ducatus Gelriae,
& Comitatus Zutphaniae Typographus, Anno 1676.

~~Interpret Prot 503~~

Excq. C. 492

